This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UNIVERSITY OF MICHIGAN


UNIVERSITY OF MICHIGAN

870.8
P17
J22

870.8
P19
J22

PANEGYRICI VETERES

QVOS
EX CODICE MS. LIBRISQVE COLLATIS
RECENSVIT
AC NOTIS INTEGRIS
IISQVE PARTIM ADHVC INEDITIS
CHRISTIANI GOTTLIBII SCHWARZII
ET EXCERPTIS ALIORVM
ADDITIS ETIAM SVIS
INSTRVXIT ET ILLVSTRAVIT
WOLFGANGVS IAEGERVS
PHILOSOPH. IN ACADEMIA ALTDORF.
PROF. PVBL.

TOMVS PRIOR.

NORIMBERGAE
SVMTV BIBLIOPOLII BAVERIANI
A. S. R. MDCCLXXVIIII.

VIRIS

PERILLVSTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS

DOMINO PAVLLO CAROLO

WELSER

DE ET IN NEVNHOF

SEPTEMVIRO

REI SACRAE ET LITERARIAE EPHORO

ACADEMIAE ALTDORFINAE CVRATORI

PRIMARIO

CANCELLARIAE ET CVRIAE TVTELARIS

PRAESIDI REL.

DOMINO CHRISTOPHORO

GVILIELMO WALDSTROMER

DE REICHELSDORF

CANCELLARIAE ET CVRIAE TVTELARIS

PRAEFECTO REL.

DOMINO CHRISTOPHORO

CAROLO SIGISMVNDO

HOLZSCHVHER

DE HARRLACH ET VESTENBERGSGREVT

CVRIAE TVTELARIS ET ORPHANOTROPHII

PRAEFECTO REL.

DOMINO LEONHARDO

GRVNDHERR

DE ALTENTHANN ET WEYERHAVS

CVRIAE TVTELARIS PRAEFECTO REL.

LIBERAE S. R. I. REI PVBLICAE

NORIMBERGENSIS

SENATORIBVS CONSVLARIBVS

ACADEMIAE ALTDORFINAE

CVRATORIBVS ET SCHOLARCHIS

ORNAMENTIS PATRIAE
FAMILIARVM SPLENDORE
VIRTVTVM LAVDIBVS ET MERITORVM
GLORIA FLORENTISSIMIS

DOMINIS AC MAECENATIBVS

INDVLGENTISSIMIS

RERVM QVIBVS PRAESVNT
PROSPERRIMOS SVCCESSVS
GLORIAE ET DOMI ET IN PVBLICO
QVAESITAE
FRVCTVM VBERRIMVM
VITAEQVE PRAECLARIS IN PATRIAM
OFFICIIS ORNATISSIMAE
VSVRAM DIVTVRNAM
PRECATVS
HOC
DEVOTI ANIMI DOCVMENTVM
EA QVA DECET VENERATIONE
D. D. D.
EDITOR.

PRAE-

G. 4
J. L. Laurence
8-15-22
2 vols

PRAEFATIO.

Scriptoribus priſcis accurate recenſendis et interpretandis tantum temporis et operae uiri docti, iique permulti, impenderunt, ut omnia iam praecepta eſſe, omnesque hac in re labores fruſtra et temere ſuſcipi non nullis uideantur. Quae ſententia, licet prope abſit a ueritate, tamen non poteſt ita prorſus probari, ut, in magna copiarum affluentia nobis aliqua deeſſe, et non omnes omnino auctores ueteres pari fortuna uſos eſſe, non agnoſcamus. Inter eos, qui fere neglecti adhuc iacuerunt, ſunt profecto Panegyriſtae illi et laudatores Principum Romanorum, qui, a Diocletiani inde aetate uſque ad tempora Theodoſii, ingenii et facundiae laude ad Ciceronem ac Plinium, et ut quisque illis eſt proximus, adſpirauerunt. Obfuit, puto, oratoribus his iudicium eorum, qui, cum illos a uera loquendi norma interdum recedere, et leuibus atque inanibus ſonis ludibria quaedam excitare uiderent, parum ſibi placere maculoſum iſtud et argutulum genus dicendi oſtenderunt. Verum hoc non debet eo valere, ut legendis ſcriptoribus hiſce ſtriblignis et ineptiarum contagione contaminari opinemur. Nam praeter quam quod optimum quemque ad imitan-

)(*dum*

dum ſibi propoſuerunt, ipſi ab ingenio, artibus, doctrinis adeo fuere inſtructi, ut iure ac merito ſtudioſis eloquentiae et humanitatis ab idoneis harum rerum arbitris commendentur. Veriſſime de iis iudicat C. F. MVLLERVS, *A. M. et Biblioth. Acad. Wittenberg. Cuſtos, litteris acerba morte ereptus, in praeclara* Diſſ. de Pacati Panegyrico ad Pliniani exemplum formato, *p. 7. ſqq.* „*Ingenio nullus eorum cauret: eſt autem illud uel iudicio deſtitutum, uel Auguſtei ſaeculi elegantia minus excultum, uel, cuius luxuries ſtilo non ſatis depaſta ſit, uel exercitatione umbratili nimis coarctatum, uel corruptum ſeruitute. —Nec tamen iſtis panegyricis ſuae deſunt uirtutes: quarum in gratiam ſaeculi naeuos illis condonari par eſt. Abundant enim deſcriptionibus, bellorum ac praeliorum in primis, quamuis longioribus, elegantibus tamen: abundant ſententiis uere ſublimibus: abundant acumine: — gaudent multarum rerum feliciter expreſſa ſimilitudine: floribus nitent: luminibus ſplendent: ipſam denique ſonantiorem illam Virgiliorum dictionem, ſi a numero diſcedas, germanam non raro nobis repraeſentant. Quae omnia, etiamſi modum excedunt non numquam, ad illicien-dum, captandumque lectoris animum uim habent praecipuam.*" *)

Afful-

*) Adde, ſis, I. G. WALCHII *Diatr. de Orat. paneg. uet. in Parerg. Academ.* et IAGEMANN, *V. C. Geſch. der fr. Künſte und Wiſſenſch. in Italien*, T. 2.

Affulgebat olim spes aliqua nouae, praestantissimaeque editionis horum panegyricorum, cum curam eorum suscepisset C. G. Schwarzius, *qui, praeter insignem litterarum scientiam, Codicem MS. habebat perantiquum et egregium,* **) *cuius ope multis locis utriusque orationis Mamertini, senioris, et Drepanii medicinam attulit. Sed cum aliorum laborum uarietate et multitudine, tum praecipue studio in panegyricum Plinii collato, districtus, ante excessit e uita, quam exorsa detexuisset. Post eius obitum Codex ille possessorem sortitus est Virum summe uenerabilem,* IO. SIGISM. MOERLIVM, *Antistitem Rev. Ministerii Norimbergensis et Professorem primarium, cui sacra et litterae insignia commoda et incrementa debent, et cuius tanta in me propensae uoluntatis beneuolentiaeque documenta exstant, ut nullo umquam erga eum officio mihi satisfacere possim. Is mihi, aliquot abhinc annis, et illius MSCti et aliorum praesidiorum, in quibus sunt adnotationes adhuc ineditae* b. Schwarzii, *copiam fecit, atque auctor exstitit nouae Panegyricorum editionis adornandae, in qua si ita uersatus esse uidebor, ut non sit, quod uel illum consilii, uel me obsequii poeniteat, satis me pro labore pretii tulisse putabo.*

Operae meae rationem redditurus, quos libros habuerim, quid iis tractandis obseruauerim, et quid in curando hoc negotio secutus sim, explanate nunc edisseram. Adfuit mihi

**) v. SCHWARZ. Paneg. Plin. p. 732.

I. Codex *ille*, Schwarzianus *olim*, *nunc* Moerlianus, *forma quarti ordinis, ante quatuor, et quod excurrit, ſaecula manu nitide in membranis ſcriptus, qui, praeter Panegyricum Plinii, ceteros quoque, quos adhuc habemus, ueterum Panegyricos latinos complectitur, itemque oratiunculam Metii Voconii, Tacito Aug. dictam, quam* Schwarzius Miſcellan. politioris humanitat. *p.* 125. *adnotatione ſua illuſtratam, addidit. Porro ex libris editis*

II. Panegyrici uariorum auctorum *(ex recenſ. Io. Cuſpiniani.)* Viennae Pannoniae, 1513. 4. *(v. de huius editionis praeſtantia Biblioth. Lat. Fabricio-Erneſtiana, T. 2. p. 428. et Schwarz. Paneg. Plin. p. 737.) Equidem ſperaueram, fore, ut etiam facultas conſulendae editionis Puteolani, qua Schwarzius uſus erat, mihi contingeret. Verum S. V.* Erneſti, *quem hac de re per litteras adii, cum cetera ſatis prolixe reſpondiſſet, negauit, fieri poſſe, ut libri illius, Bibliothecae Dresdenſi nunc illati, uſus extraneis indulgeatur.*

III. Panegyrici ueteres, — Baſileae, per Io. Frobenium, 1520. 4. *Haec editio tribui ſolet B. Rhenano, qui, cum inter legendum obiter in ſuo exemplo (Mediolanenſi ſine dubio Puteolani) quaedam adnotauiſſet, quaedam etiam, licet ſine uetuſti codicis auxilio, et inconſulto exemplo Cuſpiniani, reſtituere conatus eſſet, illud deinde petenti Frobenio con-*

conceſſit. Veriſſima eſſe deprehendi, quae Lipſius Epiſt. Quaeſt. L. 1, 22. p. m. 153. de hac editione, non parum uitioſa et deprauata, ſcripſit. Et Rhenanus ipſe non multum ſibi in hoc negotio tribuit; uti patet ex eius epiſtola ad Lucam Bathodium.

IV. XII. Panegyrici ueteres. — Io. Liuineius — recenſebat ac notis illuſtrabat. Antuerp. 1599. 8. *Textus Liuineii unde ductus ſit, non plane mihi liquet. Suſpicabar, eum ex Puteolani editione eſſe: ſed illud mihi obſtat, quod in Panegyrico Pliniano lectiones Puteolani et Liuineii, a Schwarzio commemoratas, non numquam a ſe inuicem recedere animaduerti. Cum Rhen. plerumque congruit; interdum tamen ab eo et in melius et in peius abit. Vt ut ſit, corruptus eſt certe et inquinatus multis locis. Sed adſunt etiam permulta et praeclara remedia, quae Liuineius, ſoſpitator horum panegyricorum, in medium protulit. Vtebatur uir doctiſſimus codice membranaceo, notae admodum bonae, qui penes ipſum erat; deinde lectionibus, quas e Bertinienſis monaſterii, Audomaropole, ſcripto Codice exceperat Fr. Modius, et donauerat magno illi litterarum patrono, Marco Welſero, qui eas ultro et liberaliter ad Liuineium transmiſit; porro, ueteribus ſchedis, quas Car. Langius ad Frobenianam lectionem contulerat; denique etiam editione Cuſpiniani et Rhenani. His omnibus diligenter excuſſis, lectiones in margine notauit,*

quibus textus, quem uocant, permultis locis facili negotio emendatur. Functus eſt etiam officio praeclari interpretis, et docta adnotatione plurimum lucis auctoribus noſtris foenerauit.

V. Plinii Epiſt. et Paneg. c. comm. Catanaei. Adiuncti ſunt alii ad alios Caeſares Panegyrici, ad fidem uetuſti exemplaris emendati. Exc. Paul. Stephanus, 1600. 4. *Quodnam exemplar illud fuerit, quod editor ſit ſecutus, mihi incompertum eſt. Hoc uero conſtat, textum Liuineii, ſi pauciſſima, forte errata operarum, excipias, in omnibus eſſe ſeruatum. Quapropter cum leuiſſima ſit huius editionis auctoritas, mentionem eius, in reddenda ſcripturae ratione, intermiſi.*

VI. Plinii Epiſt. — eiusdem Pl. et Pacati, Mamertini, Nazarii Panegyrici, item Claudiani Panegyrici. 1604. 12. *(cum oliua Stephaniana.) Haec editio refert in omnibus Frobenicnam, exceptis erroribus typotheticis, qui duobus, tribusue locis aliquid diuerſitatis inducunt. Eſt proinde repetitio primae illius Stephanianae, excuſae a.* 1591. 12. *quae et ipſa ex editione Rhenani expreſſa eſt, ut deinceps uidebimus.*

VII. XII. Panegyrici ueteres — emendati, aucti; nuper quidem ope Ioh. Liuineii: nunc uero opera I. Gruteri, praeter quorum notas accedunt etiam coniecturae Val. Acidalii et C. Rittershuſii. Francofurti, 1607. 12.

Prae-

Praesidiis a Liuineio paratis bene usus est Grutetus, textumque infinitis locis pleniorem, saniorem, speciosiorem fecit, recipiendis iis lectionibus, quas ille ex suis libris enotatas in margine collocauerat. Addidit etiam notas, quibus lectiones partim uindicantur, partim coniectura reformantur, saepe etiam interpretatione explanantur.

VIII. *Praeter exemplum huius editionis, quod in mea supellectile est, tractaui etiam illud, cui Gudius, uel alius uir eruditus, adscripsit uariantes lectiones, i. e.* Librum II. Gudianum, *(v. Schwarz. Pan. Plin. p. 732.) quem, qui nunc possidet,* NAGELIVS, *uir laudibus et meritis de nostra Academia excellentissimus, mihique non uno nomine colendus, impertiuit. Lectiones illas cum Codice MS. Guelferbytano ita consentire, ut ex hoc ipso fonte fluxisse uideantur, et Schwarzius l. c. monuit et ipse deprehendi, inspiciendo exemplari Cellariano, in quod Cortius lectiones istas Codicis Guelferbytani retulerat. Exemplaris huius copiam mihi fecit uir humanissimus,* P. D. Longolius, *statione sua haud ita pridem cum summa laude defunctus. Liber Gud. II. in quam plurimis quoque congruit cum MS. Moerl. et Putean. (de quo mox dicemus.) Schwarzius, l. c. docet, MS. Guelferbytanum mire conspirare in plurimis cum codice Vaticano, n.* 3461. *Quod si sumas, hunc Vaticanum esse ex illis, quos Patarol ad testimonium uocauit, habebis V. Codices unius, eiusdemque sectae atque familiae,*

quos in optimis lectionibus ſocios ſaepiſſime inuenies. Deſunt tamen in Gudiano II. multa, in iisque Panegyricus VIII. quibus neque Put. neque Moerl. caret. Ceterum in illo exemplo Longoliano haec uerba Cortii leguntur: Barthius ad ed. Steph. 1591. 12. haec ſua manu adſcripſerat: „*Hi „Panegg. expreſſi ſunt ex ed. B. Rhenani, omnium „peſſima; ideoque ſunt minimae auctoritatis, neque „recenſeri aut allegari tuto poſſunt. Omnino pa„randa et legenda eſt ed. I. Gruteri, et ex do„ctorum hominum, quae ei inſunt, notis caſti„gandi et capiendi hi praeſtantiſſimi ſcriptores. „Primus Cuſpinianus (non notiſſimus ille Caeſa„rum ſcriptor,) erexit ſignum ad aeſtimandos hos, „cuius operam laudando commendatiorem fecit „I. Lipſius. Secutus longo interuallo I. Liuineius, „boni, docti, induſtrii caſtigatoris operam iis im„pendit, cui uelut acceſſio iungendi ſunt, quos „Gruterus coëgit.*„ *Haec Barthius uere ac ſapienter.*

VIIII. XIV. Panegyrici ueteres — Pariſ. 1643. 12. (*v. Schwarz. l. c. p.* 748. *Bibl. Lat. p.* 429.) *Haec editio, quae etiam Pariſienſis prior et Puteani ed. nobis uocatur, textum Gruterianum ita ſequitur, ut etiam uitia typographica retineat. Praeter notas uariorum interpretum, exhibet etiam libellum uariantium lectionum, ab Ant. Schonhouio collectarum, et ad oram Froben. adſcriptarum, quas Cornelius Gualtherus deſcribi curauit, et Th. Pul-*

Pulmannus diligenter exſcriptas ad Cl. Puteanum miſit. Hae lectiones cum Cuſp. adeo congruunt, ut, eas ex iſto exemplo depromtas et coniecturis mixtas fuiſſe, initio ſuſpicarer. Sed non ita eſſe, mox intellexi, cum uiderem, Schonhouium inferre mentionem libri Viennenſis, Lipſio laudati, tamquam diuerſi ab eo, quo ipſe uteretur. Is uero liber Viennenſis non alius eſſe poteſt, niſi ed. Cuſpiniani. In fine libelli adiecta ſunt haec uerba: III. Non. Aug. Brug. a. 1436. A. *Haec ſi ſana eſſent, numquam de ed. Cuſpiniani hic adhibita cogitare debuiſſem. Sed uidetur pro* 1436. *reponendum eſſe* 1536. *ſi quidem A. Schonhouius hanc farraginem collegiſſe credendus eſt. Inſunt porro in hac editione lectiones Cod. Puteani; quibus ſubiiciuntur haec:* Romae, A. D. 1571. menſ. Ianuar. *Ex his mihi fit ueriſimile, lectiones has petitas eſſe ex illo Codice Vaticano, quem cum ceteris huius familiae concinere ſupra monuimus.*

X. XII. Panegyrici ueteres — recenſiti et illuſtrati a Chr. Cellario. Halae Magdeb. 1703. 8. *Textus eſt Gruterianus, exceptis non nullis, in quibus Cellarius partim librorum a Liuineio collatorum auctoritate, partim coniecturis uirorum doctorum ductus, ab eo diſcedit. Adnotatio breuis eſt, docta, uno uerbo, Cellariana.*

XI. Panegyrici ueteres: interpretatione et notis illuſtrauit Iac. de la Baune — Venet. 1728. 4.

Parisiensem Baunii editionem, quae a. 1677. *prodiit, nullo pacto nanciſci potui; ac proinde hoc Catone debui eſſe contentus. Quia uero ad priorem illam haec Veneta expreſſa eſt, Pariſienſis poſterioris nomine interdum a me appellatur. Textum Baunius ſeruauit Puteani, ita tamen, ut non modo errores typotheticos emendauerit, ſed etiam meliorem interdum ex coniecturis uel libris, interdum uero deteriorem lectionem in eum intulerit; ceterum a ſubſidiis criticis ualde imparatus, id ſibi negotii datum eſſe credidit, ut explicatione uerborum qualicumque, diligentiore rerum, quibus ex hiſtoria et temporum ratione declarandis operam non inutilem nauauit, defungeretur; eſtque adeo, ut paucis complectar, unus ex multis illis interpretibus Delphinicis. v. Schwarz. l. c. p.* 750. *Biblioth. Lat. p.* 429.

XII. Panegyricae Orationes ueterum Oratorum. Notis ac numis illuſtrauit, et Italicam interpretationem adiecit Laur. Patarol, Venetus. *(In eius Opp.)* Venet. 1743. 4.

Si quis umquam feſtiua praeſidiorum copia inſtructus ad edendas haſce orationes acceſſit, is certe fuit Patarol. Vſus eſt edd. Cuſp. Rhen. Nauii, (Venet. 1576.*) Liuineii, Geneuenſibus duabus, altera a.* 1638. *altera a.* 1663. *excuſa, (ſi numerorum notae non fallunt,) Pariſienſi, a.* 1655. *(quae repetitio eſt Puteanae, a.* 1643. *publicatae,) altera, in uſum Delphini a Baunio procurata a.* 1677.

1677. *Cellariana. Adhibuit Codicem MS. ex bibliotheca patria D. Marci, collationem trium Codd. Vaticanorum et Codicis MS. ex bibliotheca, quae Mediolani eſt, Ambroſiana. Conſuluit omnes interpretes et criticos, qui orationes haſce illuſtrarunt. Addidit numos, qui uel Imperatores, eorumque familias, ſpectant, uel res ab iis geſtas etc. declarant. Quis propter haec non uadimonium deſerat? Sane, ſi Naugerius aliquis uel Victorius iſto apparatu uſus eſſet, haberemus, quod deſideriis eruditorum et ſpei ſatisfaceret. Sed nimis alienus erat Patarol a re critica. Codices ſuos non perpetua diligentia, ſed ubi libitum erat, inſpexiſſe contentus, pauciſſimis locis opem ex illis affert, et contextum haud meliorem Pariſienſi, quem ubique ante oculos habet, nobis procudit. Adnotatio in rebus hiſtoricis et praecipue geographicis ſtudioſe uerſatur, in ceteris ad rationem Minellianam fere accedit. Sunt tamen, ne quid boni diſſimulem, in quibus uel praeuae lectioni reformandae uel confirmandae probae opera uiri prodeſſe queat. Sed ſatis de his: ne tantumnodo cenſuram aliorum agere, et uiae, quam ego perſecutus ſum, demonſtrandae uidear obliuiſci.*

Prima merito mihi cura fuit textus, cuius multa uitia, ope librorum, praecipue Moerliani, emendaui. Equidem facile agnoſco, non omnia uulnera, quae librariorum incuria ſcriptoribus bisce inflixit, eſſe perſanata. Sed malui, ea, ubi non aderant praeſentiſſima remedia, ſuſpenſa manu tractare aut manum omnino

omnino abſtinere, quam, ſumenda quidlibet audendi licentia, in reprehenſionem temeritatis incurrere. Porro id quoque efficere curaui, ut, unde lectio quaeque ducta ſit, et quibus quaſi gradibus ad eam, quam habet, formam textus peruenerit, intelligátur. In adiumentis interpretandi obſeruationes Schwarzii, *quibus utrumque Mamertini Panegyricum illuſtrauit, V. Diſſertationibus academicis publice olim propoſitas, nec non eas, quas ad IV. Panegyricum Eumenii, in uſum praelectionum, conſcripſit, nondum adhuc editas, nec tamen indignas auctore ſuo, edere integras; ex adnotatione reliquorum dilectum facere uiſum eſt. Quotiescumque enim rem unam, eamdemque a duobus, pluribusue, quod haud raro accidit, propoſitam fuiſſe uidi, illius tantummodo notam, quam uulgo dicunt, ſelegi, qui uel primus eam rem tetigit, uel omnium optime explicauit: qua ratione id me conſecutum eſſe ſpero, ut nihil omnino ex iis, quae illuſtrandis orationibus hisce inſeruiunt, deſiderari poſſit, neque tamen ſuperuacanea legantur. Mea animaduerſione tum demum opus eſſe iudicaui, cum uariae lectionis ratio reddenda erat, uel quaedam uberius et liberalius declaranda uel ſententiae aliorum dubiae aut falſae eſſe uidebantur. In his arguendis non inanem uincendi libidinem ſecutus ſum, ſed commodum lectoris ſpectaui. Putabam enim, in quibus Gruterus uel Cellarius erraſſet, facile alios falli poſſe, etiam qui non prorſus in his rebus caecutirent. Omnino id ſtudui efficere, ut*

externi ne quid poſſit per laeue morari

illos

illos quoque, qui, aut propter aetatem, aut educationem et rationem ſtudiorum, aut uitae genus, non ſtatim primo obtutu aſſequuntur, quae, ab aliqua parte eruditionis repetita, praeſto eſſe debent intellecturo hos auctores, reconditae doctrinae haud raro ſectatores. Accidit non numquam, ut uiri, qui in his litteris habitarent, (etiam qui non habitarent, ſed ſpeciem affectarent copioſae eruditionis,) tamquam triuialia ſpernerent, quae ab aliis iam alicubi doceri meminiſſent. Verum hanc moroſitatem et arrogantiam ſatis confutauit *) ill. Heyne, cum quo equidem malim errare, quam cum iſtis uera ſentire. Attuli igitur in iis, quae non nimis facilem intellectum habent, quaedam, quae aliunde iam ſe didiciſſe docti arbitrentur; ſed attuli uerbis pauciſſimis, et ita, ut lectorem ſemper eo ablegarem, ubi res fuſius diſputatur. Praeterea cum non ſine moleſtia deſideretur lux ea, quae umbras ab hiſtoriae et geographiae ignoratione offuſas diſcutiat, non negligenda eſſe duxi nomina hominum, gentium, urbium, regionum, quibus aliquid ineſt difficultatis; iisque illuſtrandis locum commodiorem eſſe in adnotatione textui ſubiecta, quam in indice, credidi peritis harum rerum iudicibus. **)

Haec fere ſunt, quae de noſtra opera dicenda habuimus. Reſtat, ut cum ſignificatione animi gratiſſimi com-

*) In praef. praefixa Oreſtae Euripideo, a Cl. Facio illuſtrato.

**) v. Allgem. Deut. Biblioth. Vol. 28. p. 566.

commemorem eam, quam locis non nullis Panegyricorum impendit Cl. SCHENKIVS, *Rector Gymnaſii Norimbergenſis, quem in quantum quis aut cognoſcere aut intelligere poteſt, in tantum miratur ac diligit, quocum olim collegii uinculum me coniunxit, nunc ſtudiorum ratio et officiorum certaeque amicitiae conſtantia coniunctum perpetuo ſeruat. Is,* παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, *mihi ſuggeſſit, quae non ad meae tantum uoluptatis fructum, ſed ad publicam quoque utilitatem referenda eſſe, facile animaduertebam.*

Paneg. VI. c. I. ſ. 3. *pro* reſpui, *quod ſane minus placere poteſt, malit* reſtringi, *i. e. coërceri, adeoque nimia uerborum copia moleſtam uideri; aut* oratione mea *legendum cenſet, et alius uerbi infinitiuum, quod mihi tamen nunc non ſuccurrit, circumſpiciendum.*

Paneg. VII. c. 1. *ſ.* 2. *concinniorem uerborum ſtructuram affert :* Sed quoniam id non poteſt, (praeſtat animo, quod natura non patitur,) clamoresque ſuos etc.

— — *c.* 2. *ſ.* 3. *pro* tam maiore uoto *ſubſtituit* tamen m. u,

Paneg.

Paneg. VII. c. 8. ſ. 3. ubi immerito mihi ſuſpecta locutio dare indulgentiam, *demonſtrauit locum Plinii, Epp.* 10, 11, 2. cui et, ſi quid mihi credis, indulgentiam tuam dabis. *Itaque τὰ καλῶς κείμενα μὴ κινεῖν.*

Paneg. VIII. c. 19. ſ. 2. admonuit de uitio interpunctionis ; ſc. poſt adſpicerent, *loco duorum punctorum,* comma *reponendum eſt.*

— — — — *pro* memorabant *melius legit* ignorabant.

— — *c. 25. ſ. 2. poſt* depulſo, *pro commate* duo puncta *recte collocat.*

— — *c. 26. ſ. 5. uerbis:* illa tamen — ut, cum etc. *faciliore medicina ſuccurrit,* ut *mutando in* ubi.

Ceterum, cum factum ſit, ut nomina interpretum primis fere litteris notarentur, ea hic explicate ſignare conuenit. Eſt igitur A. Acidalius, *B.* Baunius, *C.* Cellarius, *G.* Gruterus, *I.* Iuretus, *L.* Li-

L. Liuineius, *Pat.* Patarol, *P. uel Put.* Puteanus, *S.* Schwarzius.

Tomus posterior, qui proximo mercatu auctumnali prodibit, Orationes Nazarii, Mamertini, Drepanii, prioribus disertiores, et, tum aliorum, tum nostra cura, emendatiores, itemque Panegyricum Corippi, non defunctorie repurgatum, una cum indicibus satis copiosis, complectetur. Scripsi Altdorfii, d. VIII. Aprilis, MDCCLXXVIIII.

CLAVDII MAMERTINI

PANEGYRICVS

MAXIMIANO AVGVSTO

DICTVS

AD PANEGYRICVM I.
VITA
DIOCLETIANI ET MAXIMIANI.
Auctore I. de la BAVNE.

Anno V. C. 1001. *Christi* 248. *Philippi Aug.* 4.

Aurelius Valerius Diocletianus, cognomento Iouius, quod tyrannos, ut ait Ioan. Bap. Egnatius, uelut alios gigantes a totius terrarum orbis regia, Iouis instar, propulisset, prope Salonas in Dalmatia nascitur. Fuit as Anulini senatoris aut libertinus, ut aliqui uolunt; aut scriba, ut alii; aut libertinus idemque scriba: sic enim uariae sententiae conciliari possunt. Patre ignoto genitus est, *Matre uero pariter, atque oppido nomine Dioclea; quorum uocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatur; post uero, Graio nomine in Romanum morem conuerso, Diocletianus.* Epit. Victoris.

Ex infima illa fortuna per omnia militiae stipendia ad supremum tandem honoris apicem peruenit, non sine multo

ante accepto futurae suae magnitudinis augurio. Cum enim gregarius adhuc miles apud Tungros, quae Galliae Belgicae ciuitas est, in Druidis alicuius caupona diuersatus, cum ea rationem sui conuictus faceret; illa, *Diocletiane, nimium auarus, nimium parcus es.* Cui ridens Diocletianus, *Tunc ego largus, cum imperator fuero.* Tum Druis: *Diocletiane, iocari noli, nam imperator eris, cum Aprum occideris.* Risit ille, uerumtamen dicti illius memor, mirum quam acer ab eo tempore uenator, quam caedendorum aprorum studiosus foret. Interim cum Aurelianus, Tacitus, Probus, ac porro Carus imperium accepisset, subinde dictitabat: *Ego semper apros occido, sed alter utitur pulpamento.* Haec uera, an falsa sint, non statuo; certe ista ab Druide ipsa audiuisse auum suum refert *Vopiscus in Numeriano.*

An. V. C. 1003. *Christi* 250. *Decii imp.* 2.

M. Valerius Maximianus Herculius, libertini etiam sanguinis, inquit *Ioan. Bap. Egnatius*, ortu agresti, inquit *Victor*, in Pannonia nascitur, haud longe Sirmio, quem locum adhuc aetate sua insignem tradit, palatio ibidem exstructo, ubi eius parentes opera mercenaria exercuerant.

An. V. C. 1037. *Chr.* 284. *Carini et Numeriani Augg.* 2.

Dioclet. aetatis 36.

Diocletianus ardebat magis ac magis studio adipiscendi imperii, quo quidem eo dignior sibi uidebatur, quod alios ex aliis honores gessisset. Igitur cum Numerianus imperator, patre in Persida prope Tigrim amisso, e Persico bello, in lectica rediens ab Arriano Apro, socero suo, eodemque praetorii praefecto, occisus esset: re a militibus comperta, aduocatur concio, in qua et imperator, et huius necis

cis ultor quaereretur. Ibi Diocletianus, tum domesticorum imperatoris comes, et Moesiae praefectus, omnium consensu proclamatur Augustus 15. Kal. Augusti. Quam dignitatem cum solenni de more accepisset: quoniam iubetis, inquit, ut de Numeriani interfectore quaeratur, obsequar uoluntati uestrae. Tum Aprum, quem milites eo protraxerant, proxime astantem digito commonstrans: *Hic est auctor necis Numeriani.* Quem transfodiens: *Gloriare, Aper, magni Aeneae dextra cadis:* et ad exercitum conuersus, *Tandem Aprum fatalem occidi:* atque ita Druidis de suo imperio uaticinium impleuit. Quae uita et audita ab auo suo refert idem *Vopiscus in Numeriano.* Nicomediam purpuratus intrauit 5. Kal. Oct. *Chronicon Alexandrinum.* Hinc primum consulatum iniit. Ab eo anno incipit aera Diocletiani, quae illo mortuo aera martyrum dicta est.

An. V. C. 1038. *Chr.* 285. *Diocles. imp.* 2. *aetat.* 37. *Maxim. imp.* 1. *aetat.* 35.

Diocletianus e Syria redux, consulatu Kal. Ian. secundum inito, multis praeliis in Illyrico congreditur cum Carino, qui in Galliis, Italia, et Illyrico post patris Cari et Numeriani fratris mortem sub Augusti nomine imperabat; donec Carinus prope Murgum, inter Viminacium, atque Aureum montem in Moesia superiore a suis, quibus propter nefaria scelera summe odiosus erat, confoditur. Qua morte cum uacuum esset Occidentis imperium, ab iis prouinciis et exercitu, cui ille praeerat, renuntiatur imperator, et in Oriente et Occidente sine competitore regnat. Quo fit, ut inde aliqui annos Diocletiani computent. Interim cum rusticorum factio, quibus *Bagaudarum* nomen, ducibus I.

Pomponio Aeliano, et Salonino Amando, ut Victor et Eutropius tradunt, tumultus in Galliis concitaret, caſtrumque Parilios inter, et Meldas ad Matronam, ſitum, ubi nunc Foſſatenſe S. Mauri Monaſterium eſt, occupaſſent: Diocletianus metuens, ne Galliae omnes, ſuperiorum temporum iniuriis, hoc eſt, Carini Auguſti acerbitate ac ferocia, tyrannicisque iudicum ſuorum exactionibus uexatae, deficerent, M. Aurelium Maximianum, ueterem amicum, et ſub Probo atque Aureliano commilitonem, cui uni Druidis de ſuo imperio uaticinium aperuerat, hominem ſibi aetate prope ſupparem, bello ſtrenuum, et inter arma educatum inſtitutumque, Caeſarem facit Romae, ubi ille Nicomedia euocatus magno populorum omnium plauſu et acclamatione exceptus eſt. *Paneg.* 5. *c.* 8. Eodem die inde in Gallias mittitur, ad quam expeditionem legionem Thebanam, quae 6666. militum erat, ſecum abduxit. Gallias breui ſeu ui, ſeu prudentia pacauit. Atque hinc Herculius dictus eſt, quod Dioeletianum Iouium inſtar Herculis ad purgandas monſtris Gallias adiuuiſſet. Maximianus legionem integram, ſolitis gentilium ſacrificiis pollui recuſantem, trans Alpes Octoduri in Veragris ad Rhodanum occidi iuſſit.

An. V. C. 1039. *Chr.* 286. *Dioclet. imp.* 4. *aetat.* 38. *Maxim. imp.* 2. *aetat.* 36.

Maximianus redierat victor, conſulatum Treueris inturus. Cum, ecce, nuntiatur Achilleum in Aegypto tyrannidem inuaſiſſe: Narſeum Perſam Orienti bellum inferre: Quinquegentanas gentes in Africa turbare: Carauſium, Belgico et Armorico tractui contra Francos et Saxonas Piratas tutando praefectum, abducta ſecum Romana claſſe Britan-

nias

nias occupasse: Burgundiones et Alamannos, imo et Chaibonas, Erulosque, uiribus primos barbarorum, locis ultimos, in Gallias irrumpere: Maximianus hos repente adortus fugauit ceciditque, ac Treueros redux magno omnium plausu exceptus est. Interim Diocletianus, opus sibi consorte imperii, ad reliquos motus compescendos, sentiens, Maximianum ex Caesare Augustum facit Kal. Aprilis, mox- que in Orientem conuolat. Maximianus uero Carausio, quem propter publica latrocinia proscripserat, praecipue infensus, in Galliam contendit. Ibi cum ad Carausium, in Britannias persequendum, classem nullam reperisset: quo perduellis illius uires accideret, eam, quae Rhaetis obiecta est, Germaniae partem ingressus, in Burgundiones, et Alamannos, propter occultum cum Carausio foedus in Gallias effusos, arma conuertit, et eos partim fame, partim ferro confecit. *Pan.* 1. *c.* 5. Chaibonas uero, et Erulos ad mare Codanum degentes internecione delet, ipsumque eorum regem inter ipsas, quas moliebatur, insidias, capit: sicque Romanos limites ad Danubii caput, atque adeo ad transitum Guntiensem, id est, ad Guntzeburgi pontem extendit: captiuos bene multos ad Neruiorum et Treuerorum excolendos agros abducit. Qua uictoria ita attriti sunt Franci, ut Esatech, unus ex eorum regibus, magna multitudine comitatus, pacis petendae et sui purgandi causa ad Maximianum uenerit; ac rebus ex animi sententia confectis domum reuerterit; Genobaud uero, item Francorum rex, quem fortasse amantem otii bellumque dissuadentem Franci expulerant, fuerit in regnum a Maximiano restitutus. *Pan.* 1. *c.* 10. *et Pan.* 2. *c.* 3.

Nec minus prospere rem gessit in Oriente Diocletianus: nam aduersus Narseum, Persarum regem, cum Saracenis et Parthis Mesopotamiae atque Armeniae imminentem, progressus, his quidem ultra Tigrim propulsis, illis acie uictis, Narseum ad petendam pacem adegit. Inde reuersus Gothos, Scythas, Sarmatas Daciam, traiecto Istro, populantes, nec multo post Quados et Marcomannos, superato Danubio Rhaetias ingressos, subegit: quibus in uictoriis annos omnino tres ambo imperatores impenderunt. Obiter autem notandum est, Maximiani imperium ab anno 285. numerari, quo Caesar factus est: ita enim anno imperii uicesimo purpuram deposuerit.

An. V. C. 1040. *Chr.* 287. *Dioclet. imp.* 4. *aetat.* 39. *Maxim. imp.* 3. *aetat.* 37.

Diocletianus tertium, Maximianus secundum consulatum gerunt. Maximianum Massiliae hoc anno fuisse, constat *ex actis Martyrii S. Victoris.*

An. V. C. 1043. *Chr.* 290. *Dioclet. imp.* 7. *aetat.* 42. *Maxim. imp.* 6. *aetat.* 40.

Diocletianus IV. et Maximianus III. consules, deliberaturi de duobus periculosis bellis, Aegyptiaco aduersus Achilleum tyrannum, et Africano aduersus Quinquegentanas gentes in Africa turbantes; item et de Caesaribus creandis, quibuscum huius duplicis belli curam communicarent, acturi: Mediolanum hiemis tempore conueniunt, hic quidem e Germania, ille uero e Persida. *Pan.* 1. *c.* 9.

An. V. C. 1044. *Chr.* 291. *Dioclet. imp.* 8. *aetat.* 43. *Maxim. imp.* 7. *aetat.* 41.

Hoc igitur anno adoptant et Caesares faciunt Diocletianus quidem Galerium Maximianum, hominem in Dacia haud

haud longe a Sardica natum, cui Valeriam filiam collocat, Maximianus uero Flauium Constantium, Constantini Magni patrem, Claudii Aug. ex Claudia, Crispi eius fratris filia, nepotem. Huic Maximianus Maximianam Theodoram, priuignam suam, coniugem dat. Ambo, quas prius habebant, uxores dimittere coacti. Confestim Diocletianus in Aegyptum aduersus Achilleum abit. Idem Galerio genero sue dat limites Danubii defendendos. Maximianus Treueros concedit, ut scilicet ad Alamannos, si trans Rhenum in Gallias irrumperent, reprimendos, et ad opem suis, si opus esset, ferendam esset paratior. Generum uero suum, Constantium, Gesoriacum (Bononiam hodie dicimus) mittit. Illuc Constantius, relicto apud Diocletianum filio Constantino Magno, accurrit. Vrbem, a praesidiariis Carausii militibus et ualidissima classe defensam, incredibili celeritate occupat, inde, si praesto fuissent naues, consecuturus hostem in Britanniam. Interim Batauiam a Francis, Frisiis, et Chamauis, Carausii foederatis, ibi grassantibus, liberat. *Pan.* 1. *c.* 11. *Pan.* 4. *c.* 6. *Pan.* 5. *c.* 4. *Pan.* 6. *c.* 5.

An. V. C. 1045. *Chr.* 292. *Dioclet. imp.* 9. *aetat.* 44. *Maxim. imp.* 8. *aetat.* 42.

Imperatores Constantio et Galerio Caesaribus Tribuniciam potestatem conferunt. Maximianus Rheno insistit, ut Francos et Alamannos contineat, interea dum Constantius cum classe in Britanniam appellere nititur. At repentina tempestate repulsus foedus cum Carausio inire, Britanniarumque imperium ei remittere necesse habuit. *Eutrop.*

An. V. C. 1046. *Chr.* 293. *Dioclet. imp.* 10. *aetat.* 45. *Maxim. imp.* 9. *aetat.* 43.

Diocletianus V. Maximianus IV. Conſulatum ineunt. Illum tropaea Perſica uſque eo amentiae adegerunt, ut Caligulae et Domitiani exemplo adorari ſe tanquam deum uellet: ad cuius nominis maieſtatem aut conciliandam, aut tuendam, non modo ueſti, ſed et calceis ipſis gemmas pretioſiſſimas inſerebat. Interim Carauſio, per Allectum, ſummum ſub eo rerum adminiſtrum, occiſo, aduerſus hunc Romana claſſis apparatur.

An. V. C. 1047. *Chr.* 294. *Dioclet. imp.* 11. *aetat.* 46. *Maxim. imp.* 10. *aetat.* 44.

Diocletianus aduerſus Baſtarnas, Carpos, et Sarmatas rebelles, Galerium, qui hoc anno cum Conſtantio Chloro gerebat conſulatum, mittit. Defuncta autem eius uxore Valeria, Galerio cum imperator Suſannam, Gabinii affinis ſui filiam, coniugem dare uellet; illa Chriſtiana gentilis hominis nuptias recuſans in paternis aedibus caeditur. Ac duobus poſt annis Gabinius una cum Caio Pontifice, uterino fratre, propter Chriſtianam pariter religionem Diocletiani iuſſu interfectus eſt. Kal. Maii.

An. V. C. 1048. *Ch.* 295. *Dioclet. imp.* 12. *aet.* 47. *Maxim. imp.* 11. *aetat.* 45.

Diocletianus morte afficit Serenam, coniugem Chriſtianam, Valeriae et Eutropiae matrem: quarum haec Herculio, illa Galerio nupſerat. Quod ſpectat ad res bellicas, *Carporum natio*, inquit Idacius, *translata omnis in Romanum ſolum, cuius fere pars iam tum erat ab Aureliano caeſa.*

An.

An. V. C. 1049. *Chr.* 296. *Dioclet. imp.* 13. *aet.* 48. *Maxim. imp.* 12. *aetat.* 46.

Diocletianus VI. conſul Alexandriam octauo obſidionis menſe capit, ibique interfecto ſeditionis auctore Achilleo, direpta Alexandria, euerſisque eius muris, totam Aegyptum uaſtat, Buſirin et Copton, urbes Aegypti primarias, funditus eruit, Saracenos Achillei partium fautores puniri iubet. Interim Galerium, exercitus a Narſeo, Perſarum rege, interciſi reliquias ad ſe in Meſopotamiam, quo ſubacta Aegypto diuerterat, aegre reducentem, per ſummum contemtum ne intuitus quidem, aliquot paſſuum millibus ſinit, quamuis purpuratus ipſe eſſet, ante ſuum carpentum peditem gregarii inſtar militis currere. *Ex Eutrop.* Maximianus uero a Rheni limitibus, quos toto Britannici belli tempore contra Francos et Alamannos ſtrenue defenderat, in Africam tranſire cogitat, Africanum bellum non amplius per duces ſuos, ſed per ſe ipſe geſturus. Igitur paucis poſt menſibus Quinquegentanas nationes in Africa graſſantes profligat, et ſeditionis architectum Iulianum interficit. Mauros uincit, quare ſic illum compellat Mamertinus, *Tu ferociſſimos Mauretaniae populos inacceſſis montium iugis et naturali munitione fidentes expugnaſti, cepiſti, tranſtuliſti*, nempe in Romanas prouincias, quas excolerent. *Pan.* 5. *c.* 8. Interea cum Alamanni Maximianum procul a ſuis finibus uiderent Africano bello intentum, Rhenum glacie concretum transgreſſi in Gallias hoſtiliter irruunt. Quo nuntio commotus Conſtantius obuiam iis procedit cum exercitu, ac primum infelici exitu pugnat uulneraturque, mox redintegrata pugna ad Lingonas LX. Alamannorum millia caedit,

Vindo-

Vindonissam hostium strage complet, reliquos in Batauia, quo fugerant, captos ad deditionem compellit.

An. V. C. 1050. *Chr.* 297. *Diocl. imp.* 14. *aetat.* 49. *Maxim. imp.* 13. *aetat.* 47.

Maximiano V. consule, Diocletianus Galerium II. consulem, e Persida, ubi profligato Narseo amissi anno superiore exercitus probrum eluerat, reuertentem, honorifice in Mesopotamia excipit. Hac autem Galerii uictoria quinque prouinciae recuperatae sunt, imperiique limites ad Tigrim usque extensi. *Eutrop.* Diocletianus Nicomediam et Maximianus in Gallias reuertuntur.

An. V. C. 1051. *Chr.* 298. *Dioclet. imp.* 15. *aetat.* 50. *Maxim. imp.* 14. *aetat.* 48.

Imperatores deuictis tandem cunctis hostibus, et pacato orbe terrarum, Romam regressi, dilatum hactenus, propter uaria, quibus impediebantur, bella, triumphum agunt, ingenti ferculorum pompa, antecedentibus currum Narsei coniuge, sororibus, liberis, et omnibus Parthorum spollis.

An. V. C. 1052. *Chr.* 299. *Dioclet. imp.* 16. *aet.* 51. *Maxim. imp.* 15. *aetat.* 49.

Diocletiano VII. et Maximiano VI. Coss. uicti sunt Marcomanni. *Idac.* Thermae Romae Diocletianae factae, et Maximianae Carthagine. *Euseb. in Chron. Auson. in carmine de claris urbibus. Scaliger in Euseb. ex ueteri lapide.* Idem Maximianus Palatium Aquileiae, et amphitheatrum Veronae exstruit.

An. V. C. 1055. *Chr.* 302. *Diocl. imp.* 19 *aetat.* 54. *Maxim. imp.* 18. *aetat.* 52.

Grauissima persecutio in Christianos coepta est, quae decima fuit.

An.

An. V. C. 1056. *Chr.* 303. *Dioclet. imp.* 20. *aetat.* 55. *Maxim. imp.* 19. *aetat.* 53.

Diocletianus VIII. et Maximianus VII. conſulatum gerunt.

An. V. C. 1057. *Chr.* 304. *Dioclet. imp.* 21. *aet.* 56. *Maxim. imp.* 20. *aetat.* 54.

Conſtantinum quoque Caeſarem factum eſſe addit *Victoris epitome*, haud dubie a Conſtantio patre. Galerius, Conſtantinum abſque ſuſpicione crudelitatis e medio ſublatum uolens, in expeditione aduerſus Sarmatas uariis periculis obiecit, ut *ex Valeſii Anonymo* fuſius dicetur in Conſtantini uita. Interim ita Conſtantium inter et Galerium Romanum imperium diuiſum eſt, ut Galerius Illyricum, Aſiam et Orientem obtineret, Conſtantio uero Gallia, Italia, Africa obtingeret. At Conſtantius Galliis contentus Africam et Italiam remiſit Galerio, qui tot regionibus adminiſtrandis cum par eſſe non poſſet, Seuerum illico Italiae, Maximinum praefecit Orienti, ipſe Illyricum ſibi retinuit. *Quod Conſtantinus*, ut ait Victor, *Caeſar quoque effectus*, haud dubie a Conſtantio, et *a Galerio religionis ſpecie ad uicem obſidis detentus*, ut in eius locum Seuerus intruderetur, *tolerare nequiens*, ad Conſtantium in Britanniam confugit; Eboracumque peruenit, VIII. Kal. Auguſti, anno Chr. 306. ubi eodem die eius pater e uiuis exceſſerat. *Idacius.* Ante tamen ſucceſſor a patre deſignatus fuerat, *Zoſimus*, cunctis, qui aderant, annitentibus, ac praecipue Eroco, Alamannorum rege, auxilii gratia Conſtantium comitato, inquiunt *Victor et Zoſimus.* Addit *Eumenius*, exercitus ſuffragationem acceſſiſſe. At ille nihilo-

nihilominus Caesaris appellatione contentus Augusti nomen recusauit.

Diocletianus IX. Maximianus VIII. consules, purpuram ponunt Kal. Aprilis, ille Nicomediae, hic Mediolani, in templo Iouis Capitolini. Ille ex imperii fortasse taedio, aut aduersae fortunae metu: hic, ut Diocletiano, quem huc usque tanquam parentem coluerat, obtemperetur: uterque ex desperatione Christianae religionis abolendae: hic in Lucaniam, ille Salonas concessit. Simul uero Constantius et Galerius Augusti nuncupantur. Caesares fiunt Seuerus et Maximinus, uel a Diocletiano aut Maximiano, ut ait *Idacius*: uel a Galerio, ut contendit *Eutropius*.

An. V. C. 1060. *Chr.* 307. *Constantini* 2.

Maximianus IX. Consul, qui simul cum imperio nunquam imperandi cupiditatem deposuerat, ubi Maxentium (quem alii Maximiani ex Eutropia Augusta, alii Eutropiae Aug. ex Eutropio Syro priore marito: Victor ab Eutropia suppositum tradit) mortuo Constantio Romae acclamatum a praetorianis imperatorem audiit, Lucaniae solitudinem deserit; in speciem, ut motus rei publicae imminentes sedaret, reuera autem, ut resumeret imperium. Porro Diocletianum, Carnunti in Pannonia, non Carnuti in Celtica, ut uult *Zosimus*, agentem, ad idem faciendum per literas cohortatur. At ille: *Vtinam*, inquit, *Salonae possetis uisere olera nostris manibus instituta! profecto nunquam istud tentandum iudicaretis.* Qua Diocletiani constantia, Maximianus nihilo magis ab incepto deterritus, Romam contendit: ubi insignibus imperatoriis, et Augusti nomine iterum sumto, Rauennam uenit, Seuerum

uerum mala fraude perdit, sed et Maxentium dolo nequicquam adortus, re agnita purpuram denuo exuit, ac non sine uitae periculo Treueros, Galliae Belgicae urbem, ad Constantinum sub specie officii, moliturus ei quoque insidias, confugit. Ab eo humanissime excipitur: Pro quibus officiis Maximianus Faustam filiam ei dat in coniugem, cum Augusti nomine, quod prae modestia, ut diximus, huc usque recusarat.

An. V. C. 1061. *Ch.* 308. *Constantini* 3.

Maximianum haud deliniit haec generi sui Constantini humanitas ac concessus, ut aliqui putant, decimus consulatus. Quin potius commodum recuperandi imperii tempus nactum se esse ratus, dissimulato consilio Treueris discedit, Arelate resumit purpuram, tum Massiliam fugit, unde nauigaturum se sperans in Italiam ad Maxentium, ibi oppressus interiit fractis laqueo ceruicibus, *Epit. Victoris*, si Eusebio fides est, se ipse strangulauit, *lib.* 8, *c.* 29. Obiit anno aetatis sexagesimo. *Victor.*

An. V. C. 1069. *Chr.* 316. *Constantini* 11.

Diocletianus obit III. nonas Decemb. *in uilla sua Spalato haud procul Salonis*, inquit Zosimus, uel ut alii legunt, *Salonae in uillae suae palatio.* De eius obitu uariae sunt auctorum sententiae. *Morte consumtus est*, inquit Victor, *ut satis patuit per formidinem uoluntaria. Quippe cum a Constantino atque Licinio uocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minus interesse ualeret, excusauisset: rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur, Maxentio fauisse, ac Maximiano fauere, suspectans necem dedecorosam, uenenum hausisse dicitur.* Alii suae mentis impotem contabuisse

buisse dicunt: eiusque palatium ictu fulminis absumtum fuisse, *Euseb. hist. l.* 8. Alii senatus iussu strangulatum, *Zonaras.* Alii corpore putrefacto, et, ut addit Cedrenus, lingua uermibus scaturiente obiisse. Quod uereor, ne in osorem Christianae religionis imperatorem iracunde nimis dictum sit. Certe *contigit ei, quod nulli post natos homines, ut, cum priuatus obiisset, inter diuos referretur,* Eutrop. Imperauit annis non 25. ut ait uulgaris epitome Victoris, sed 20. tantum, ut ait Victor Schotti, ceterique consentiunt. Vixit annos 68. inquit Victor. Sed quoniam Maximianus sexto ante Diocletianum anno, aetatis uero sexagesimo obiit, atque ita Diocletianus non nisi duobus annis Maximiani anteibat aetatem, aliquam obiicere difficultatem potest locus Mamertini in utriusque imperatoris Genethliaco, ubi ambos alloquens: *Quae* (similitudo) *ne etiam interuallum uestrae uincit aetatis, et seniorem iunioremque caritate mutua reddit aequales: ut iam illud falso dictum sit, non delectare societatem rerum, nisi inter pares annos. Intelligimus enim, sacratissimi Principes, geminum uobis, quamuis dispares sitis aetatibus, inesse consensum, etc.* c. 7. Hinc enim colligi posse uidetur maius inter utriusque aetatem fuisse, quam duorum annorum, interuallum. Quapropter Baronius, cum ex Victore Diocletianum uixisse annos 68. in contextu scripsisset, ad oram libri legit 78. Totidem annos ei attribuunt Pomponius Laetus et Io. Bap. Egnatius, quibus ego etsi facile assentior, propter hunc Mamertini locum, tamen in hac utriusque uita secutus sum communem sententiam.

Vterque genere fuit ignobili, statura magna, firmo et procero corpore, uultu feroci: uterque sub Probo et Aureliano

reliano scientiam militarem edoctus, pari uterque in Christianos saeuitia, sed Diocletianum uel pietas in deos, uel amittendi regni metus crudelem efficiebat; Maximianum sola innata ferocia. Ille *consilii semper alti*, inquit Ammianus, *nonnunquam tamen effrontis, sed prudentis.* Vt, quo tendebat, peruenirent uim semper adhibens; hic fraudem, si minus uis succederet. Quam ille arrogans, et diuinorum honorum cupidus, tam iste effusus in omnem libidinem. Postremum in hoc praeter aliquam militiae peritiam, nihil non agreste et humile, in illius uero uel uitiis inerant quaedam magnae mentis indicia.

DE AVCTORE HVIVS PANEGYRICI, ET QVO LOCO AC TEMPORE HABITVS SIT.

Huius et sequentis Panegyrici eumdem auctorem esse cum persuadet stili affinitas, tum uidetur auctor ipse innuere. *Voueram, ut me dignatione, qua pridem audieras, rursus audires.* Pan. 2. c. 1. et c. 5. *De uictoriis uestris multi summa eloquentia praediti dixerunt, et ego pridem, cum mihi auditionis tuae diuinae dignatio eam copiam tribuit, quantum potui, praedicaui.* Accedit Sigonii, Liuineii et Puteani ita existimantium auctoritas. Hunc autem auctorem esse Mamertinum indicio est Panegyrici titulus. Ac Mamertinum alium fuisse oportet ab eo, qui post septuaginta annos elegantissimo Panegyrico gratias egit Iuliano imp. de consulatu. Etsi nominis fortasse similitudo fecit, ut aliqui ex duobus Mamertinis unum feciſſe uideantur.

Habitus est XI. Kal. Maii. die urbis natali. *Hoc die, quo immortalis ortus dominae gentium ciuitatis celebratur,* c. 1. anno Christi 292. cum Constantius Bononia capta, purgataque a barbaris Batavia, classem, ut est c. 11. *et* 12. in Britanniam transiturus appararet: cum Diocletianus esset in Oriente, c. 14. praesente Maximiano Aug. *Quanto tandem studio laudari te hic a nobis conuenit, qui te praesentem intuemur?* c. 2. Non Romae: capite enim 13. quanto nunc ciuitas illa (Romam intelligit) esset augustior, si nos *(imperatores)* conspiceret. In Gallia: *quoniam hunc optimum principem* (Maximianum) *in Galliis suis retinet ratio reipublicae,* c. 13. Treveris, ut putat post Sigonium et Liuineium Cl. Puteanus, et uero erat urbs ista imperatorum domicilium, cum in Galliis uersabantur.

C. G. SCHWARZIVS DE AVCTORE ET SVMMA HVIVS PANEGYRICI.

I.

Hic Panegyricus uulgo quidem *Claudio Mamertino,* tanquam auctori, hodie adscribitur: res tamen, si penitius excutiatur, non parum dubia uidetur. Certe in nostro Codice nomen *Mamertini* haud deprehenditur: cum ibi haec inscriptio minio signata sit: GENTHLIACI RHETORIS OPTIMI PANEGYRICVS DICTVS DIVO MAX. AVGVST. Nescio, an rudis librarius, ex sequenti *Panegyrico Genethliaco* itidem *Maximiano Aug.* dicto, nomen *Genthliaci*, tanquam proprium, finxerit, et huc transtulerit? An ab initio simpliciter, sine nomine auctoris, scriptum fuerit: *Genethliacus Panegyricus Maxi-*

Maximiano Aug. dictus? quia hic ipſe Panegyricus die natali urbis Romae habitus eſt. Neque enim eſt, quod cogitemus, hoc nomen proprium fuiſſe alicuius oratoris iſtius aeui: quamquam ſimile inualuit nomen; cum Auguſtinus Epiſtola CLXIII anno quidem 399 ſcripta, mentionem fecerit alicuius *Genethlii*, beatae memoriae, eui in munere ſacro ſucceſſerit Aurelius Carthaginienſis. Interim, in priore libro Gudiano, ex alio Codice MS. idem fere titulus ſic exprimitur: V. C. *Genethliaci, Rhetoris optimi, παναγυρικὸς dictus Diuo Maximiano Aug.* In eodem libro Gudiano, ex alio Codice MS. hic titulus exhibetur: *Panegyricus Maximiano Herculio Diocletianoque in natali Vrbis dictus.* In altero uero libro Gudiano annotatum eſt, in quodam Cod. MS. plane deeſſe titulum huic Panegyrico, qui ibi inter ceteros numeretur X. Etiam Claud. Puteanus iam annotauit, *titulum* huius Panegyrici uarie in libris notari. Aliquando ita inſcribi: *F. Genethliaci, Rhetoris optimi, παναγυρικὸς dictus Diuo Maximiano Aug.* Aliquando ſic: *Panegyricus Maximiano de natali Romae die.* Aliquando hunc in modum: *Incerti auctoris Maximiano.* Atque ita etiam in principe editione Franc. Puteolani hic titulus excuſus eſt: *Panegyricus Maximiano, Diocletianoque, dictus.* Qui titulus etiam in Cuſpiniani editione inuenitur. Primus, quantum nobis conſtat, Beatus Rhenanus in impreſſis hanc inſcriptionem exhibuit: *Panegyricus Maximiano Aug. dictus* a MAMERTINO, *ut putatur. In quo Diocletiani quoque laudes continentur, qui cum Maximiano imperauit.* Quam inſcriptionem etiam *Henr. Stephanus*, A. 1591. retinuit. At A. 1576, *Paulus Nauius*, ſimpliciter et ſine haeſitatione

hunc titulum edidit: *Panegyricus Mamertini Maximiano Diocletianoque.* In argumento autem: *Arbitror*, inquit, *hunc esse dictum a Mamertino, ut ex sequenti panegyrico cognosci potest; sed Diocletiano absente. Etenim, si Diocletianus adfuisset, omnino esset praeponendus* etc. A. 1607 a *Grutero*, forte libros MSS. Palatinos secuto, ita inscriptus est: *Claudii Mamertini Panegyricus Maximiano Augusto:* quem reliqui editores imitati sunt. Atque ita etiam *Carolus Sigonius*, qui *Libr. I. Histor. de occidentali imperio*, aliquot loca ex hoc ipso, de quo agimus, Panegyrico excitauit, eum sine haesitatione adscripserat *Mamertino*; cum bonae notae exemplari, siue codice MS. quantum ex indiciis non obscuris colligimus, usus uideatur. Sic *pag.* 8 *edit. Basil.* A. 1579: *Exstant*, inquit, *orationes aliquot post a Mamertino Rhetore ad Maximianum in Gallia dictae, quibus utrumque significatur.* Mox uero locum affert, qui nunc legitur *cap.* 3. et 4. *huius Panegyrici.* Item, *pag.* 12, ex *Cap.* 4. PORRO, *pag.* 14, ex *Cap.* 4; ubi haec praefatur: *Quod factum, ut singulari felicitate commemorandum, Mamertinus deinceps sic Gallica dicendi copia celebrauit.* Et denique, *pag.* 20; ubi plura uerba ex *Capp.* 12, 13 et 14, affert, ita quasi dubitanter loquitur: *In ea solennitate (XI Kal. Maii)* MAMERTINVS *idem*, ut existimatur, *orationem habuit, in qua, expositis Maximiani rebus omnibus, quas commemorauimus, demum de Constantio, et apparatu instantis belli Britannici, ita disseruit.* Quamuis itaque haec res nondum prorsus expedita et certa uideatur, cui auctori hic Panegyricus sit adscribendus; nolumus tamen nomen *Mamertini* deturbare de possessione iam uulgo probata; inprimis, cum et princeps editio Franc. Pu-

teo-

teolani, et editio Vindobonenſis Cuſpiniani, eandem indicio quodam confirmare uideantur; utpote in qua utraque editione ſequenti Panegyrico, cuius initium eſt: *Omnes quidem homines*, etc. hic titulus praefigitur: EIVSDEM MAMERTINI GENETHLIACVS MAXIMIANI AVGVSTI. Iam autem hunc Genethliacum nullus alius proxime antecedit Panegyricus, quam hic ipſe, qui nobis nunc ſub manibus eſt. Huc praeterea accedit non obſcura in utroque Panegyrico ſtili affinitas, quae eundem utriusque auctorem indicat. Num uero et is *Mamertinus*, qui Maximiano hos duos dixit Panegyricos, et is, qui Iuliano Imperatori de conſulatu ſibi delato gratias egit, unus idemque fuerit auctor? alio tempore diſquiremus.

II.

Iam, quod ad primarium huius Panegyrici argumentum attinet, quod uberius exponit illuſtratque *Iacobus de la Baune*; hic ipſe Panegyricus, potiſſimum *Maximiano Herculio*, Auguſto, XI Kal. Maii, h. e. XXI Aprilis, natalem urbis Romae celebranti, et tunc forte Treuiris, primario Galliae Belgicae opido, agenti, dictus eſt, ita tamen, ut laudes quoque Diocletiani abſentis, qui cum Maximiano imperauit, ſimul complectatur. In EXORDIO, *Capite* quidem I, et II, rationem affert Orator, cur Imperator maxime laudandus ſit die natali Vrbis Romae, cuius, ſi non conditori, certe conſeruator reſtitutorque ſit? Ratio haec proditur, quod, cum iis diebus Hercules multo honore a Romanis colatur, qui ſaltem hoſpes aduenerit in Italiam; multo aequius ſit, eodem tempore etiam laudari *Maximianum Herculium*, qui maiores geſſerit res, et inſigniora beneficia praeſtiterit Ro-

mae. Loco PROPOSITIONIS, Mamertinus, *Cap.* II. primum dubitatione et praeteritione utitur, unde ordiatur laudes? Deinde Maximiani res imperio geſtas, tanquam tempori congruenter commemorandas, per compendium proponit. In *parte* I. TRACTATIONIS, generatim oſtendit, *Maximianum* a Diocletiano in Imperii conſortium adſcitum, plus tribuiſſe, quam acceꝑiſſe, beneficii; *Cap.* II. Deinde ſententiam hanc illuſtrat comparatione Maximiani cum Hercule: quia, uti hic Ioui Gigantum bello laboranti; ita ille Diocletiano, opem ferre non recuſarit. *Parte* II, confirmat haec Orator ſingulari recenſione rerum a Maximiano usque ad id tempus geſtarum. Nimirum:

1) Quia Maximianus ruſticanorum factionem compeſcuerit. *Cap.* IIII.

2) Quia Burgondiones, et Alemannos; item Chaibonas, et Erulos, irruentes in Galliam, repreſſerit. *Cap.* V.

3) Quia ipſe Maximianus, die auſpicali conſulatus ſui, Alemannos, denuo ad depopulandam Galliam Rhenum transgreſſos, fortiter repulerit. *Cap.* VI.

4) Quia idem Maximianus, transgreſſus in Germaniam, armis uicerit hoſtes, ſecuramque reddiderit Galliam; uti Diocletianus uel ſola auctoritate nutuque ſibi ſubiecerit, repreſſeritque hoſtem ultra Euphratem. *Cap.* VII. Quod factum exaggerat Mamertinus comparatione Scipionis. *Cap.* VIII. Item alio exemplo Diocletiani, qui, Rhaetiam ingreſſus, Romanum limitem protulerit. *Cap.* VIIII.

5) Quia Diocletianus et Maximianus ex diuerſis orbis partibus conuenerint, et mira uirtutum conſiliorumque conſenſione res imperii curarint, geminis illis Regibus Lacedaemonis, Heraclidis, concordiores. *Cap.* VIIII.

6) Quia

6) Quia Maximianus Regi Francorum reſtituerit regnum, et alii conceſſerit pacem; ſicut Diocletianus Regem Perſarum redegerit in ordinem. *Cap.* X.

7) Quia utrique hi Imperatores, concordia ſua iuſtitiaeque ſtudio, tum per ſe, tum per adminiſtros, maxima afferant bona imperio. *Cap.* XI.

8) Quia Pirata, Carauſius, eo ſit redactus, ut timeat exitium ſuum; et quia claſſis aduerſus eum apparata fortunatum ſpondeat belli euentum. *Cap.* XII.

In EPILOGO orator felicem praedicat Romam his imperatoribus tam concordibus. *Cap.* XIII. deinde feliciorem in futurum auguratur, ſi uideat eos reduces uictores, una cum Maximiani filio. etc. *Cap.* XIIII.

III.

Etſi adeo hic Panegyricus potiſſimum in honorem *Maximiani Auguſti* dictus eſt; non minus tamen orator identidem etiam in laudes *Diocletiani, ſenioris Auguſti*, digreditur. Quamobrem de utriusque uita, rebusque geſtis, non nihil praelibandum duximus. Cum uero in horum annis imperii ad Faſtos Romanos digerendis iam diligenter uerſati fuerint uiri eruditiſſimi, *Noriſius*, *Pagius*, *Relandus*, aliique; ex his, quae nobis probabiliora uiſa ſunt, breuiter nunc repetere licebit.

Anno Chriſti 284; A. V. 1037: *Carino Aug.* II, et *Numeriano Aug. Conſulibus*, poſt occiſum Numerianum, XV Calend. Octobr. i. e. die XVII Septembris, C. AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS renuntiatus eſt Imperator, ut tradit auctor *Chronici Alexandrini*, ad hos Conſules: Διοκλητιανὸς ἀναγορευθεὶς πρὸ ιϛ Καλανδῶν Ὀκτωβρίων ἐν Καλ-

κηδόνι, ἐισῆλθεν εἰς Νικομήδειαν πρὸ ἑ Καλανδῶν Ὀκτωβρίων μετὰ πορφυρίδος. Καὶ Καλάνδαις Ἰανυαρίαις προῆλθεν ὕπατος. h. e. *Diocletianus renuntiatus Imperator XV Kal. Octobres* [h. e. die XVII Sept.] *Chalcedone. Nicomediam V Kal. Octobr. cum purpurea chlamyde ingressus est. Deinde Kalendis Ianuariis Consul processit.* Huc pertinent, quae Eutropius, *Libr.* VIIII *Cap.* XVIIII, scribit: *De Perside uicta exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine; Numerianum Caesarem insidiis, perdidisset;* DIOCLETIANVM *Imperatorem creauit, Dalmatia oriundum, uerum obscurissime natum, adeo, ut a plerisque scribae filius, a non nullis Anulini Senatoris libertinus, fuisse credatur.* Hoc eodem anno, ac quidem XII *Kal. Decemb.* [h. e. XX Novembr.] Diocletianus, ut Carinum facilius opprimeret, M. VALERIVM AVRELIVM MAXIMIANVM HERCVLEVM Caesarem nuncupauit. Id quod Pagius, in *dissertatione Hypatica Part. I. Cap. II. n. VIIII. et in critic. Baron. ad h. a.* ex Lactantii *Cap. XVII de mortibus persecutorum*, aliisque indiciis, ostendit.

A. C. 285, *Diocletiano Aug.* II, et *Aristobulo, Consulibus*, Carinus, Imperator, occisus est, tertio imperii sui Augustei anno, teste Idacio. Tunc *Bagaudae*, i. e. rusticorum factio, in Galliis seditionem conciuerant; quos domuit *Maximianus Caesar.* Huc referimus, quae narrat Eutropius, *Libr.* VIIII, *cap.* 20: *Postea Diocletianus Carinum, omnium odio et detestatione uiuentem apud Margum,* [Moesiae opidum] *ingenti proelio uicit, proditum ab exercitu suo. — — Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, et factioni suae Bagaudarum nomen imponerent,*

rent, duces autem haberent Amandum et Aelianum, ad subigendos eos MAXIMIANVM HERCVLIVM, CAESAREM, *misit; qui leuibus proeliis agreſtes domuit, et pacem* [partem] *Galliae reformauit.*

A. C. 286, *M. Iunio Maximo II, et Vettio Aquilino, Conſulibus, leuatus eſt Maximianus Senior,* (ſiue Herculius) *die Kalendarum Aprilium,* inquit Idacius in *Faſtis;* cum ſcilicet *Diocletianus* ſentiret, ad compeſcendos tot motus ſibi conſorte imperii opus eſſe. Scilicet tunc *Diocletianus* in hibernis morans, ac bellum aduerſus Perſas ibi adornans, *Maximianum* renuntiauit Auguſtum. Eodem anno Germani, ſuperato Rheno, in Galliae opida impetum fecere; quos autem fortiter debellauit Maximianus. De qua uictoria loquitur Mamertinus, *Cap. V Panegyr.* Quin et eodem hoc anno Carauſius, claſſi per tractum Belgicae et Armoricae parandae, et propulſandis Germanis, maria infeſtantibus, praefectus, ob ſuſpicionem uero muneris non recte adminiſtrati, a Maximiano iuſſus occidi, purpura ſumta, Britannias occupauit. Quam rem narrat Eutropius, *Libr. VIIII, cap.* 21.

A. C. 287, *Diocletiano Iouio, Aug. III, et Maximiano Herculio, Aug. Conſulibus,* ipſis Kalendis Ianuariis, Maximianus Auguſtus inſignem uictoriam retulit de Germanis, qui ad Treuiros usque, in qua primaria Galliarum urbe ipſe agebat, peruenerant. Diocletianus uero rem aduerſus Perſas feliciter geſſit, dum Narſeo, Perſarum Regi, bellum de proximo oſtentans, tantum incuſſit terrorem, ut hic non tantum aduentanti Imperatori ultro ceſſerit Syria; ſed etiam pacem ſupplex per legationem rogauerit. De Maximiani uictoria agit Mamertinus *cap. VI. Panegyr.*; de Diocletiani

rebus in Perſia geſtis, *Cap. VII.* Ex his itaque rebus geſtis utrique Auguſto triumphus Romae decretus fuiſſe uidetur; qui quamuis non re ipſa fuerit tunc peractus, tamen nummo cuſo memoriae proditus eſt. Neque enim quadrigae in nummis ſemper triumphos reuera actos; ſed aliquando tantum a Senatu decretos, deſignant. Huiusmodi nummum, in Gaza Medicea aſſeruatum, *Cardin. Noriſius* egregia diſſertatione illuſtrauit. In cuius nummi aduerſa parte conſpiciuntur Imperatores, Diocletianus et Maximianus, ſe reſpicientes, et laureati, ac conſularibus trabeis induti, ſcipionem conſularem manu geſtantes, in cuius ſummitate aquila appāret. Auerſa nummi pars exhibet currum triumphalem, iunctis quatuor elephantibus. In curru ſtant Imperatores, et deſuper Victoria, quae hinc inde palmas ſpargit. In aduerſa parte haec legitur epigraphe: IMPP. DIOCLETIANO ET MAXIMIANO AVGG. In auerſa: IMPP. DIOCLETIANO III ET MAXIMIANO COSS. Recte hic nummus refertur ad A. C. 287, in quo utrique hi Imperatores conſulatum geſſere, et *Diocletianus* quidem tunc tertium; *Maximianus* uero adhuc ſine numero. Diocletianus, pace cum Narſeo inita, in Europam ſe contulit, et Rhaetiam ingreſſus, Romanum limitem protulit, ac cum Maximiano de rebus Imperii, et forte de bello aduerſus Carauſium, qui Britannias occupauerat, ſuſcipiendo, deliberauit. Cuius colloquii mentionem facit Mamertinus, *cap. VIIII.* Eodem anno igitur naues aduerſus Carauſium aedificari coeptae; de quibus commemorat Mamertinus, *cap. XII.*

A. C. 288, *M. Aurelio Valerio Maximiano Herculio Aug. II. et Pomponio Ianuario, Conſulibus,* uidetur Maximianus

nus Rhenum transgreſſus arma uictricia tuliſſe in Germaniam, ſecuramque reddidiſſe Galliam, et Regi Francorum reſtituiſſe regnum.

A. C. 289, *Tib. Baſſo II, et Quinctiano, Conſulibus*, Mamertinus, die natali Vrbis Romae, ſcilicet XXI Aprilis, Panegyricum hunc dixit, ut recte probat Noriſius; quamquam Pagius eum referat ad annum proxime antecedentem. Sed cum eo anno, poſt CHRISTVM natum 288 Maximianus Conſulatum geſſerit; nulla ratio apparet, cur Mamertinus tunc nullam mentionem iniecisſet huius conſulatus, Imperatorisque faſces ueneratus eſſet. Sed neque ad poſteriores annos commode referri hic poteſt panegyricus. Etenim, cum is ante habitus ſit, quam educta eſſet claſſis aduerſus Carauſium; utpote cui claſſi Orator felicem egreſſum expeditionemque ominatur: uix credibile eſt, eam fere per biennium in mari uagatam eſſe, priusquam cum Carauſio conflixerit. Præterea in hac oratione, neque claſſis infeliciter diſiectæ, neque Cæſarum a Diocletiano et Maximiano iam deſignatorum, fit mentio.

A. C. 290, *Diocletiano Iouio IIII et Maximiano Herculio III Auguſtis, Conſulibus*, Carauſius, bello nauali ſuperior, Maximiani claſſe partim capta, partim aduerſa tempeſtate diſiecta, pacem, et Auguſti titulum, obtinuit.

A. C. 291, *Iunio Tyberiano II, et Caſſio Dione, Conſulibus*, Diocletianus et Maximianus Imperatores, uenere Mediolanum, ut de Caeſaribus creandis deliberarent; prout et ſequenti anno *Conſtantium Chlorum*, Conſtantini M. Patrem, et *Galerium Maximianum*, Cæſares nuncupauere.

Ceteras res horum Imperatorum in praeſenti proſequi ſuperſedemus, quum ad illuſtrandum hunc Panegyricum non pertineant.

SYN-

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO, *rationem affert, cur natali Vrbis die potiſſimum laudari imperatorem oporteat, cuius ſi non conditor, reſtitutor certe ſit. Quod ſi tanto honore iis diebus Hercules a Romanis colitur, quod eum de Geryone uictorem in Italiam aduenisſe meminerint, multo magis ſibi et Gallis ceteris laudandum eſſe Maximianum, quem compreſſa Bagaudarum ſeditione in Gallia praeſentem intueatur. Primum dubitat, quid in eo laudare maxime debeat, utrum eius in patriam merita? an genus, nomenue ductum ab Hercule? an traductam in caſtris adoleſcentiam? an demum eius uictorias? Haec ita praetermittit, ut laudet ſingula.* DISTRIBVTIO *uidetur eſſe. I. Quid, ante imperium. II. Quid in imperio geſſerit. Priorem partem perſtringit tantum, in altera commoratur. Adoptatus a Domitiano in ſummis reip. anguſtiis uelut Hercules Atlanti opem ferre non recuſat,* c. 3. *Ruſticanorum factionem, quibus Bagaudarum nomen, ducibus Aeliano et Amando excitatam comprimit,* c. 4. *Vixdum ſopito illo bello Burgundiones, et Alamannos, excidium Galliae minitantes, ita obſidet, ut prae multitudine fame et peſte conficiantur. Chaibonas atque Erulos irrumpentes reprimit primum, tum eorum fines ingreſſus ſumma internecione delet,* c. 5. *Simul adoptatur, ſimul fit Caeſar, Conſul, ſimul aduerſus Bagaudas properat: unde redux incredibili populorum concurſu et laetitia Treueris excipitur,* c. 6. *Quantam ſecuritatem hac uictoria Galliis attulerit,* c. 7. *Maximianus e Germanico bello uictor, Diocletianus e Perſico Mediolanum conueniunt; de bello Aegyptiaco et Africano, ac de Caeſaribus creandis deliberaturi,* c. 9. *Maximianus ſuum Genebo regnum reſtituit, Eſatech regem conſtituit, dum Diocletianus in oriente Narſeum, Perſarum regem, ad deditionem compellit,* c. 10. *De concordia utriuſque imperatoris. De expeditione maritima, quam Maximianus Conſtantio Caeſari, genero ſuo, aduerſus Carauſium commiſerat. Ex felicibus huius belli initiis bonum eius exitus omen ducit,* c. 11. IN FINE *Romam compellat, quam feliciorem eſſe dicit ſub Diocletiano et Maximiano, quam ſub Remo et Romulo. Eandem addit auguſtiorem futuram et natales ſuos celebraturam multo iucundius, ſi horum conſpectu frueretur,* c. 13. *Hanc rogat, ne Treuerenſi Vrbi illos inuideat; aut, ſi triumphantes imperatores breui in ſinu acceptura ſit, Diocletianum ocyus Orienti, Maximianum Galliis reddat,* c. 14.

I. CLAV-

I. CLAVDII MAMERTINI PANEGYRICVS MAXIMIANO AVGVSTO DICTVS.

Cum omnibus festis diebus, sacratissime Imperator, debet honor uester diuinis rebus aequari, 1

I, 1. *Cum omnibus festis diebus — religione iungenda est)* Mamertinus habuit hanc orationem die natali Vrbis Romae, h. e. XI Kal. Maii, prout ex sequentibus uerbis liquet; ergo in Exordio ait, aequum esse, ut Maximianus eo die honoretur colaturque; cum Imperatores omnibus festis diebus diuino quodam honore sint colendi; cumque ii, si non conditores, tamen conseruatores sint Vrbis eiusdem. Verba haec Oratoris satis sunt perspicua; neque, quantum nobis constat, hucusque ab alio solicitata, nisi a *Liuineio*; qui, quum in duobus uetustis Codicibus MSS. reperisset: *debent honos*; coniecit, scribendum esse: *debeat honos*: cum litera *a* ab imperito librario facile commutari potuerit in *n*. Atque plane ita scriptum, non solum in Codice nostro, sed in utroque etiam libro Gudiano ex aliis Codicibus annotatum, deprehendimus. Nouimus quidem, particulas *cum, tum*; quando simpliciter copulandi uim habent, et per *non solum; sed etiam*, commode reddi possunt, utrinque uerbum *modi indicatiui* admittere, quemadmodum e. gr. CICERO, *epist. 6. libr.* XVI. *ad famil.* loquitur: *Cum tua et mea ualde interest, te ualere; tum multis est curae.* At enimuero, quando particula, *cum*, non tam *copulatiuam*, quam *causalem* uim habet, et uelut pro *quoniam* ponitur, uti hoc loco; utique rectius cum uerbo *coniunctiui modi* coniungitur. Id quod iam *Liuineius* uariis exemplis ueterum auctorum comprobauit; (sc. *Eumen. in Const.* c. 2, 2. *Cic. pro Balbo*, c. 12. *Plin. Paneg.* c. 46, 7. *et Epist.* 7, 8, 3. et 8, 18, 12. et 10, 66, in f.) Cuius structurae exempla quaedam et nos afferre possumus. Sic enim CICERO exordiitur *Librum I de natura Deorum: Cum multae res in Philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint; tum perdifficilis, Brute, (quod tu minime ignoras)*

quari, tum praecipue celeberrimo iſto et imperantibus uobis laetiſſimo die ueneratio numinis
2 tui cum ſollemni ſacrae Vrbis religione iungenda eſt. Verum eſt enim profecto, quod de origine

ignoras) et perobſcura quaeſtio eſt de natura Deorum. Idem, in initio *orationis pro Deiotaro: Cum in omnibus cauſſis grauioribus*, C. *Caeſar, initio dicendi commoueri ſoleam uehementius, quam uidetur uel uſus, uel aetas mea, poſtulare: tum in hac cauſſa ita me multa perturbant*, etc. Idem in *Laelio*, C. VII: *Cum plurimas et maximas commoditates amicitia contineat; tum illa nimirum praeſtat omnibus, quod bonam ſpem praelucet in poſterum.* Idem, *epiſt.* IIII *Libr.* IIII *ad Famil. Conſilium tuum cum ſemper probauiſſem; tum multo magis probaui, lectis tuis proximis literis.* Idem, *epiſt.* IIII *libr.* VII *ad Atticum: Pompeius, cum ante intelligeret, Caeſarem ab ſe plane alienatum; tum uero proxime iudicauit.* Mittimus multo plura huius generis exempla. Eam adeo emendationem huius loci, etſi non neceſſariam ducamus, cum et uulgatior lectio aliis ſe exemplis tueri queat; haud tamen diſſimulandam exiſtimauimus.

2, 3. *Verum eſt enim profecto, — Herculis fuiſſet hoſpitium.* In priore huius loci periodo, quantum ſcimus, nullus adhuc editor commentatorque aliquid deſiderauit; cum tamen, ſi poſteriorem periodum priori iungas, et utramque expendas accuratius, haud aegre ſuſpicari poſſis, ſubeſſe non nihil lacunae inter eam utramque periodum. In priore enim periodo orator ait, Regem aduenam, ſcilicet Euandrum, condidiſſe palatium Romanum, quod fuerit in ciuitate Romana prima ſedes regia, et primarium palatium numinis, h. e. maieſtatis imperatoriae Diocletiani et Maximiani; cum et multa alia eſſent palatia; prout idem Mamertinus in *Genethliaco, cap.* XI, nominat *Mediolanenſe palatium*; et incertus Orator, in *Panegyrico Maximiano et Conſtantino* dicto, *cap.* VI. *palatium Aquileienſe*; etc. In altera autem periodo, quae, propter formulam connectendi: *neque enim fabula eſt;* αἰτιολογίαν prioris afferre,

ne illius ciuitatis accepimus, primam in ea sedem numinis uestri, sanctum illud uenerandumque

re, eiusque sententiam' probare debet, nihil Orator de Euandro habet; sed potius ex monimento aræ maximae Herculis, et ex officio familiae Pinariae, demonstrat, ibi aliquando Herculis fuisse hospitium, ubi postea exstiterit domus Caesarum. Aut ergo particula *causalis*, ENIM; quae tamen hucusque, omnium librorum, et manu scriptorum, et typis excusorum, auctoritate firmatur, mutanda erit in copulatiuam particulam *etiam*; ut quasi alia res a priore narrari uideatur; aut ducimur ad suspicandum, ante periodum posteriorem iam etiam Herculis mentionem factam esse oportuisse. Huc accedit euidentius uestigium defectus alicuius ex quorundam Codicum MSS. testimonio. Iam enim Liuineius testatur, se in Codice Bertinensi scriptum reperisse: *Regem aduenam condidisse, sed Herculem hospitem condidisse.* Quae scriptura, licet et ipsa fuerit deprauata; saltem indicat, mentionem Herculis quomodocunque praecessisse. Quam lectionem iuuare quidem conatus est Liuineius, dum rescribendum existimauit: *Regem aduenam, et Herculem hospitem, condidisse*; uerum non satis feliciter. Herculem enim fabulae quidem narrant, hospitatum esse, et aliquandiu consedisse, in Palatio, uel Palanteo, ab Euandro condito: sed eundem ipsum Palatium condidisse, nusquam indicant. Propiorem ergo aditum ad necessarium quoddam supplementum, non solum noster, sed et alii Codices MSS. in utroque libro Gudiano annotati, nobis aperiunt, quamquam neque hi locum hunc sine omni corruptela exhibeant. Ita uero ibi scriptum legimus: *Verum est enim profecto, quod de origine illius ciuitatis accepimus; primam in ea sedem numinis uestri sanctum illud uenerandumque palatium, Regem aduenam condidisse*; sed HERCVLEM hospitem consedisse. *Neque enim fabula est*, etc. Particula, *sed*, omnino parum commoda congruensque huic loco uidetur; ideo autem eo facilius indicium affert, eam aliunde accessisse, et pro uoce, *sede*, fortasse aliquantum obliterata, ab imperito librario agnitam, adscitamque fuisse. Vt nimirum hoc supplementum, quod non de nihilo esse uidetur, conciliaremus cum oratione Mamertini; ductu

3 que palatium, regem aduenam condidiſſe. Neque enim fabula eſt de licentia poëtarum, nec opinio

ductu nexus, et quadam neceſſitate ſententiae conſtituendae, coniecimus, locum iſtum ita reſtituendum eſſe: *Regem aduenam condidiſſe, eaque ſede Herculem hoſpitem conſediſſe.* Facile enim fieri potuit, ut non nulli librarii inciderint in Codicem peruetuſtum, in quo, (ut non raro in eiusmodi Codicibus fieri ſolet,) temporis aliusque cauſae uitio, uoces iſtas obliteratas, uel difficulter, uel plane non, legere potuerint. Vnde alii eas prorſus omiſerunt; alii aliquantum corruptius, aut certe non ſine omni defectu, retulerunt, adeoque extincto pronomine, *eaque*, tantum ex euaneſcente uoce, *ſede*, ſolas tres priores literas adhuc agnouerunt, atque exinde effinxere particulam, *ſed*. Vtcunque eſt, emendationem hanc non indignam exiſtimauimus, quam annotaremus. Equidem alicui in mentem uenire poſſit, utique aſſumentum illud quorundam Codicum MSS. ſuperfluum uideri; quoniam omnino, ſi non expreſſa, tamen latens, mentio Herculis iam in his uerbis praeceſſerit: *primam in ea ſedem* NVMINIS VESTRI, i. e. Herculis. Etſi enim ſolus Maximianus cognominaretur *Herculeus*, uti Diocletianus, *Iouius*; adeoque Orator, cum Maximianum coram alloqueretur, tunc ſtricte dicere debuiſſet: *primam ſedem* NVMINIS TVI, i. e. Herculis; attamen cum ambo iſti Imperatores, concordiae ſtudioſiſſimi, omnia inter ſe communia habere uideri uellent, Orator etiam, quamuis ſolum alloqueretur Maximianum praeſentem, non minus recte dicere potuit, *ſedem numinis noſtri*; haud ſecus ac in *Genethliaco, cap.* XIIII, 1, dixit *de Ioue noſtro*; licet alioqui ſolus Diocletianus a *Ioue* cognominaretur *Iouius*. Verum ea loquendi ratio, eiusque interpretatio, nihilominus hoc loco obſcurior foret; neque conſtaret, quomodo palatium Romanum uocari poſſit *prima ſedes* Herculis, qui ſine dubio iam alibi ſuas habuiſſet ſedes. Atque adeo lubentes interim admittimus ſupplementum, quod noſter nobis Codex ſuggerit, et ab aliis confirmatur; usque dum certior lux huic loco affulgeat.

Ad illuſtranda uero ea, quae Mamertinus breuiter de Euandro, Hercule, Ara maxima, et familia Pinariorum,

opinio de fama ueterum ſaeculorum, ſed manifeſta res et probata, ſicut hodieque teſtatur Herculis

C

rum, perſtringit: hic ſubiiciam, quae *Liuius* iis de rebus commemorauit; ut in promptu habeant, qui euoluendi Liuii labore ſuperſedere cupiunt. Is uero *Lib.* I, *cap.* V: *Iam tum in Palatino monte*, inquit, *Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt, et a Pallanteo, urbe Arcadica, Palatium, deinde, Palatinum montem appellatum. Ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſolenne allatum ex Arcadia inſtituiſſe.* Idem, Cap. VII: *Romulus Palatinum primum, in quo ipſe erat educatus, muniit: ſacra Diis aliis, Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Euandro inſtituta erant, facit. Herculem in ea loca, Geryone interemto, boues mira ſpecie abegiſſe, memorant, ac prope Tiberim fluuium, qua prae ſe armentum agens, nando traiecerat, loco herbido, ut quiete et pabulo laeto reficeret boues, et ipſum feſſum uia procubuiſſe. — — Euander tum ea, profugus ex Peloponneſo, auctoritate magis quam imperio, regebat loca. — — Is tum Euander concurſu paſtorum trepidantium circa aduenam, manifeſtae rerum caedis, excitus, poſtquam facinus, facinorisque cauſſam, audiuit; habitum formamque uiri aliquantum ampliorem auguſtioremque humana intuens, rogat, qui uir eſſet? Vbi nomen, patremque, ac patriam, accepit: Ioue nate Hercules, ſalue, inquit, te mihi mater ueridica, interpres Deûm, aucturum coeleſtium numerum cecinit; tibique Aram hic dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens Maximam uocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, accipere ſe omen, impleturumque fata, ara condita atque dicata, ait. Ibi tum primum boue eximia capta de grege, ſacrum Herculi, adhibitis ad miniſterium dapemque Potitiis, ac Pinariis, quae tum familiae maxime inclytae ea loca incolebant, factum. Forte ita euenit, ut Potitii ad tempus praeſto eſſent, iisque extis apponerentur, Pinarii, extis adeſis, ad ceteram uenirent dapem. Inde inſtitutum manſit, donec Pinarium genus fuit, ne extis ſollennium ueſcerentur. Potitii, ab Euandro edocti, antiſtites ſacri eius per multas aetates fuerunt, donec, tradito ſeruis publicis ſollemni familiae miniſterio, genus omne Potitiorum interiit.* Eandem fabulam, ſed, ut in fabulis fieri ſolet, aliquantum uariatam, refert *Dionyſius Halicarnaſſeus, Libr.* I. *Antiquit. Rom.*

pag.

lis ara maxima, et Herculei ſacri cuſtos familia Pinaria, principem illum tui generis ac nominis Palan-

pag. 30. *ſeqq.* Item, *Victor, de origine Gentis Romanae,* Cap. VI et VII. *Macrobius,* Lib. III. *Saturnal.* Cap. VI; *Solinus in Polyhiſtore,* atque alii. Etiam VIRGILIVS Libr. VIII. *Aen.* v. 269, hac de re cecinit:

— — Primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri,
Hanc ARAM *luco ſtatuit, quae* MAXIMA *ſemper*
Dicetur nobis, et erit quae MAXIMA *ſemper.*

Etiam OVIDIVS *lib.* I. *Faſtorum* v. 579. *ſeqq.*

Immolat ex illis taurum tibi, Iupiter, unum
Victor [Hercules] *et Euandrum ruricolasque uocat.*
Conſtituitque ſibi, quae MAXIMA *dicitur,* ARAM;
Hic, ubi pars Vrbis de boue nomen habet.

Tacitus, libr. XV *Annal.* refert, non ipſum ſibi Herculem, ſed Arcadem Euandrum praeſenti Herculi, magnam aram, fanumque, ſacrauiſſe. Cum uero *Liuius, Libr.* VIIII, *cap.* 29, commemoret, iam ſub Appio Claudio, Cenſore, omnes Potitios, quorum ad aram maximam Herculis familiare ſacerdotium fuiſſet, propterea, quod miniſterium eius ſacri delegaſſent ſeruis publicis, ex Deum ira, intra annum cum ſtirpe exſtinctos fuiſſe: hinc factum intelligimus, ut Mamertinus hoc loco praeterierit Potitios in ſacris Herculis; utpote qui iam diu eſſent exſtincti; et tantum Pinariorum mentionem fecerit; qui uſque ad illud aeui durarunt.

Ceterum ſunt aliae adhuc quaedam uarietates huius loci ſtrictim recenſendae. In primo libro Gudiano annotatum eſt, in quodam codice MS. legi: *nec opinio de fama ueterum fabularum;* ubi rectius, et in Codice noſtro, et in omnibus libris excuſis, legitur: — — *ueterum ſaeculorum;* quia in eadem periodo modo praeceſſerat uocabulum, *fabula.* In ſequentibus uerbis Cuſpinianus, aliique editores, habent: *ſicut hodie quoque teſtatur.* Noſter, et Liuineii, et Puteani, Codices, atque alter liber Gudianus, itemque Gruterus et de la Baune, produnt: *ſicut hodieque teſtantur.* Non damnamus, *hodie quoque;* neque tamen non placet, quod tot Codices probant, et uſus Velleii, Senecae, Quinctiliani, Taciti, aliorumque auctorum, confirmat. Porro, plurimi libri editi, qui nobis innotue-

Palantea moenia adiisse uictorem, et, parua licet tunc regia, summa tamen religione susceptum,

notuerunt, habent: —— *Palantea moenia addidisse uictorem.* At Codex noster, et alii in utroque libro Gudiano, pro *Palanted*, scribunt *Pallantea*. Satis bene: nam a *Pallante*, Rege Arcadiae, proauo suo, Euander urbem ad Tiberim conditam, uocauit *Pallanteum*. Vnde et VIRGILIVS, *Libr.* VIII. *Aen. u.* 51, *seqq.* canit:

Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
PALLANTIS *proaui de nomine* PALLANTEVM.

Inde tamen postea deductum est nomen *Palatium*; quod docet *Pausanias*, *Libr.* VIII, *pag.* 689, ubi narrat, Euandrum Nympha, Ladonis filia, et Mercurio, genitum, consilio et bellica uirtute Arcadas ceteros antecelluisse: hunc in coloniam missum, deducta e Pallantio in locum Tiberi proximum, Arcadum manu, opidum condidisse, quod Vrbis Romae postea pars fuerit; appellatum uero de Arcadici opidi nomine ab ipso Euandro, et inquilinorum comitatu, *Pallantium*: posteros uero hoc nomen, duabus literis L et N submotis, immutasse, nempe dixisse *Palatium*. At illud opidum ipsum iam apud *Dionysium Halicarnass. Libr.* I, *pag.* 25, per λ simplex scriptum legitur: ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ τίθενται Παλάντιον, ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως. νῦν μέν τοι Παλάτιον ὑπὸ Ῥωμαίων λέγεται, συγχέαντος τῇ χρόνῳ τὴν ἀκρίβειαν, καὶ παρέχει πολλὰς ἀτόπων ἐτυμολογιῶν ἀφορμάς. h. e. *Huic opidulo a uetere patria nomen imponunt* PALANTIVM; *nunc uero* PALATIVM *a Romanis dicitur, corrupta uoce iniuria temporum: unde multis absurdarum etymologiarum occasio.* Sic idem *Dionysius*, *Libr.* II, *pag.* 77, narrat, Arcadas, digressos ab opido Palantio, secutos Euandrum, Mercurii et Themidis nymphae filium, ducem coloniae; hos domicilium fixisse ad unum e VII collibus, in media ferme Roma situm; quem locum ab Arcadica patria denominarint Παλάντιον, nec multo deinde post Herculem in Italia esse appulsum.

futurae maiestatis dedisse primordia: ut esse posset domus Caesarum, quae Herculis fuisset hospitium. Iure igitur hoc die, quo immortalis ortus dominae gentium ciuitatis uestra pietate celebratur, tibi potissimum, Imperator inuicte, laudes canimus, et gratias agimus, quem similitudo ipsa stirpis tuae, ac uis tacita naturae ad hono-

sum. Nominis *Pallantei*, siue *Palantii*, aliquot absurdas etymologias non solum *Dionysius Halicarnassaeus*, priore loco; sed etiam *Festus*, seu potius *Paulus Diaconus*, interpolator Festi, recensent.

Vnum adhuc restat monendum; nempe antehac in excusis libris Cuspiniani, Rhenani, H. Stephani, Liuineii, Gruteri et Parisiensium, publicatum fuisse: *principem illum, tui generis ac nominis, Palantea moenia addidisse uictorem.* Liuineius iam ex coniectura notauerat in margine, fortasse pro uerbo: *addidisse*, legendum esse: *adisse*. Valentinus Acidalius opinatus est, forte rescribendum esse: *Palatina moenia condidisse uictorem.* Grutero uisum est, suadere argumentum, ut legamus: *adiisse*, prout coniecerint Bongarsius et Liuineius; propius tamen ad literas diuinasse Claudium Puteanum, *adiuuisse*: sic enim ad marginem libri adpictum manu Petri Danielis. Attamen Cl. Puteanus, in *Variarum Lectionum libello*, qui adiectus est editioni Parisiensi A. 1643, notauit, se etiam in ueteri Codice reperisse: *adisse*. Et sic Cellarius edidit: *adiuisse*; Patarol, *adiisse*: Etiam in nostro Codice, et utroque Gudiano libro, exstat: *adisse*. Missum quidem facimus uerbum, *addidisse*; utrum uero *adiuisse*, an *adiisse*, an *adisse*, legas, parui referre arbitramur. S.

I, 4. *quem similitudo ipsa — tam liberalem facit.*) In codice nostro, et in altero libro Gudiano, legimus: *ac uis tantae naturae.* Haud absurde, ut opinamur. Ita CICERO, *Libr.* I *de orat. cap.* XXXXIIII, de patria loquitur: *Cuius rei tanta est uis ac tanta natura.* Nolimus tamen reiicere lectionem uulgatam, *Vis tacita naturae*; est enim uirtus et potestas latens atque occulta naturae. *Quinctilianus, Instit. Orat. Libr.* III. *cap.* 5: *Subest*, inquit, *et temporis et qualitatis tacita uis.* Atque idem, *Declamat.* CCCXXI: *Fratrem*

honorandum natalem Romae diem tam liberalem facit, ut Vrbem illam ſic colas conditam, quaſi ipſe condideris. Reuera enim, ſacratiſſime Imperator, merito quiuis te, tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores; eſtis enim, quod eſt proximum, reſtitutores: et, ſit licet hic illi Vrbi

C 3 nata-

trem ſuum potuit aliquis occider? Non obſtitit tacita natura? CICERO, *Lib.* III *de Orat. cap.* 50: *In hoc ipſo magna quaedam uis incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam ſenſu, ſine ulla arte, aut ratione, quae ſint in artibus recta ac prauа, diiudicant.* Certe, haec loquendi ratio, *uis tacita naturae*, nobis elegantior, et huic loco conuenientior, uidetur, quam ut eam aliunde intrudam putemus. Ceterum, *ſimilitudinem ſtirpis Maximiani*, de qua loquitur, adulatorie Orator refert ad ſtirpem Herculis. Etſi enim, teſte *Aurel. Victore*, Maximianus fuerit ortu agreſti, in Pannonia natus, cuius parentes opera mercenaria exercuerint; et licet, eodem Victore commemorante, cognomen *Herculei* Maximiano primum acceſſerit a cultu numinis Herculis: nihilominus Mamertinus, in hoc ipſo capite, Herculem uocat *principem generis ac nominis Maximiani Herculei*; et *Cap.* II, 3: *An diuinam*, inquit, *generis tui originem recenſebo, quam tu non modo factis immortalibus, ſed etiam nominis ſucceſſione, teſtaris?* Ad haec idem Mamertinus, *Genethliac. Cap.* II, 4, Diocletianum et Maximianum, Imperatores, allocutus: *Vos diis*, inquit, *eſſe genitos, et numinibus quidem ueſtris, ſed multo magis uirtutibus, approbatis.* In quo quidem loco, pro: *et numinibus*, legere malimus, *nominibus*. S.

I, 5. *Et ſit licet — ad ſalutem.*) In Rhenani et H. Stephani editionibus locum hunc occupauit uitium, dum ibi excuſum eſt: *Et* SIC *licet*. Sed iam Cuſpinianus, Paul. Stephanus, et Gruterus, pro uocula *ſic*, recte repoſuere, *ſit*. In noſtro Codice, neque *ſic*, neque *ſit*, legitur; quam uero ἐλλειψιν minus probamus. In eodem loco, uerbum, *pertinet*, per *modum indicatiuum*, iam ex Codice Bertinienſi annotauit Liuineius; ſimiliterque protulere Gruterus, Pariſienſes, et alii recentiores; cum Cuſpinianus, Rhenanus, uterque Stephanus,

natalis dies, quod pertinet ad originem populi Romani; uestri imperii primi dies sunt principes ad salutem.

II. Quare,

nus, Liuineius, noster Codex, et alter liber Gudianus, exhibeant *modum potentialem*, pertineat. Vbi uero, si omnino hoc uerbum sit retinendum, malimus priorem, quam posteriorem, lectionem admittere. Integra formula est: *quod*, i. e. quantum, *pertinet ad originem populi Romani*. Sic certe loquitur *Plinius*, *Libr.* VIII, *epist.* VI, 14: *quantum ad decernentes pertinet*. CICERO lubentius uidetur dicere: *quod ad me attinet*. Gruterus censuit, uerbum, *pertinet*, uel *pertineat*, hic turbare magis cursum orationis, quam adiuuare, idque induci posse. Et nos quoque id uerbum tollendum censeremus, dummodo ne omnes libri scripti et excusi, quos hucusque uidimus, id tuerentur. Alioqui sane multa occurrunt loca, ubi uerbum *attinet*, uel *pertinet*, in hac loquendi formula eleganter suppressum est. V. g. apud CICERONEM *Libr.* II. *de Orat. cap.* 31: *Verum hoc, ut dixi, nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad uos*, Coelius *ad* CICERONEM, *Libr.* VIII *epist.* I. *ad Famil. Quod ad Caesarem; crebri, et non belli, de eo rumores*. At, in re nota, non opus est pluribus exemplis. Quod ad clausulam huius capitis attinet; *uestri imperii primi dies sunt principes ad salutem*; putabamus primum, ibi forte in ultimis uerbis pronomen, *quod*, repeti debuisse, hoc modo: *sunt principes, quod ad salutem*; ut scilicet posteriora haec uerba respondérent prioribus: *quod ad originem Populi Romani*. Sed nunc existimamus, nihil esse, quod hic mutemus, aut addamus. Ipse CICERO uocabulum, *princeps*, quatenus dicitur dux et auctor, simpliciter coniungit cum praepositione, *ad. In Orat. Philipp.* X. *Cap.* XI: *Testis est per literas Brutus, M. Apuleium* principem fuisse ad *conatum exercitus comparandi*. Item, in *Laelio*, *cap.* VIII: *Amor enim* princeps *est* ad *beneuolentiam coniungendam*. Et *Plancus ad* CICERONEM, *Libr.* X. *epist.* XVII *ad famil. Frater meus ad omnia pericula princeps esse non recusabat*. Denique et illud adhuc obseruandum est, *Baronium, in annalibus*, ex hoc *ipso Mamertini loco* deducere uoluisse, *eundem Vrbi Romae, qui et Maximiano Herculio, ac Diocletiano*, fuisse natalem, ideoque eos *ipsis Parilibus*

h. e.

II. Quare, ſi nunc Romae omnes magiſtratus et pontifices et ſacerdotes, iuxta parentes Vrbis et ſtatores deos, Herculis templa uenerantur,

h. e. XI Kal. Maias, imperium auſpicatos eſſe. At dudum hunc Baronii errorem notauit *Petauius*, *Libr.* II *de doctrina temporum*, *Cap.* 30, negauitque, ullam his in uerbis literam eſſe, qua probari id poſſit: cum diuerſi potius dies natales, Vrbis Romae, et duorum ipſorum Imperatorum, conſtituantur, et κατ' ἀντίθεσιν ſibi opponantur. Confer, ſi lubet, etiam *Antonium Pagium*, *in Critic. Baron. ad* A. C. 284, n. III. S.

II, 1. *Quare ſi nunc Romae — Herculis templa uenerantur,*) Olim editionem Rhenani, et H. Stephani inquinauerat mendum, cum in his uerbis *tunc*, pro *nunc*, excudiſſent. Sed ueram lectionem iam Cuſpinianus euulgauit; quem ſecuti ſunt poſteriores editores, eandemque ſcripturam referunt codices MSS. Vocabulum, *omnes*, in noſtro codice omiſſum, idemque in libro altero Gudiano, deletum eſt; et Claud. Puteanus teſtatur, omnes ueteres libros, quos inſpexerit, habere: *Quare ſi Romae nunc magiſtratus, et pontifices etc.* Sed non eſt, quod uocem, *omnes*, contra ceterorum librorum ſuffragia exturbemus. Quaeritur autem, an *Pontifices* non fuerint *Sacerdotes*; cum Mamertinus eos ab his diſtinguere uideatur? Fuere omnino ſacerdotes, teſte Liuio, *Lib.* X. *cap.* VI. *Rogationem*, inquit, *promulgarunt*, [A. V. C. 454.] *ut, quum quatuor augures, quatuor pontifices, ea tempeſtate eſſent, placeretque augere ſacerdotum numerum: quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes allegerentur.* Sed Pontificum collegium erat eminentius prae ceteris ſacerdotibus; Pontificumque erat, alios ſacerdotes, eorumque miniſtros, in officio continere, et iis delinquentibus mulctam indicere. Paullo poſt ſequuntur haec uerba: *Venturo tibi reliquerit ueſtigia:* ubi olim in Rhenani et H. Stephani editione, pro uoce, *tibi*, mendoſe legebatur *ter*; quamquam ueram lectionem iam Cuſpinianus prodidiſſet; et iam Liuineius ex ſuo uetere et Bertinienſi Codice in margine annotaſſet; poſtea et Gruterus et alii recentiores recte receperint; eademque nunc et Codicis noſtri, et utriusque libri Gudiani, auctoritate confirmetur. S.

II, 1. *parentes urbis et ſtatores deos,*) Poëtice et ad ſplen-

quia partam aliquando ex uictoria praedam, a flumine Ibero, et conscio occidui solis oceano, ad pabula Tyrrhena compulerit, et in Palatino iugo uenturo tibi reliquerit uestigia: quanto tandem studio nos hic conuenit, qui te praesentem intuemur

splendorem multitudinis numero dixit, cum hoc *Iouem*, illo *Martem* denotaret. L.

II, 1. *quanto tandem studio — si res poscat, absumere?)* In hoc loco a Cuspiniano, Rhenano, Henr. et Paul. Stephanis, Parisiensibus, Patarolo, editum est: *sed nunc quidem maxime*; ubi non solum in nostro codice, sed et utroque libro Gudiano, aperte, idque rectius legitur: *sed nunc cum maxime*. Hanc ipsam scripturam cum etiam in suo uetere, itemque in Bertiniensi, codice, reperisset Liuineius, in notis eandem laudat, exemplisque confirmat; quin et annotauit Cl. Puteanus e uetere codice; iamque recepit Cellarius. Saepius hac loquendi formula usus est *Terentius*, u. g. *Heaut.* IIII, V, 40. *Atque cum maxume uolo te dare operam, ut fiat.* Et plenius, adscita etiam particula, *nunc*, *Adelph.* IIII, 1, 2. *Nunc cum maxume operis aliquid facere, credo.* et *Phorm.* I, IIII, 27: *Non sum apud me.* Get. *Atqui opus est nunc cum maxume ut sis, Antipho.* Sic CICERO *pro Cluentio*, Cap. V: *Quae multos iam annos, et nunc cum maxime, filium interfectum cupit.* Multa huius generis exempla collegit Zinzerlingius in *Promulside criticorum iuuenilium, cap.* XXII; itemque Cortius ad Plin. *Libr.* VI. *epist.* 31, 16: qui utrique uolunt, elegantem hanc particulam ualere fere, *in praesens, hoc ipso momento.* Vnde Zinzerlingius putat, in illis locis, ubi praeterea addatur particula, *nunc*, hanc, tanquam superfluam, et ex glossa prognatam, esse delendam. Verum, quamuis largiamur, loquendi formulam, *cum maxime*, ut plurimum, idque in hoc ipso loco, commode reddi posse, *in praesenti, hoc ipso momento*; negari tamen uix potest, eam etiam pro re nata ualere, *ualde, prorsus, inprimis*; prout iam bene animaduertit Westerhouius, ad *Terent. Adelph.* IIII, 1, 2; quasi dicatur: *ita nunc, ut, cum maxime*; uel, *ita tunc, ut, cum maxime*; Gr. ὡς μάλιστα; quemadmodum ipse Terentius plene expresserit, *Hecyr.* I, II, 40: *Amabat, ut cum maxime, tum Pamphilus.* Et CICERO, *ad Q. Fratrem*, II, 6: *Domus*

mur deum, toto quidem orbe uictorem, ſed nunc cum maxime in eadem Occidentis plaga non paſto-

 rem

Domus celebratur ita, ut cum maxime. Atque idem uir doctus eadem commentatur ad *Terent. Heaut.* IIII, V, 40: *Eſt ἔλλειψις*, inquit, *plene: ita nunc, ut, cum maxime.* Graece, ὅτι μάλιστα. Priſcianus, *Inſtit. Gram. Libr.* XVIII, *pag.* 1194, edit. Putſch. *Noſtri*, inquit, *cum maxime, pro ἐπὶ μάλιστα frequenter ponunt.* Praeterea, cum particula, *nunc*, in tam multis locis diuerſorum ſcriptorum coniungatur cum eadem formula, nolimus eam undique exturbare; maxime, cum et per πλεονασμὸν aliquando abundare poſſit; ut u. g. *iam nunc.* Terentius, *Andr.* I, 1, 44: *Eamus iam nunc intro. Adelph.* II, 1, 2: *Otioſe nunc iam illico hic conſiſte.* Ibidem, *u.* 14: *I intro nunc iam.* CICERO, *Libr.* XIIII, 1, 8: *nunc quidem iam abiit peſtilentia.*

Porro apud Rhenanum et Henr. Stephanum in hoc ipſo loco inquinate, *prodigum*, excuſum erat, ubi in ceteris libris emendatius legitur, *prodigium.* Per *prodigium* uero, Geryone, Rege tricorpore, *multo tetrius*, Mamertinus non intelligit Carauſium, utpote quem tunc nondum oppreſſerat Maximianus; ſed forte Bagaudas, factionem agreſtium, quaſi monſtrum multorum capitum; de quibus infra dicemus.

Tum in hoc loco legitur: *quicquid ſpiritus et uocis habemus.* Vbi Cuſpinianus, Rhenanus, et H. Stephanus, pro *habemus*, edidere: *habeamus*; prout etiam Liuineius in ſuo uetere codice ſcriptum repererat; ſimiliterque in utroque libro Gudiano annotatum eſt. Nos uero nihil mutandum exiſtimamus; cum et noſter codex, et ceteri editores, exprimant, *habemus*; quamuis alioquin fateamur, Mamertinum ſaepe *modo potentiali* uti, ubi *indicatiuus* uſitatius locum obtineat: u. g. in hoc ipſo capite, §. 2: *Quis enim dubitat, quin multis iam ſaeculis, ex quo uires illius ad Romanum nomen acceſſerint, Italia quidem*, etc. Cap. III, 1: *cum ad reſtituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris inuocatus:* ubi dicere Orator potuiſſet: *acceſſerunt; fuiſti inuocatus.* etc.

Denique in fine eiusdem loci, Liuineius graue mendum admiſit, ubi edidit: *ſed, ſi res poſcat, abſumere debemus.* Etſi enim idem animaduertiſſet, a uetere codice, item

et

rem trino capite deformem, ſed prodigium multo taetrius opprimentem, quidquid ſpiritus et uocis habemus, omne id in laudibus tuis non occupare
2 modo, ſed, ſi res poſcat, abſumere? Vnde igitur ordiar? Commemorabo nimirum patriae tuae in rempublicam merita? Quis enim dubitat, quin multis iam ſaeculis, ex quo uires illius ad Romanum nomen acceſſerint, Italia quidem ſit gentium domina gloriae uetuſtate, ſed Pannonia uirtute?
3 An diuinam generis tui originem recenſebo, quam tu non modo factis immortalibus, ſed etiam no-
4 minis ſucceſſione teſtaris? An, quemadmodum educatus inſtitutusque ſis, praedicabo, in illo limite, in illa fortiſſimarum ſede legionum, inter diſcurſus ſtrenuae iuuentutis, et armorum ſonitus
5 tuis uagitibus obſtrepentes? Finguntur haec de Ioue, ſed de te uera ſunt, Imperator. An tuas res geſtas enumerare conabor; quae te prima ſigna

et a Cuſpiniani, Rhenani et H. Stephani editione, abeſſe uerbum *debemus*; illud tamen ipſe aeque, ac Paulus Stephanus, neſcio unde, intruſit orationi; cum non obſeruaſſet, infinitiuum, *abſumere*, dependere potius a ſuperioribus uerbis: *Quanto tandem ſtudio nos hic conuenit ——— quicquid ſpiritus et uocis habemus, omne id in laudibus tuis non occupare modo, ſed, ſi res poſcat, abſumere?* Vnde uides, per aſſutum uerbum, *debemus*, prorſus corrumpi hunc locum. Neque eſt, cur putes, in ſuperioribus iſtis uerbis ſcribi debuiſſe: *Quanto tandem ſtudio nobis hic conuenit*; etenim pronomen, *nos*, non refertur ad uerbum, *conuenit*, ſed pertinet ad ſtructuram *accuſatiui cum infinitiuo: Conuenit, nos abſumere*. Sic loquitur et CICERO, pro *Sext. Roſcio*, c.I,III: *Vos iis rebus maxime mederi conuenit*. Et pro *Rabirio*, c.VI: *Quid tandem C. Rabirium facere conuenit?* S.

II, 4. *Inter armorum ſonitus,*) Vt olim Iupiter in monte Ida inter Corybantum ſonitus, tumultusque educatus eſt, ſic Mamertinus ait Maxi-

ſigna imperatoriis auſpiciis inauguratint, quae caſtra dominum habitura ſuſceperint, quae bella deduxerint, quae uictoriae auxerint? Ibo ſcilicet ue- 6
ſtigiis uirtutis tuae colligendis per totum Iſtri limitem, perque omnem, qua tendit, Euphratem, et ripas peragrabo Rheni, et litus oceani? Sed 7
qui uelit omnia iſta complecti, ſaecula ſibi optare debet, et innumerabiles annos, et, quantam tu mereris, aetatem.

III. Faciam igitur, compendio quidem orationis meae, ſed damno uoluntatis, quod huic tempori maxime congruit; omittam cetera, et potiſſimum illud arripiam, quod multis fortaſſe mirum uidebitur, et tamen re ipſa ueriſſimum eſt: Te, cum ad reſtituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris inuocatus, plus tribuiſſe beneficii, quam acceperis. Neque enim ſpecie tenus ac nomine fortuna imperii conſideranda

Maximianum in Pannonia, quae Rom. imperii limes erat, ac perpetui belli ſedes, inter armorum fragorem adoleuiſſe. De Corybant. fabula *Virg. Georg.* 4, 151. et alii paſſim poëtae. B.

III, 1. *Faciam igitur — illud arripiam,)* Olim locus hic admodum mendoſus fuit euulgatus. Eum ſic prodidit Cuſpinianus: *Faciam igitur compendio quidem orationi meae, ſed damno uoluntatis. Quid huic tempori maxime congruit, omittam, cetera et potiſſimum illud arripiam,* etc. Rhenanus, Liuineius, et uterque Stephanus, quodammodo corruptius: *Faciam igitur compendium orationi meae, ſed damno uoluntatis*, etc. Acidalius uerba iſta turbata ratus, in hunc ordinem redigere conatus eſt: — — *uoluntatis. Omittam cetera: quod huic tempori maxime congruit, et potiſſimum illud arripiam, quod multis* etc. Sed ueriorem lectionem primus reſtituit Gruterus; quam nunc, et integra ſcriptura, et interpunctione opportuna, iuuat, confirmatque Codex noſter, nec minus uterque liber Gudianus, ita uero, ut in his tribus particula, *quidem*, omittatur; quae et abeſſe poteſt; atque ante uocem

2 randa eſt. Trabeae ueſtrae triumphales, et faſces conſulares, et ſellae curules, et haec obſequiorum ſtipatio et fulgor, et illa lux diuinum uerticem claro orbe complectens, ueſtrorum ſunt ornamenta meritorum pulcherrima quidem et au-
3 guſtiſſima; ſed longe illa maiora ſunt, quae tu, im-

uocem *potiſſimum*, loco copulae *et*, coniunctio cauſalis *ut*, ponatur. S.

III, 2. *Lux diuinum uerticem claro orbe complectens,*) Auratos radios innuit, στεμματος et coronamenti genus, quod regi Latino tribuit *Virg.* Aeneid. 12, 163. et numi in Imperatorum aliquot capitibus, praecipue Auguſti, Probi et huius ipſius Maximiani, exhibent; ut recte ad h. l. obſeruant Liuineius et Baunius. Solebant radii ſignis Deorum apponi; inde adulatio eos Principibus non modo conſecratis, ſed etiam uiuis adhuc tribuit. u. Lucan. 7, 458. Lipſ. ad Tacit. Annal. 1, 10. Plin. Paneg. 52, 1. *Horum unum ſi praeſtitiſſet alius, illi iam dudum radiatum caput, cet.* ubi u. Schwarz. Add. Plutarch. πρὸς ἡγεμ. ἀπαιδευτ. p. 1397. ed. H. Steph. et Lucian. Timon. t. 1. ed. Graev. p. 154. *Iaeg.*

III, 3. *ſed longe illa maiora ſunt — retuliſti.*) Proba haec lectio; quam iam Sconhouius in uariis lectionibus; et Liuineius, in margine, ex ſuo et Bertinienſi, Codicibus, annotarunt; nec minus Cuſpinianus, et ex editione quadam Lugdunenſi, Iacob. de la Baune, itemque Cellarius, euulgarunt. Ceteri editores habent: *meae gratiae retuliſti.* Cl. Puteanus teſtatus eſt, ſe in Codicibus ueteribus reperiſſe: *uice gratiae*; maluit tamen legere: *uice grata.* Cui coniecturae ſuccurrere poſſit liber alter Gudianus, ubi exſtat: *uice gra*, i. e. *uice grata.* Primus liber Gudianus, et noſter Codex, habent: *uice gratia.* Non prorſus improbamus coniecturam Puteani: attamen ea loquendi ratio magis poetica uidetur; uti Lucanus, *Libr.* VIIII, *u.* 998. cecinit:

Reſtituam populos: grata uice moenia reddent
Auſoniae Phrygibus, Romanaque Pergama ſurgent.

Quin et ambigua formula uidetur; nam HORATIO, *grata uice* dicitur pro *grata uicißitudine, Libr.* I. *od.* IIII, 1:

Soluitur acris hiems, grata uice ueris et Fauoni.

Ac

impartito tibi imperio, uice gratiae retulisti: admittere in animum tantae reipublicae curam, et totius orbis fata susscipere, et oblitum quodammodo sui gentibus uiuere, et in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo ueluti terras omnes et maria despicias, uicissimque oculis ac mente collustres, ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui iustitiam uestram iudices aemulentur, qui uirtutis uestrae gloriam duces seruent; accipere innumerabiles undique nuntios, totidem mandata dimittere; de tot urbibus et nationibus et prouinciis cogitare, noctes omnes diesque perpeti sollicitudine pro omnium salute transigere. 4

IV. Haec

Ac nescio, cur non lectionem tot libris probatam retinere uelimus? Est enim *uice gratiae* idem, ac *loco gratiae;* prout u. g. Terentius, *Andr.* I, V, 57, dixit, *fratris loco diligere.* Si quid mutandum uideretur, rescribendum potius putaremus, *uicis gratia,* i. e. *grati animi declarandi caussa.* Nam *uicem reddere,* uel *referre,* idem est, ac *gratiam referre.* Sic Plinius loquitur, *Libr.* II, *ep.* 9: *reddam uicem, si reposcet.* S.

III, 4. *de tot urbibus et nationibus, — transigere.* Nihil in hoc loco deprehendimus, quod mutandum censeamus; sed id tantum agimus, ut eius lectionem confirmemus. Olim enim Cuspinianus, Rhenanus, uterque Stephanus, et Liuineius, publicarant: — — *noctes omnes diesque perpeti, sollicite pro omnium* etc. Acidalius coniecerat, aut *perpetim* legendum esse; quod et Sconhouius annotarat; aut *perpeti sollicitudine.* Et hanc posteriorem lectionem iam in suo, et Bertinensi Codice, repererant Liuineius et Puteanus; eamque euulgarunt, Gruterus, et recentiores. Quam nunc manifesta scriptura Codicis nostri, similiterque libri alterius Gudiani, comprobat. *Perpes* uero est *perpetuus, iugis,* u. g. apud *Plautum, Trucul.* II, II, 23: *noctem in stramentis pernoctare perpetem.* Et ipse Mamertinus, in *Genethl. cap.* III: *Perpeti cura gubernat imperium.* S.

IV. Haec omnia cum a fratre optimo oblata ſuſceperis, tu feciſti fortiter, ille ſapienter.
2 Neque enim cum reipublicae nauem ſecundus a puppi flatus impelleret, ſalutarem manum gubernaculis addidiſti; ſed cum ad reſtituendam eam, poſt priorum temporum labem, diuinum modo, ac ne id quidem unicum, ſufficeret auxilium, praecipitanti Romano nomini iuxta principem ſubiiſti; eadem ſcilicet auxilii opportunitate, qua tuus Her-

IV, 2. *Ac ne id quidem unicum,) Baunius* haec uerba ita interpretatur: *Cum, praeter te in ſocietatem imperii aſſumtum, duo Caeſares, nempe Galerius Armentarius et Conſtantius Chlorus fuere ad pacandum imperium adoptati.* Sed fallitur. *Schwarzius*, rationibus accuratius ſubductis, in proleg. ad hunc Panegyricum, §. 5. oſtendit, eum dictum fuiſſe A. C. 289. Galerius uero et Conſtantius Chlorus adoptati, declaratique ſunt Caeſares, A. C. 292. cum Mamertinus iam alterum Genethliacum dixiſſet, uti idem Vir ſummus ſatis probabiliter docet in proleg. ad paneg. ſequentem §. 7. Rectius igitur ſic expoſueris: cum ad reſtituendam poſt priorum temporum labem rem publicam Princeps modo, diuina origine clarus, (qualis ferebatur Diocletianus,) ac ne is quidem unicus, ſufficeret; ſed alter adhuc deſideraretur, cuius genus itidem cum Diis coniunctum eſſet. Diocletianus generis ſui auctorem Iouem, Maximianus Herculem haberi uoluit. u. infr. c. 7. et Schwarz. in proleg. ad ſeq. Mam. paneg. Genethl. §. 4. *Læg.*

IV, 2. —— *eadem ſcilicet auxilii opportunitate — reddidiſſe.)* Cum Sigonius, *libr.* 1. Hiſtor. *de occidentali imp. pag.* 8, locum hunc ex Mamertini panegyrico protulit, pro uerbis: *magna uictoriae parte*, repoſuit: *magnae uictoriae pace*; ſed, ut opinor, perperam; aut certe Codice ex haç parte uitiato uſus eſt. Vulgata lectio, uti commodam affert ſententiam, ita omnium ceterorum librorum auctoritate adiuuatur. Poſt uerbum, *probauitque*, pronomen, *ſe*, noſter Codex, et uterque liber Gudianus, itemque uariae lectiones, a Sconhouio et Puteano collectae, habent; quod, praeter Cuſpinianum, in ceterorum omnium

um

Hercules Iouem ueſtrum quondam Terrigenarum bello laborantem magna uictoriae parte iuuit, probauitque, non magis a diis accepiſſe caelum, quam eisdem reddidiſſe. An non illud malum ſi- 3
mile monſtrorum biformium in hiſce terris fuit, quod

um libris excuſis deſideratur. Non quidem neſcimus, pronomen hoc ſaepe iuxta uerbum infinitum omitti; cuiusmodi exempla collegit Cortius, ad Salluſt. *Catil. cap.* XXXI. 7. et, ne putes, id omitti ſola librariorum culpa; habebis poëtas huius ἐλλείψεως teſtes certiores: u. g. Ouid. II. *Metam. u.* 697: *Simulat Ioue natus abire.* Idem *Libr.* IV. u. 338. —— *ſimulatque gradu diſcedere.* Nihilominus id pronomen, ſi in antiquis Codicibus reperio ſic poſitum, haud libenter dimitto. S.

IV, 2. *Hercules Iouem — iuuit)* Herculis uirtute gigantas caeleſte regnum affectantes, repulſos eſſe narrant poëtae. *Hor.* 2, 12, 5. ſeqq.

—— *domitosque Herculea manu*
Telluris iuuenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni ueteris.

Seneca, Herc. fur. u. 444. ſq.

Poſt monſtra tot perdomita, poſt Phlegram impio
Sparſam cruore, poſtque defenſos Deos,
Nondum liquet de patre?

Macrob. Saturn. I, 20. *Ipſe* (Hercules) *creditur et gigantes interemiſſe, cum pro caelo pugnaſſet, quaſi uirtus Deorum.* add. *Claudian.* de IV. Conſul. Honor. u. 532. ſeqq. ibique *Geſner.* *Iaeg.*

IV, 3. *An non illud malum — imitatus eſt.)* Bene ſe nunc habet hic locus. Olim Rhenanus, uterque Stephanus, et Liuineius, reddiderant: *et hiſce terris.* Ceteri melius, *in hiſce terris*; ſcil. Galliis. Quam propoſitionem, *in*, ex Codice ſuo, et Bertinienſi, margini alleuit Liuineius; et nunc noſtri Codicis, atque utriuſque libri Gudiani, ſuffragio comprobatur. Bene recteque, ac Codicibus reliquis conuenienter, etiam haec uerba hodie leguntur: *quum arator peditem, quum paſtor equitem*, etc. Liuineius et Paulus Stephanus ediderant: *quum autor equitem, quum paſtor equitem.* Etiam Rhenanus, et H. Stephanus, quamuis pro uoce, *autor*, recepiſſent, *arator*; bis tamen inutiliter poſuere *equitem*; haud ſecus ac in Libro priore Gudiano. uox, *peditem*, inepte repetitur. Inde iam

Aci-

quod tua, Caesar, nescio utrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cum militares

Acidalius alterutro loco, *peditem*, legendum esse censuit: commodissime uero, prout nunc excusum, atque etiam in nostro Codice scriptum est, *arator* ad *peditem*; *pastor* ad *equitem*, refertur. *Culta* denique hoc loco dicuntur *rura*, uel *arua culta*; per ἐλλειψιν, ut *noualia*, et plura alia. Ceterum, manifestum est, et alii iam annotarunt, Mamertinum per istos *agricolas*, et *rusticos*, *uastatores cultorum suorum*, significare *Bagaudas*, uel *Bacaudas*, h. e. multitudinem et factionem ruricolarum, qui, sumtis armis, tumultum excitarant, omniaque uastarant. Cuiusmodi factionem rebellium agricolarum, ducibus Amando et Aeliano, temporibus Diocletiani et Maximiani, Imperatorum, in Galliis exortam, at mox repressam fuisse, ex Aurel. Victore, Eutropio, et Orosio, constat: de quibus plura afferemus [ad seq. Paneg. c. 5.] rati interim, nomen hoc *Bacaudarum* ex antiqua Francorum lingua ortum, et ex *Bag*, uel *Bac*, uel *Pac*, et *auuve*, uel *gau*, siue *gevv*, aut *govv*, compositum, idem fere ualere, quod non nulli dicerent *ein back Gau-Diebe*. Certe eiusmodi notio factionis, seu multitudinis probrosae, in uocabulo, *back*, adhuc hodie superest in istis uulgaribus: *das Lumpenback*, *das Diebes-back*, *das Huren-back*, etc. *Gau* autem, siue *Geuu*, de pagis, et rure, et certo territorio, dictum esse, notissimum est. [cf. *Basnag.* Annal. Polit. Eccles. ad a. 285. n. II. *Rittershus.* ad Saluian. de Gub. D. p. m. 50. *Heumann.* in add. ed. Eutrop. Gruner. ad p. 172. ubi ex uoce *Bugad*, i. e. tumultuatio, natum esse censet uocabulum *Bagaud.* Satis probabiliter. Ex Francorum lingua id nomen ortum esse non uidetur. Franci ea tempestate nondum in Gallia sedem ceperant. Praeter ea Eutrop. 9, 13. *rusticanos tumultuantes* dicit *factioni suae Bagaudarum nomen imposuisse*; quod proinde tam ignominiosum esse haud potuit. *Iaeg.*] Hos uero *Bagaudas* Mamertinus comparat cum *monstris biformibus*, h. e. cum Titanibus, et gigantibus, qui Ioui bellum inferre ausi erant. Quos nescio cur Orator appellet *biformes?* dicere potuisset, *deformes*: nisi id respiciat, quod Ouidio, *Metam. Libr.* I, *u.* 184, dicantur *anguipedes*. [Sine dubio id respicit. Simili ratione Centauri dicuntur *gemini*, Ouid. Met. 2, 630. *biformes*, ib. u. 664.

tares habitus ignari agricolae appetiuerunt: cum arator peditem, cum paſtor equitem, cum hoſtem barbarum ſuorum cultorum ruſticus uaſtator imitatus eſt? Quod ego curſim praetereo: uideo 4
enim te, qua pietate es, obliuionem illius uictoriae malle quam gloriam.

V. Quod uero ſtatim, uix dum miſero illo furore ſopito, cum omnes barbarae nationes ex-

664. *bimembres*, eidem Ouidio, Ep. Her. 2, 71. et Met. 15, 288. Virg. Aen. 8, 193. v. *Gronou.* ad Sen. Herc. fur. u. 93. et ipſum *Schwarzium* ad Mam. Genethl. c. 3. *Ineg.*

V, 1. *Quod uero ſtatim, — niſi tu adfuiſſes?*) Anceps haereas, quo prima uocula *quod*, ſiue ſit *pronomen relatiuum*, ſiue *coniunctio cauſſalis*, referatur? Tanquam locum ſaluum ſanumque omnes praetermittunt commentatores, neque alicuius uarietatis indicium uel libri excuſi, uel nunc Gudiani illi, faciunt: niſi quod Cuſpinianus et H. Stephanus pro *cum* ſubſtituunt *tum*; ut quaſi tunc iſtae particulae ſic, ſed parum commode, coniungantur cum uerbo: *quod uero tum omnes barbarae nationes excidium Galliae minarentur* etc. Et quamuis Liuineius in codice uetere pro *Quod uero*, inueniſſet: *Quid enim*; atque inde finxiſſet: *Quid enim uero?* (prout fere et in noſtro codice legitur: *Quid uero*;) uix tamen connexionem ſatis aptam inde eruas, niſi intelligas, ſuppleasque id, quod per ἔλλειψιν omiſſum uideatur: *Quid uero dicam?* ſiue, *Quid uero factum, ſiue conſecutum eſt, ſtatim*, etc. At enimuero nondum induci poſſum, ut reiiciam illud uulgatum, *Quod*. Certe enim particula, *quod*, alioqui non raro παρέλκει, cum quidem ad periodum cum antecedente connectendam aſſumta uideatur; u. g. apud Hyginum, *Fab. XVI: Quod poſtero die, cum prope littus appropinquaſſet, et uidiſſet, ſe Regem interfeciſſe; ſepulturae eum tradidit.* Apud Liuium, *Libr. XXXXI, Cap. 10: Quod cum milites conſulis imperio dicto audientes futuros ſeſe dicerent: cum is more maiorum, ſecundum uota in Capitolio nuncupata, cum victoribus, paludatus profectus ab Vrbe eſſet; furens ira, uocatum,*

cidium uniuerſae Galliae minarentur, neque ſolum Burgundiones et Alamanni; ſed etiam Chaibones, Erulique, uiribus primi barbarorum, locis ultimi, praecipiti impetu in has prouincias irruiſſent, quis deus tam inſperatam ſalutem nobis attuliſſet, niſi tu adfuiſſes? Tu enim, diuinae prouidentiae, Imperator, conſilio prius, quam ui bellum

catum, qui pro quaeſtore Manlii erat, eatenus popoſcit. Potiſſimum uero ille πλεονασμὸς particulae, *quod*, ſaepius occurrit, ſi ea cum ſequentibus particulis coniungatur: *quod ſi; quod ni; quod niſi; quod utinam; quod cum; quod quia; quod ubi; quod tametſi:* cuiusmodi plura exempla, praeter alios, collegere Munkerus, ad *Hyginum*, *Fab.* XVI; et Cortius, ad *Salluſt. Catil.* Cap. XVIII, 8. Itaque et hoc loco particula, *quod*, quantumuis interiectis quibusdam uocibus, iungitur cum aduerbio, *cum*; imo et ad ſequentia referri poteſt: *quod — — niſi tu adfuiſſes.* S.

V, 2. *Tu enim diuinae prouidentiae — uſurus.*) In codice noſtro, pro participio, *ratus*, ſcriptum eſt, *curaſti*; et poſt hoc uerbum ponitur integra diſtinctio. Idem uerbum etiam in altero libro Gudiano annotatum eſt. Poſſet id tolerari; ſed ſine dubio melior eſt uulgata lectio, quam ceteri libri omnes confirmant. At in ſequentibus inter pronomina, *quibus ipſa*, codex noſter ſatis opportune interponit uerbum, *parebat*, hunc in modum: *ceteros quidem perduelles, quibus parebat ipſa multitudo peſtifera.* Quod uerbum etiam Puteanus in uetere codice reperit; item et in utroque libro Gudiano annotatum eſt. Liuineius contra in codice Bertinienſi inuenerat ſcriptum: *peſtiferat*; unde coniecit, coaluiſſe ibi duas uoces, *peſtifera erat*; adeoque forte easdem nunc ſeiungendas eſſe. Nos non ſpernimus Codicis noſtri ſcripturam, duorum etiam aliorum Codicum conſenſu ſtabilitam; inprimis, ſi per uocem, *perduelles*, potiſſimum principes et auctores hoſtium intelligas. CICERONI, de *Offic.* I, 21, *parentiores exercitus* dicuntur, qui promtius ducibus dicto ſunt audientes. Ceterum antehac, omiſſa praepoſitione, *ad*, uerba haec: *mox triumphi ornamenta capienda*, ediderant Cuſpinianus, Rhenanus, Liuineius, uter-

bellum gerendum ratus, ceteros quidem perduelles, quibus ipsa pestifera multitudo, ire passus es in profundam famem, et ex fame in pestilentiam, mox ad triumphi ornamenta capienda militum manibus usurus; Chaibones tamen, Eruloſque non dignatus pari astu perdere; atque, ut

uterque Stephanus, Parisienses. Acidalius suasit, praepositionem, *ad*, inserendam; quam etiam Puteanus inter uariantes huius Panegyrici lectiones reposuit. Cui et nunc nostri Codicis, et duorum librorum Gudianorum, suffragia fauent. Liuineius pro, *ad*, in margine, ex Lugdunensi quadam editione, annotauit, *ubi;* quod uero ex ingenio editoris natum uidetur. S.

V. 2. *Chaibones tamen, Erulosque non dignatus pari astu perdere.)* Olim pro tribus posterioribus uocibus legebatur, *pariter prodere*; deinde *pariter perdere*. Iam tamen Cuspinianus, qui in paucorum aliorum editorum manus ueniſſe uidetur, eam, quae nunc recepta est, lectionem euulgarat, quam et primus liber Gudianus exhibet. At in altero libro Gudiano, et in nostro Codice, pro *astu* scriptum est, *aestu*. Arridebat nobis primum haec lectio, quod Mamertinus uidebatur dicere uoluisse, Maximianum non dignatum esse, pari aestu, i. e. pari ardore, et feruore, Chaibones et Erulos perdere, quo perdidisset hostes ceteros. Sed, ubi rem curatius pensitauimus, utique non possumus non priorem lectionem, *astu*, approbare. Postquam enim Mamertinus dixerat, Maximianum quidem a ceteris hostibus, ex Germania in Gallias tunc irruentibus, cum ipsi saeua fame ac deinde saeuiore pestilentia infestati fuissent, arma abstinuisse, ac sua sponte illis duobus malorum generibus conflictari, consumique, permisisse: nunc ait, *Chaibonas* uero, *Herulos*que non dignatum esse, pari consilio et astu perdere; sed tanquam hostes, uiribus primos barbarorum, aperto Marte aggressum, primo certamine profligasse. *Astus*, cui opponitur, *uis aperta*, dicitur hic prudentia militaris et calliditas, quae et laudi ducitur imperatoribus, ducibusque belli. Iam quod attinet ad *Chaibonas*, (ita enim casus quartus scriptus est in codice nostro, et in libris Gudianis,) nomen huius popu-

interim diuina uirtus tua exercitatione ſolita non careret, aperto Marte, atque uno impetu perculiſti,

populi uarie ſcribitur. Liuineio enim teſte, libri carioſi nunc *Caybones* exhibent; nunc *Cayuones*, nunc *Cauiones*, nunc *Chabiones*. Omnium ſcriptura eodem recidit; quamuis origini primae conuenientius ſcribantur *Cayuones*. Mamertinus eos annumerat barbarorum (ut uocat Germanos,) primis, ſiue praecipuis, ſi uires ſpectes; ultimis, quod ad loca habitationis. Mirum eſt, tam fortis et numeroſi populi, non alibi, quantum nobis conſtat, niſi in his Panegyricis, fieri mentionem; niſi forte ab aliis ſcriptoribus alio nomine deſignentur. Cellarius coniicit, hos fortaſſe eſſe Καύβους Strabonis, quos hic a *Chaucis*, ſiue Cauchis, diſtinxerit, *Libr.* VII, *poſt initium pag.* 291. Πρὸς δὲ τῷ Ὠκεανῷ Σύγαμβροί τε, καὶ Καῦβοι, καὶ Βρύκτεροι, καὶ Κίμβροι, Καῦκοι τε, καὶ Καῦλκοι. Hac coniectura nihil puto eſſe ueriſimilius. Primum enim ſitus locorum conuenit: *Chaibones* enim Mamertino dicuntur *locis ultimi*, h. e. inter extremos Germaniae populos ad Oceanum Germanicum habitantes; at et *Chaubi* a Strabone ad Oceanum hunc collocantur. Deinde nec nomina differunt. Vix enim dubito, utrumque nomen deſcendere ab antiquo *Chay*, *Caya*, uel *Chaia*, domus, caſa, et maxime eiusmodi caſa, quae ad littora ponebatur; unde et *Cay* adhuc appellatur area in littore onerandarum et exonerandarum nauium cauſſa, e compactis tabulis trabibusque firmata, ac deſuper tecta, inſtar domus; quod Carol. du Fresne, in *Gloſſar. Lat.* docet, et ultimam originem huius uocis a Cambro-Britannica uoce *cae*, i. e. ſepe, et clauſtro, deriuat. Cum uero hi populi Mamertino dicantur *Chaibones*, uel *Cayuones*; indicio eſt, nomen id eſſe compoſitum, a *taya* ſcilicet, et itidem Germanica uoce *vvöhnen*, morari, habitare; ut ita dicerentur, quaſi *incolae caſarum littoralium*: prout et alii Germaniae populi dicti ſunt; u. g. *Ingeuones*, *Invvohners*, prima Germaniae gens, ſic dicta, quod proxima Oceano ab utroque latere Iſthmi, inter duo maria protenſa, ſedes ſuas in locis maritimis fixiſſet. Porro, *Iſtaeuones*, ſiue *Aeſtiuones*, *Oſt-Wohners*, ad orientem colentes. Ad haec, *Her-*

culisti, non uniuerso ad id praelium usus exercitu, sed paucis cohortibus. Quid enim opus e- 3

 rat

Herminones, i. e. *Herumvvohners*; qui intra ambitum reliquorum habitarunt, a Rheno praetenti. Item *Hilleuiones*, monticolae. De quibus nominibus plura tradit V. C. Wachterus, in *praef. ad Germanos*, §. 38, 39, 40, qui uero, quod mirum est, nihil de uoce *cay*, siue *caya*, habet. Quod autem Strabo hunc populum non, uti Mamertinus, uocauit *Chaibones*, uel *Caiuones*, (litterae enim *b*, et *u*, et *vv*, facile inter se permutantur,) sed decurtata syllaba, Χαυβας, *Chaubos*; inde fortasse euenit, quia uel librarii ueterem scripturam mutarunt, uel quia ipse Strabo, cum uim Germanici nominis non intelligeret, id magis ad Graecae Romanaeque linguae rationes inflexit. Iam dudum uero Cluuerius, *Libr.* III *Antiqu. Germ. Cap.* 27, monuit, hos *Chaibonas*, seu, ut in Mamertini *Genethl. Cap.* VII legimus, *Cauiones*, fuisse eosdem, quos Tacitus, *de mor. Germ. Cap.* XXXX. uocauit *Auiones*. Nec mirum est, potuisse istorum nominum scripturam uitiari, aut etiam per ἀφαίρεσιν mutari; cum ita aliquando etiam *Ildericum*, item *Clotharium*, scriptum dictumque reperiamus, quem alii uulgo dixere *Childericum*, *Lotharium*; ut longe plura huius generis exempla taceam. *Herulorum* autem, quos Mamertinus noster coniungit cum *Chaibonibus* frequentior occurrit mentio apud ueteres scriptores. Cluuerius docet, eos ad Vistulae ostia, tanquam terminum Germaniae ab Oriente, inter Rugios et Gothos consedisse. Et eosdem ad Oceanum collocat Sidonius Apollinaris, *Libr.* VIII, *epist.* 9.

Hic glaucis Erulus genis uagatur,
Imos Oceani colens recessus,
Algoso prope concolor profundo.

Sed horum migrationes et fata commemorare, nunc nimis longum foret. De isdem non pauca annotauit *Gundlingius*, *de Henrico Aucupe*, p. 159; item *Mascouius*, in egregio opere, quod inscribitur: *Geschichte der Teutschen*; *Libr.* XI: *cap.* XXIII. Quod si Gundlingius ex eo recte arguit, Herulos quondam etiam in *Marchia Brandenburgica* sedes habuisse, quia ibi adhuc hodie superst mons, ab *Herulis Harlungus* cognominatus: similiter coniecturam facere

rat multitudine, cum ipse pugnares, ipse omnibus locis, totaque acie dimicares? ipse hosti undique, et qua resisteret, et qua cederet, et qua fugeret, occurreres? erroremque aduersariis pariter ac tuis faceres? cum neque te barbari unum putarent, neque milites, non dico stipatione atque comitatu, sed saltem oculis sequi possent? Toto quippe praelio ferebare; non aliter, quam magnus amnis solet, hibernis imbribus auctus et
4 niuibus, passim fluere, qua campus est. Ita cuncti Chaibones, Erulique cuncti, tanta internecione caesi interfectique sunt, ut exstinctos eos

facere possumus, eosdem etiam in Misniae partem, quae *Osterlandia* dicta est, deuenisse, et sigillatim prope Leisnicium, uetustum opidum, aliquando consedisse; cum ibidem superstt mons ruderibus antiqui castelli insignis, qui hodieque *Harlungus, der Harlungs-Berg*, nominatur; de quo non nihil diximus in *notis* ad Petri Albini librum de *Comitibus Leisnicien sibus*, T. III. *Menkenii scriptorum rerum Misnicarum, pag.* 839. S.

V, 3. — — *cum ipse pugnares, — occurreres?)* Gruterus suspicatus est, a glossa manasse uocem, *dimicares*; qua expuncta, recte retineretur uulgata, et in Codicibus etiam MSS. expressa lectio: *ipsi hosti*. Verum, cum uerbum illud, *dimicares*, omnes libri tueantur, malo cum Acidalio, Cellario, et Pataroio, leui mutatione *ipse hosti*, recipere, quam uerbum illud de sede sua deiicere. Sed nec sequentia huius loci uerba, *et qua fugeret*, sollicitanda existimo: quamquam et Liuineius et Gruterus pro glossa et interpretamento eius, quod praecessit, *et qua cederet*, habuerint. Sufficit, ista uerba in omnibus libris legi; atque haec duo commata: *et qua cederet, et qua fugeret*, satis a se inuicem distingui posse. Aliud est enim, *cedere hosti*, quod aliquando consilii et prudentiae est: aliud *fugere*, quod ad desperationem et ignominiam propius accedit. S.

V, 3. *Toto quippe praelio ferebare)* v. infra paneg. 8, c. 9, 5. Iaeg.

eos relictis domi coniugibus ac matribus non profugus aliquis e praelio, ſed uictoriae tuae gloria nuntiaret.

VI. Tranſeo innumerabiles tuas tota Gallia pugnas atque uictorias. Quae enim tot tantiſ- 2

VI, 1. *Tranſeo innumerabiles — ſufficiat oratio?)* Hunc locum ita excudendum curauit Cuſpinianus: *Tranſeo innumerabiles tua tota gloria pugnas atque uictorias.* etc. Cui lectioni calculum addit Codex noſter. Quae fortaſſe admitti queat, ſi κατ' ἔλλειψιν explicetur, quaſi dixerit Mamertinus: *innumerabiles cum tua tota gloria pugnas*; aut uelut per παρένθεσιν, *innumerabiles*, (quae *tua tota gloria* eſt,) *pugnas*. Verum malumus tueri ſcripturam iam pluries uulgatam. Etſi enim etiam in hac quaedam ἔλλειψις praepoſitionis, *in*, occurrat, cum dicendum fuiſſet: *innumerabiles tuas in tota Gallia*, (aut, per totam Galliam,) *pugnas*: haec tamen loquendi ratio nec ab ipſis probatae Latinitatis auctoribus eſt aliena. Sic ipſe Nepos, in *Praefatione* §. 5. loquitur: *Magnis in laudibus tota fuit Graecia, uictorem Olympiae citari.* Vbi, *tota Graecia*, etiam eſt ſextus caſus, qui ſic explicandus: *in tota Graecia*, uel *per totam Graeciam*. Praeterea, cum in Mamertino proxime praeceſſerit uocabulum, *gloria*; eiusdem nominis repetitio, quae nec elegantiam figurae, nec excuſationem neceſſitatis habet, haud nobis probatur. Ita uero ibi legimus: — — *caeſi interfectique ſunt, ut extinctos eos, relictis domi coniugibus ac matribus, non profugus aliquis e proelio, ſed uictoriae tuae gloria*, nuntiaret. Tranſeo innumerabiles tuas tota Gallia *pugnas atque uictorias*. Verba, quae hic antiquo charactere exprimi iuſſimus, ex quodam Codice MS. prout in altero libro Gudiano annotatum legimus, prorſus exciderunt; unde nec obſcure patet, quam facile fieri potuerit, ut uocabulum, *gloria*, deinceps ab aliis cum uocabulo, *pugnas*, fuerit coniunctum. Ceterum Nauius, et Paulus Stephanus, itemque primus liber Gudianus, habent *ſufficiet*; pro quo ceteri omnes libri rectius exhibent, *ſufficiat*. S.

que rebus ſufficiat oratio? Illum tamen primi con-

VI, 2. *Illum tamen — — Imperatoris implentem.)* Hiſtoria, quam his uerbis reſpicit Mamertinus, bene notante Cellario, talis eſt: Scilicet *Maximianus Treueris in Gallia conſulatum inierat, et, ut moris fuit, uota fecerat in futurum. Vix peracta erant ſollennia ſacra, quum nuntius affertur, Germanos, traiecto Rheno, accelerare. Eodem ergo die obuiam progreſſus uicit, fuditque hoſtes, et uictor in urbem Treuerorum reuertit.* In uerbis Mamertini non ferre poſſumus uocabulum, *primum*; quaſi dicatur, *primus dies auſpicalis conſulatus.* Non enim plures dies auſpicales fuere uniuscuiusque conſulatus, ſed tunc unae Kalendae Ianuariae. In his ſolis noui conſules conſulatum auſpicabantur, hoc eſt, boni ominis cauſſa, et deorum placandorum ergo, ſacra faciebant, et in futurum tempus, pro ſalute publica, et pro felicitate regiminis ſui, nuncupabant uota. Sic igitur ab iſto auſpicio *primus dies conſulatus* idem erat, qui *auſpicalis dies conſulatus*; adeoque ſuffeciſſet, ſi Mamertinus duntaxat ſimpliciter appellaſſet, uel *primum*, uel *auſpicalem*, diem; ſicuti u. g. Suetonio, in *Vitell.* Cap. 12, dicitur, *primus dies imperii*; in *Caeſare*, c. 18. *primus dies praeturae*; et Latino Pacato, *cap.* 3: *felicitatis publicae auſpex dies.* Prorſus autem inquinate in Codice noſtro ſcriptum eſt: *illum tam proprium conſulatus tui auſpicalem diem*; quamquam in margine, pro uocabulo, *proprium*, eadem manu annotatum ſit, *primum.* Multo ergo magis nobis arridet ea lectio, quam in utroque libro Gudiano, et in altero quidem ex *Cod. MS. VV.* annotatam deprehendimus; ubi pro caſu quarto, *primum*, exhibetur caſus ſecundus, *primi.* Vnde iſta uerba hunc in modum ſunt reformanda: *Illum tamen primi conſulatus tui auſpicalem diem*, etc. Quam eximiam lectionem iam publicauit Cuſpinianus. Solus praeterea Anton. Schonhouius, in *uarietatibus lectionis*, quae Pariſienſium editioni, A. 1643 excuſae, ſunt inſertae, p. 690. eandem ex Aldo prodidit. Atque hanc ipſam nunc merito uindicamus Mamertino. Valet ea ad confirmandam imperii Maximiani *chronologiam*, quam praemiſimus. Cum enim Mamertinus anno Chriſti CCLXXXVIIII, d. XXI Aprilis, hunc Panegyricum diceret, Maximianus Auguſtus iam antehac duos geſſerat conſulatus: primum quidem A. C. 287, ubi ipſis Calendis Ianuariis

consulatus tui auspicalem diem tacitus praeterire

 nullo

riis insignem, de qua loquitur orator, uictoriam retulerat de Alemannis, qui summae hiemis tempore, traiecto Rheno, proximos Galliarum agros, hostiliter inuaserant. Alterum consulatum gesserat Maximianus A. C. 288; prout ex Fastis Romanis antehac ostendimus. Bene ergo recteque orator nominatim designauit *primum* Maximiani consulatum, cuius ipso die auspicali, hoc est, ipsis Calendis Ianuariis, quibus in urbe Treuerorum auspicatus erat consulatum, uictoriam reportauerat de Alemannis Galliam inuadentibus; ne ea res gesta ad secundi consulatus eius tempora referretur. Sicut autem lubentes pronique amplectimur uerum casum uocis *primi*, a Cuspiniano proditum, et a quibusdam Codicibus MSS. confirmatum; ita fere dubitamus, eundem Cuspinianum sequi, cum euulgauit, *diem auspicabilem*; pro quo omnes, quos uidimus, libri habent, *diem auspicalem*. Licet enim neutra uox, *auspicalis*, et *auspicabilis*, usu bonorum Latinitatis auctorum facile comprobetur; malumus tamen nunc plurimorum librorum consensui locum relinquere. Congruentius autem Latinitati probatae loquitur Latinus Pacatus, loco ante excitato: *Det igitur mihi sermonis huius auspicium ille felicitatis publicae auspex dies, qui te primus inaugurauit Imperio.* Quod ad ultima huius loci uerba attinet, ea fine uarietate in omnibus fere exemplaribus sic excusa leguntur: *et officia te consulis inchoantem uideret, et imperatoris implentem.* Et certe, absque indicio Codicum MSS. esset, non facile alicui in his uerbis suboleat defectus. At enimuero indicium alicuius defectus faciunt et Codex noster et uterque Gudianus liber: quibus praeterea accedit Cuspiniani editio: in quibus singulis uox, *ora*, inseritur ultimis uerbis: *et ora imperatoris implentem.* Equidem haec ipsa uox, *ora*, hic nullum locum habet; interim tamen nos perducit ad ueriorem lectionem indagandam. Nimirum suspicamur, aliquando librarios, *opera*, per compendium scripsisse *opra*, uel, *ora*; inde alios rudiores, dimisso compendii signo, prodidisse, *ora*. Quod nomen cum nullam commodam sententiam hic efficeret, id a ceteris editoribus prorsus omissum reiectumque est; cum existimarint, antecedens uocabulum, *officia*, iam

nullo modo poſſum, quo tu ſolus omnium conſecu-

ἀπὸ τῆ κοινῆ poſſe repeti. At omnino illud nomen, *opera*, huic loco uindicandum cenſemus. Per ſingularem enim ἔμφασιν *opera officiis* opponi putamus. Primo enim illo conſulatus ſui die Maximianus *officia* quidem *conſulis*, auſpiciis ſcilicet rite captis, uotisque nuncupatis, inchoauerat; ſed nulla adhuc *opera praeſtiterat conſularia*. Contra uero, cum, ſumtis armis, exiiſſet aduerſus hoſtes ingruentes, eosque forti manu repuliſſet, uictorque glorioſus reuertiſſet; non ſolis officiis Imperatoris functus eſt illo tempore; ſed et ipſa *opera imperatoria et militaria* cum magna uirtutis ſuae gloria impleuit. Atque adeo ſic ſignificatur, eum non ſolo ductu ſuo, ſed et manu conſerta, tunc rem confeciſſe. Ita uero *opera* non raro dicuntur de laboribus, ad uſum militiae pertinentibus; imo et generatim de rebus geſtis. Eumenius, in *orat. pro reſtaur. ſcholis, cap.* XVIIII: *Quo magis*, inquit, *horum noua et incredibilis uirtus et humanitas, qui, inter tanta opera bellorum, ad haec quoque literarum exercitia reſpiciunt.* M. Valerius Coruus, tertium Conſul, qui dicitur, *omnia inter infimos militum haud grauate munia obiiſſe*, apud Liuium, *Libr.* VII, *cap.* 32, deſignauit opera militaria ducis belli, uel imperatoris. *Iuuendum eſt*, inquit, *cuius ductu auſpicioque ineunda pugna ſit: utrum, qui ad audendum duntaxat magnificus adhortator ſit, uerbis tantum ferox, operum militarium expers; an qui et ipſe tela tractare, procedere ante ſigna, uerſari media in mole pugnae, ſciat? Facta mea, non dicta uos, milites, ſequi uolo; nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam, a me petere.* Hinc et Clitus, Alexandri M. dux belli, apud Curtium, *Libr.* VIII, *cap.* 1, dicitur *multis bellicis operibus clarus.* Et Iul. Caeſar, cum Britannicae inſulae bello iniecciſſet manus, cum quatuor commilitonibus rate tranſuectus, Valerio Maximo, *Libr.* III, *cap.* 2, *ex.* 23, dicitur *non contentus opera ſua Oceani claudere littoribus.* Verbum autem *implere*, quod opponitur uerbo *inchoare*, hoc loco idem eſt, ac praeſtare, perficere, et abſoluere; cuius notionis exempla paſſim occurrunt. Quod ſi uero orator duo haec participia, *inchoantem*, et *implentem*, ad unicum illud nomen, *officia*, referre uoluiſſet, hac translocatione uerborum uſurus fuiſſe nobis uideretur: *unoque ſol curriculo ſuo, eoque breuiſſimo,*

secutus es, ut, quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum uidebatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis; unoque sol curriculo suo, eoque breuissimo, et officia te consulis inchoantem uideret, et imperatoris implentem. Vidimus te, Caesar, eodem die pro 3 repu-

mo, officia te et consulis inchoantem uideret, et imperatoris implentem. S.

VI, 2. *Incipiendis rebus)* Magistratum ineuntes, primo eius, die auspicandi gratia, leuiter officia sua delibare solebant. v. Lipsius ad Tac. Ann. 4, 36. *Iaeg.*

VI, 3. *Vidimus te, Caesar, —— —— transactum:)* Sententia huius loci satis est plana; nisi quod uocem, *coniuncta*, habeamus suspectam. Nemo enim nobis facile explicauerit, quae dicta sint *uota coniuncta*. In utriusque quidem libri Gudiani margine annotatum est: *concepta uota*; sed cur sic non dicerentur *suscepta uota*; cum proxime dixerit orator, *nota suscipere*. Deinde nec proprie uota *concepta*, siue, *suscepta*, dicebantur *deberi*; nisi ea antea fuissent impleta. Iacobus de la Baune testatur, quosdam legere, *coniuncte*. Non prorsus male; si *coniuncte* pro *simul* dicatur; uti est apud Ciceronem, *Libr. II. de oratore, cap. 61: maxime homines delectantur, si quando risus coniuncte re uerboque moueatur*. Sic enim *uotum suscipere*, et *coniuncte*, i. e. simul, *debere*, is diceretur, qui statim, post nuncupata uota, fieret eorum compos. Nescio tamen, quomodo illud, *coniuncte*, hic frigescere uideatur; cum non statim appareat, cur ea uota susceptа debeantur. Nobis in mentem uenit, pro uoce, *coniuncta*, hic reponi debere, *conuicta*. [*Victa* et *uincta*, inter se permutari docet *Drackenb.* ad Sil. Ital. 6, 348. et *uincta* et *iuncta* confundi ostendit *Heins.* ad Ouid. v. g. Fast. 4, 681. ubi habet *iunctis*, *uictis* et *uinctis*. cf. Eumen. pro restaur. sch. c. 10, 3. in f. ubi pro *coniunctum* occurrit *conuinctum*, et Incert. Paneg. Maxim. et Const. 1, 5. in f. et Brouckhus. ad Tibull. 1, 1, 77. *Iaeg.*] Vota enim *conuicta* dicuntur, quorum conditio adimpleta affert obligationem, ita, ut is, qui ea nuncupauit, iam sit uotorum reus, eaque soluere debeat. Ita sane loquitur Cicero, *orat. pro domo sua, cap. 57: Hanc ego deuotionem capitis mei, eam*

republica et uota ſuſcipere, et coniuncta debere. Quod enim optaueras in futurum, feciſti continuo

eum ego in ſedes meas reſtitutus, tum denique conuictam eſſe et commiſſam putabo. Quid enim aliud hic eſt *deuotio conuicta et commiſſa*, quam deuotio adimpleta, et exitu comprobata, quae obligationem ſoluendi affert? Iam uero *deuotio* eſt genus *uoti*; cum in omni deuotione etiam inſit uotum quoddam, ut li ſeruentur, quorum cauſſa aliquis ſe deuouet ad periculum, uel calamitatem ſubeundam. Quae autem qualisque fuerit illa *deuotio* Ciceroniana, et quibus conditionibus ſuſcepta, patet ex eiusdem formula: *Me, ac meum caput, ea conditione deuoui, ut, ſi, et eo ipſo tempore, et ante, et in conſulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, praemiis, praetermiſſis, cura, cogitatione, uigiliis omnibus, nihil niſi de ſalute meorum ciuium laboraſſem; tum mihi republica aliquando reſtituta liceret frui. Sin autem mea conſilia patriae non profuiſſent; ut perpetuum dolorem, auulſus a meis, ſuſtinerem.* Vid. Ciceronis *orat. pro domo ſua*, Cap. 57; et *orat. ad Quirites poſt reditum*, Cap. 1. Ibi nimirum teſtatur Cicero, ſe, cum diſceſſerit in exilium, uotum diis nuncupaſſe, ut, ſi ſua commoda reipublicae ſaluti antepoſuerit, in exilio periret; ſin ſecus, tum in patriam ſaluus rediret. Vbi ergo ſaluus rediit in patriam, uotum illud, ſeu *deuotio*, ex ea parte erat *conuicta* et *commiſſa*. Neque uero tantummodo *uotum*, cuius conditio impleta erat, dicebatur *conuictum*, et exitu ipſo ualidum declaratum; ſed et is, qui uouerat, uotique compos redditus erat, dicebatur, ex manifeſtis indiciis impleti uoti, *conuictus*, aut *reus* et *damnatus uoti*: qui tanquam debitor ex ſponſione obligatus erat ad ſoluendum reddendumque uotum. Vnde et Cicero, in eadem *orat. ad Quirites*, Cap. 1, *poſt reditum in patriam*, dicit, *ſe eius deuotionis eſſe conuictum, iudicio deorum immortalium, teſtimonio ſenatus, conſenſu Italiae, beneficio diuino immortalique Quiritum.* Iſtae autem loquendi formulae e iure ciuili, et ſigillatim a ſponſione et ſtipulatione ſunt petitae; quia *uotum* exiſtimabatur ſponſio, uel iuſta promiſſio alicuius faciendi, uel non faciendi, pro felici euentu, aut alicuius ſalute, facta; cuius conditione impleta, ſpondentes fiebant rei debendi, et ad promiſſum ſoluendum Deo obligati. Sicuti ergo,

nuo tranſactum: ut mihi ipſa deorum auxilia, quae precatus eras, praeueniſſe uidearis, et, quid-

go, ſecundum Iureconſultos, omnis obligatio naſcitur, uel ex contractu, uel ex maleficio; et inde *obligati, rei, debitores, damnati,* exiſtunt; ac nominatim ii, qui ſub conditione ſpoponderunt, impleta conditione ſunt *obligati*, et *rei debendi:* ita et ii, quorum uota erant impleta, et *conuicta*, i. e. obtenta, et manifeſtis indiciis probata; dicebantur *conuicti, rei, damnati, debitores, uotorum, uotisque obligati*, item et, *uotis promiſſisque teneri.* Cuiusmodi formulas collegit, expoſuitque Robigius, in *Codice critico*, *Libr.* XI, *cap.* 14. Et ſicut *committi ſtipulationem* dixere Iuriſconſulti, cum id, quod per eam promiſſum eſt, debetur; et *commiſſa ſtipulatio* appellatur, quae impleta eſt facto et commiſſo promiſſoris; (uide *Tit. ff. de uerborum obligatione*; et Salmaſium, *de modo uſurarum*, *cap.* XIIII, *pag.* 615.) quia, qui tale quid commiſit, legi, quam ipſe ſibi dixit, fit obnoxius ex conuentione, ubi id commiſit, quo debiti conditio ex pacto impleta eſt: ita hoc ſenſu etiam Cicero, in *oratione pro domo ſua*, *cap.* LVII, *deuotionem capitis ſui*, cum eius conditio eſſet impleta, *conuictam commiſſumque* uocauit. Igitur arbitramur, etiam Mamertinum noſtrum bene apteque *uota conuicta*, (non, *coniuncta*,) dixiſſe, quae erant iam obtenta, et ſtatim felici rerum euentu euidenter comprobata. Ad quam emendationem uti primum ſola coniectura, et comparatione Ciceronianae loquendi formulae, ſumus deducti; ita non parum laetati ſumus, ubi deinceps forte animaduertimus, eandem emendationem etiam auctoritate Caroli Sigonii, uiri quondam eruditiſſimi, confirmari. Etſi enim nobis quidem haud conſtet, ab eo unquam integros Panegyricos ueterum editos eſſe: in eius tamen *Hiſtoriis de occidentali imperio*, *Libr.* I, *pag.* 14; ubi enarrat res geſtas Diocletiani et Maximiani, Auguſtorum, hunc ipſum locum Mamertini fortaſſe ex antiquo quodam Codice ita exſcriptum affert: *Vidimus enim te, Caeſar, eodem die pro republica, et uota ſuſcipere, et conuicta delere.* Commemorabilis eſt haec lectio. Quae dicantur *uota conuicta*, modo expoſuimus. *Delere* autem *uota*, idem eſt, ac *uota ſoluere.* Quae loquendi formula de Codice et rationibus impenſarum atque expenſarum eſt deſumta. Per-

ſcri-

quidquid illi promiſerant, ante feciſſe. Vidimus te, Caeſar, eodem die et in clariſſimo pacis

ſcribebantur nimirum nomina debitorum in Calendario, uel tabulis. Si qui igitur perſoluiſſent pecuniam debitam, eorum nomina delebantur. Adeo tunc expungi et deleri nomen debitoris dicebatur, cum omne eius debitum eſſet perſolutum. Vnde Plautus, *Ciſtell. Act.* I, *Scen.* II, 40 et 41: *Nunc, quod reliquum reſtat, uolo perſoluere, ut expungatur nomen, ne quid debeam.* Alioquin etiam ii, qui debita ſoluebant, dicebantur *nomina expedire, explicare, tollere de tabula.* Simili modo ii etiam *uota delere* dici potuerunt, qui eadem perſoluerunt. Vota enim, quorum conditio erat expleta, habuerunt rationem debitorum; atque homines uotorum compotes, qui ad uota ſua ſoluenda obligati erant, dicebantur *debitores uotorum.* Sic Martialis, *Libr.* VIIII *epigr.* 43, ubi Apollini nuncupabat uota, ut Stella conſulatum adipiſceretur: *Felix tunc ego*, inquit, *debitorque uoti, Caſurum tibi ruſticas ad aras Ducam cornibus aureis iuuencum.* Et ipſe Mamertinus noſter, in *Genethliaco*, Cap. I: *dicendi munus, quod tunc uoti promiſſione ſuſceperam, nunc religione debiti repraeſento.* Equidem uota, ſub conditione nuncupata, non ſtatim nuncupantes efficiebant *reos debendi*; ſed ab euentu exoptato ſuſpendebant promiſſum, ac, quemadmodum Iuſtinianus, *Inſtit. de uerborum obligatione*, §. 4, de *ſtipulatione conditionali* loquitur, ſaltem ſpem dabant, *debitum iri*: attamen, ubi uotorum conditio erat impleta, ſiue ubi uota iam erant conuicta, et ad bonum exitum ducta; tunc ii, qui ea nuncupauerant, *uota* (actu ſecundo) *debere* incipiebant; et ubi iam reipſa praeſtabant, quod uouentes promiſerant, *uota exequi, uota perficere, uota reddere, uota ſoluere*, aut *perſoluere*, ac, ſi ſequimur Sigonii lectionem, etiam *uotae delere*, dicebantur. Plus adeo omnino eſt, *delere uota*, quam, *debere uota*. Et hinc credas, Maximianum a Mamertino dici, eodem die pro republica, et uota ſuſcepiſſe, et conuicta *deleuiſſe*, ſiue perſoluiſſe: cum idem orator mox narret, Maximianum eodem die, quo mane auſpicia conſularia et uota fecerat; ueſpere ex acie cum triumpho reuerſum, *urbem laetitia et exultatione, et aris flagrantibus, et ſacrificiis, et odoribus accenſis numini ſuo, impleuiſſe*: quamquam ſub ueſperem

cis habitu, et in pulcherrimo uirtutis ornatu. Bona uenia deûm dixerim, ne Iupiter quidem ipse tanta celeritate faciem caeli fui uariat, quam facile tu, Imperator, togam praetextam ſumto thorace mutaſti, haſtam poſito ſcipione rapuiſti, a tribunali temet in campum, a curuli in equum tranſtuliſti, et rurſus ex acie cum triumpho rediiſti: totamque hanc urbem, repentina tua in hoſtes eruptione ſollicitam, laetitia et exſultatione, et aris flagrantibus et ſacrificiis et odoribus, et accenſis numini tuo luminibus impleſti. Ita utro-

4

5

ſperem magis populus iſto gratulationis genere excepiſſe Imperatorem, quam ipſe Imperator iam uota deo ſoluiſſe, uideatur. Vtcunque eſt, uti in hoc Mamertini loco participium *conuicta*, lubenter amplectimur; ita de recipiendo uerbo, *delere*, pro *debere*, adhuc ampliamus. S.

VI, 4. *Et aris flagrantibus, et ſacrificiis et odoribus, et accenſis numini tuo luminibus impleſti.)* In conſtituenda h. l. lectione potiſſimum ſecutus ſum auctoritatem *Cuſpiniani*, et iudicium *Gruteri*. *Bauius* cum plerisque edidit: *aras flagrantibus et ſacrificiis et odoribus accenſis numini tuo impleſti.* Illud *aris*, quod et *Launeio* et *Acidalio* et *Grutero* et *Cellario* placuiſſe uideo, (melius nimirum exprimit ritum, quo omnia paſſim aris impleta ſunt in aduentu principum, u. *Bern.* ad Plin. Panegyr. c. 23, 5. p. 640. ed. Schwarz.) confirmatur ueteri Cod. *Cl. Puteani* et *Fr. Modii* apographo Bertinienſ. quorum in illo *aris*, in hoc *auris* legitur. Vox *luminibus* ſoli Cuſpiniano debetur. Pro *ſacrificis odoribus*, ut Liuineius uoluit, inductus auctoritate Cuſp. et Bert. in quibus eſt *ſacrificiis odoribus*, ſine interpoſita uocula *et*, retinui *ſacrificiis* et *odoribus*, quod ceteri omnes habent, ac probat quoque *Gruterus*, qui et *aras flagrantes* tuetur alio Mamertini loco, Genethl. c. 10. ubi *aras* dicuntur *incendi*; adde *Ouid.* Met. 3, 691. et 7, 258. itemque *Plin.* Hiſt. Nat. 15, 30. ſ. 40. *adeoque in profanis uſibus pollui laurum et oleam fas non eſt, ut ne propitiandis quidem numinibus ascendi ex his altaria araeue debeant:*

utroque illius diei ſupremo tempore bis diuina res pari religione celebrata eſt, Ioui, dum pro futuris uouetur, tibi, dum pro uictoria ſoluitur.

VII. Tale igitur auſpicium illius anni quid ſequebatur, niſi nouum aliquod et ingens miraculum? Quod autem maius euenire potuit illa tua in Germaniam tranſgreſſione? qua tu, primus

debeant: ad quem locum uid. *Harduin.* Not. et Emend. n. 19. Flagrabant eae *ſacrificiis*, i. e. uictimis, et *odoribus*. Oſtendit ſcilicet Orator, aduentum Maximiani ſumma laetitia ab omnibus hominibus cuiuslibet ſortis fuiſſe exceptum; lautiores uictimis, tenuiores ture et odoribus, pauperes taedis et luminibus accenſis gaudia ſua eſſe teſtatos. u. quae adfert *Lipſ.* ad Tac. Hiſt. 2, 70. *Iaeg.*

VI, 5. *Vtroque illius diei ſupremo tempore)* mane ac veſpere. Mane auſpicia conſularia et uota facta: veſpere ob uictoriam relatam ſacrificatum. C.

VII, 2. *Quod autem maius — eſſet armorum.*) Male noſter Codex, itemque alter liber Gudianus, pro uoce *maius*, habent, *magis*. Nec placet, quod idem Codex pro nomine, *Germaniam*, exhibet *Galliam*. Treueris enim, in urbe Galliarum, tunc degebat Maximianus, ex qua urbe ſupra Rhenum transgrediebatur in Germaniam. Sed Puteolanus, Rhenanus, et Nauius, perperam caſu ſexto poſuerunt: *in Germania*. Adhaec nihili eſt, *congreſſione*, quod in primo libro Gudiano annotatum eſt, pro *tranſgreſſione*. Bene autem Iacobus de la Baune, Cellarius, et Patarol, receperunt: *qui tuorum eſſet armorum*; ubi Puteolanus, Rhenanus, Nauius, Stephanus, Liuineius, aliique, ediderant: *qui tuorum eſſet arborum*; Cuſpinianus: *qui tuarum eſſet arborum*; quamuis Rhenanus et Stephanus ex coniectura, pro uoce, *arborum*, in margine annotarint, *arbitriorum*; Liuineius, ex Car. Langii ſchedis, *laborum*; Gruterus, ex ſuſpicione, *ardorum*. Vocem illam, *armorum*, confirmat Codex noſter MS. confirmant libri Gudiani; et eandem iam Puteanus etiam in antiquis Codicibus repererat; atque ita quoque legerat Sigonius, et legendum coniecerat Franc. Iuretus. S.

mus omnium imperatorum, probasti, Romani imperii nullum esse terminum, nisi qui tuorum esset armorum. Atqui Rhenum antea uidebatur 3
ipsa sic natura duxisse, ut eo limite Romanae prouinciae ab immanitate barbariae uindicarentur. Et quis umquam ante uos principes non 4
gratulatus est, Gallias illo amne muniri? Quando non cum summo metu nostro Rheni alueum minuit diu serena tempestas? Quando non cum securitate nostra illius diluuia creuerunt? Credo, 5
itidem optimam illam, fertilemque Syriam uelut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. Verum hoc Iouis sui more, nutu illo patrio, quo omnia contremiscunt, et maiestate uestri nominis, consecutus est. Tu autem, Imperator in- 6
uicte, feras illas indomitasque gentes uastatione,

E prae-

VII, 4. *Quando non cum summo metu nostro Rhen. alu. minuit diu serena tempestas.)* Vnde et Tac. Hist. 4, 26. *Apud imperitos prodigii loco ipsa aquarum* (Rheni) *penuria, tamquam uos amnes quoque et uetera imperii munimenta deserent.* G.

VII, 5. *optimam*) Forte *opimam*, ut suspicatur *Liuineius* et edidit *Cellarius*. Ineg.

VII, 5. *nutu illo patrio)* Respicit *Virgil.* u. 115. Aeneid. 10.

Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.

Quae his Homericis respondent: (Il. A. 528.)

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος,
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Sic ait, atque oculis Saturnius annuit aequis:
Ilicet et sacri capiti intremuere capilli,
Immortale decus, concussaque regia caeli est.

praeliis, caedibus, ferro, ignique domuiſti. Herculei generis hoc fatum eſt, uirtuti debere quod
7 uindicat. Exinde igitur ſoluto animo ac libero ſumus. Licet Rhenus areſcat, tenuique lapſu uix laeues calculos perſpicuo uado pellat, nullus inde metus eſt. Quidquid ultra Rhenum proſpicio, Romanum eſt.

VIII. Sic illa quondam Romanae potentiae diu aemula et inimica Carthago a P. Scipione deuicta eſt, cum is, traiecto in Africam exercitu, Annibalem ab Italiae uaſtatione reuocauit.
2 Audieras hoc, Imperator? an ipſe per te, diuina tua mente, proſpexeras, ita demum hoſtes funditus poſſe ſubuerti, ſi in propriis ſedibus uincerentur, nec praedam modo, quam cepiſſent, amitterent, ſed ipſi coniuges ac liberos et parentes ſuos et cariſſima omnia capta maererent?
3 Hoc tu ſiue cognitum ſecutus es, ſeu te auctore feciſti, utrumque pulcherrimum eſt. Neque enim minorem laudem magnarum rerum aemuli,
4 quam ipſi merentur auctores. Quin imo, quamuis optimum intentatae rei conſilium Fortunae committitur; iteratum idem atque repetitum ad
5 certam iudicii gloriam pertinet. Ideoque hoc nunc ambo, ſacri Imperatores, ipſo eſtis Scipione potiores; quod et tu Africanum, et te Diocletianus imitatus eſt.

IX. Ingreſſus eſt nuper illam, quae Rhaetis

IX, 1. *Ingreſſus eſt — protulit*:) Plurimi libri editi, u. g. Puteolani, Cuſpiniani, Rhenani, Nauii, utriusque Stephani, Gruteri, Pariſienſium A. 1643 et 1676, et Pataroli,

tis est obiecta, Germaniam; similique uirtute

taroli, habent: *Ingressus es.* Hinc nonnulli referunt ea, quae hic commemorat Mamertinus, ad Maximianum Augustum. Sed utique referenda sunt ad Diocletianum; quod indicat ipsius orationis series. Paullo ante enim, *Cap.* VII et VIII, Mamertinus comparauerat inter se res gestas Diocletiani et Maximiani, Augustorum. Diocletianum, ait, ueluti Iouem, quasi nutu solo, et maiestatis nominisque sui terrore, Persas eo redegisse, ut hi sponte se suaque regna ipsi dederint: Maximianum uero, uelut Herculem, conserta manu, feras Germanorum gentes domuisse, et exemplo Scipionis, qui, traiecto in Africam exercitu, Hannibalem ab Italiae uastatione reuocauerit, transgressione in Germaniam, hostes in propriis sedibus uicisse. Ideo porro dicit orator, utrosque hos Imperatores ipso Scipione esse potiores; quia Maximianus Africanum, et Diocletianus Maximianum, sint imitati. Vt uero Mamertinus probet, iam Diocletianum etiam exemplum Maximiani secutum esse, et hostes in ipsorum finibus oppugnasse; nunc, *Cap.* VIIII, indicat, quid Diocletianus egerit, postquam ex oriente reuersus erat per Panoniam. *Ingressus est*, inquit, *super illam, quae Rhaetiae est obiecta, Germaniam, similique uirtute,* (qua Maximianus usus erat in inuadendis uincendisque Germanis,) *Romanum limitem uictoria protulit.* Quorum uerborum nexus etiam indicium facit, legi oportere, *ingressus est*; propterea, quod uerbum, *protulit*, omnium librorum consensu, in tertia persona exprimitur; quod per copulam connectitur cum antecedente uerbo eiusdem personae, *ingressus est.* Ergo utrumque uerbum, *ingressus est*, et, limites Romanos *protulit*, non ad praesentem Maximianum, quem coram, in secunda persona, alloquebatur Mamertinus; sed ad absentem Diocletianum, est referendum. Huc accedit, quod laus occupatae Rhaetiae etiam alibi Diocletiano, non Maximiano, adscribatur; quamuis alioqui hi duo Imperatores, pro insigni concordia sua, omnes rerum gestarum laudes inter se communes habere uideri uellent. Ita diserte Mamertinus, in *Genethliaco Maximiani, Cap.* VII, 1: *Laurea,* inquit, *illa de uictis accolentibus Syriam nationibus, et illa Rhaetica, et illa Sarmatica* (hae omnes uictoriae a Diocletiano erant partae,) *te, Maximia-*

Romanum limitem uictoria protulit: adeo numini illius ſimpliciter amanterque, quidquid pro hisce

ximiane, fecerunt pio gaudio triumphare. Itidem hic gens Chaibonum, Erulorumque, deleta, transrhenana uictoria, et domitis oppreſſa Francis piratica bella, (haec erant uictoriae Maximiani,) *Diocletianum uotorum compotem reddiderunt.* Mirum ergo eſt, Gruterum, Iacobum de la Baune, et Patrolum, uiros doctiſſimos, illam lectionem: *Ingreſſus eſt*, admittere noluiſſe, ut eam rem geſtam ad Diocletianum referre poſſent; quamuis illam ipſam ueriorem lectionem iam laudarit Liuineius, et in uetere Codice a ſe obſeruatam teſtatus ſit Puteanus: quam nos quoque iam auctoritate Codicis noſtri, et teſtimoniis utriusque libri Gudiani, confirmare poſſumus. Illud uero leue eſt, quod in Codice noſtro pro *Rhaetis* legitur *Rhaetiae*. Perinde enim eſt, utram recipias ſcripturam. *Rhaetia* uero duplex eſt: prima, uel ſuperior, quae Alpes complectitur, quas Griſonum uocant, *Graubünden*: ſecunda uero, ſiue inferior, quae a Lico amne ad Oenum usque porrigitur. Ita, quemadmodum Maximianus Alamannis uincendis Romanum limitem ultra Rhenum; ſic Diocletianus, uindicanda Rhaetia, quae ſub Gallieno amiſſa erat, et hinc ſubigendis Quadis, aliisque uicinis populis, qui Rhaetiam infeſtabant, ultra Danubium, protulit. In ſequentibus uerbis: *ſimilique uirtute Romanum limitem uictoria protulit;* ne duo caſus ſexti, *uirtute*, *uictoria*, concurrant, aut malumus, pro *uictoria*, legere, *uictor;* (prout infra, ſub finem *capitis* XI huius panegyrici, Codices MSS. habent, *uictores*, ubi uulgo excuſum eſt: *iam milites ueſtri ad oceanum peruenere uictoria;*) aut ſatius ducimus, hanc admittere lectionem, quae in Codice noſtro, et ambobus libris Gudianis, reperitur: *ſimilique uirtute ultra Romanum limitem uictoriam protulit. S.* IX, 1. *adeo numini illius — illud eloquium.*) In altero libro Gudiano, aliquis pro prima particula, *Adeo*, in margine annotauit: *f. Ideo*, i. e. forte; aut e coniectura, reſcribendum cenſuit, *Ideo*. Pronomen, *illius*, refertur ad Diocletianum, de quo proxime ſermo. Aduerbium *ſimpliciter*, hoc loco idem eſt, quod *aperte*, candide, ſine ſimulatione; ut Plinius loquitur, *Libr.* II, *epiſt.* 3: *me amice ſimpliciterque reprehenderent.* Verbum, *retuliſti*, aut dicitur pro *expoſuiſti*, *narraſti*;

hisce terris feceras, retulisti, cum ex diuersa or-

 bis

sti; aut hoc significat: tu tuas res pro hisce terris tuendis gestas uicissim attulisti ad Diocletianum, et quasi cum eo communicasti; sicut ille suas res gestas tecum communicat, teque in societatem laudum suarum admittit. Ita Latini dicunt, *referre salutem*, i. e. resalutare; *referre auxilium*, i. e. uicissim auxiliari; *referre controuersiam*, i. e. uicissim accusare. In uerbis: *pro hisce terris*, uulgo latebat uitium, cum Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Nauius, uterque Stephanus, Liuineius, Gruterus, Parisienses, et Pataroi, in excusis libris exhibuerint: *pro his ceteris*. Quin nec Codex noster meliorem ostendit lectionem. Acidalius parum utilem attulit medicinam, cum suaderet, legendum esse, *pro his ac ceteris*. Primum Liuineius annotauerat in margine: f. *pro hisce terris*. Deinde et Claud. Puteanus, in notis ad h. l. similiter rescribendum censuit: *pro hisce terris*. Quam appositam coniecturam acutissimi Puteani uocauit Gruterus; ac iam bene recteque in contextum Panegyrici recepit Cellarius. Est autem, *pro hisce terris*, idem, ac, *pro hac Gallia*, quam tunc tuebatur, et a Bagaudis hostibusque externis defenderat Maximianus. Vnde et supra, *Cap.* IIII, 3, Mamertinus dixit: *An non illud malum simile monstrorum biformium in hisce terris fuit, quod tua, Caesar, nescio, utrum magis fortitudine sit repressum, an clementia mitigatum?* Mirum uero est, ad hunc usque diem ne unum quidem Codicem MS. repertum indicatumque ab aliis esse, ubi ista uerba huius loci uere recteque sint perscripta, ut adeo suspiceris, omnes superstites Codices horum Panegyricorum ex unico quodam Codice hac ex parte corrupto dimanasse; quorum tamen alii aliis deinceps euaserint adhuc corruptiores. Facilis tamen in hac scriptura labendi occasio apparet. Videtur scilicet primus librarius fortasse necessitatem habuisse diuidendi pronomen, *hisce*, ita, ut in fine alicuius uersus scripserit, *his-*; in initium autem sequentis uersus transtulerit syllabicam adiectionem, *ce*, quam sequitur nomen, *terris*. Cum autem forte istae uoculae, *ce teris*, uel *ce terris*, nimia coniuncte essent scriptae, inde alii effinxere, *ceteris*, pro, *in hisce terris*. Vltima uerba huius loci sunt: *Adeo fidum fraternumque illud fuit elo-*

quium.

bis parte coëuntes inuictas dexteras contuliſtis: adeo

quium. Cellarianae editioni typographus mendum intulit, dum pro uoce, *fidum*, expreſſit, *fidem.* Nauius, Liuineius, et Paul. Stephanus, pro, *fraternumque*, parum ſcite edidere, *firmumque.* Vera, et a ceteris libris confirmata lectio eſt: *fraternumque.* Diocletianus enim et Maximianus uocabantur *fratres*, non quidem natura, ſed uoluntatum et dignitatis ſimilitudine. Hinc et Mamertinus ſupra, *Cap.* 1. huius Paneg. *Reuera enim*, inquit, *ſacratiſſime Imperator, merito quiuis te, tuumque fratrem, Romani Imperii dixerit conditores.* Optime autem idem Mamertinus, *Genethliac. Cap.* VII, hanc exponit fraternitatem: *Vos caſtra, uos praelia, uos pares uictoriae, fecere fratres. Dum uirtutibus ueſtris fauetis, dum pulcherrima inuicem facta laudatis, dum ad ſummum fortunae faſtigium pari gradu tenditis; diuerſum ſanguinem affectibus miſcuiſtis. Non fortuita in uobis eſt germanitas, ſed electa. — — Certiſſimae fraternitatis eſt usque ad imperium ſimilitudo.* Et in hoc ipſo cap. orator noſter Diocletianum et Maximianum uocat *uirtutibus fratres, quod omni conſanguinitate ſit certius.* Atque ita hodieque Reges ſe inuicem honoris cauſſa uocant *Fratres.* Ceterum, in his uerbis Codex noſter quasdam uoces transponit; et loco nominis, *eloquium*, reponit, *obſequium*, hunc in modum: *Adeo fidum illud fuit fraternumque obſequium.* Eandem lectionem etiam produnt ambo libri Gudiani, atque ex uetere Codice quoque annotauit Claud. Puteanus. Noſtra quidem opinione *obſequium*, quatenus exprimit Gallorum *la complaiſance*, ſatis bene dici poterat de Diocletiano et Maximiano, qui mutuis officiis et gratificandi ſtudiis quaſi inter ſe certare dicebantur. De cuiusmodi *obſequio* loquitur Terentius, *Andr.* 1, 1, 36, ſeqq. *Cum quibus erat una, iis ſeſe dedere, eorum obſequi ſtudiis; aduorſus nemini; nunquam praeponens ſe illis. Ita facillime ſine inuidia laudem inuenias et amicos pares. — namque hoc tempore obſequium amicos, ueritas odium parit.* Sed omnes editiones conſtanter promunt, *eloquium*, idque commentatores interpretantur per *colloquium*; cum idem Mamertinus, in *Genethliaco*, *Cap.* XI, 4. de colloquio Mediolanenſi Diocletiani et Maximiani dixerit: *Quam iunctim ſedent! Quam concorditer eloquuntur.* Sed

et

adeo fidum, fraternumque fuit illud eloquium. In quo uobis mutua praebuistis omnium exempla 2
uirtutum, atque inuicem uos, quod fieri iam posse non uidebatur, auxistis: ille tibi ostendendo dona Persica; tu illi spolia Germanica. Sed 3
neque illum uirtutes tuae bellicae a liberalitate; neque illius opes a bellica uirtute te reuocarunt: ambo nunc estis largissimi, ambo fortissimi: ab hac ipsa uestri similitudine magis magisque con-

 cordes,

et ibi in Bertinienſi Codice legi, *colloquuntur*, monuit Liuineius. Quin et in noſtro Codice, et in utroque libro Gudiano, hic ſcriptum inuenimus, *colloquuntur*. Eandemque lectionem ex libris ueteribus annotauit probauitque Puteanus. Itaque, niſi *obſequium* ſatis placeat, certe malimus legere, *colloquium*, quam, *eloquium*. Facile enim *e* ex inuerſo *o*, quo librarii aliquando pro ſyllaba, *con*, uel *co*, uſi ſunt, oriri potuit. S.

IX, 2. *In quo uobis mutua praeb.)* Loco τοῦ nobis, quod *Baunius* cum plerisque hic exhibet, *Schonhouius* ad oram ed. Froben. adſcripſit *Vobis*; ſic etiam *Cuſpin.* habet, et, teſte *Liuineio*, Cod. Bertinienſ. Et profecto, τὸ *uobis* multo accommodatius eſt illo altero ad uocem ſequentem *mutua*; ideoque praeferendum eſſe duxi. *Iaeg.*

IX, 3. *ambo nunc eſtis — magisque concordes,)* Melius in Codice noſtro, et in utroque libro Gudiano, ſcriptum eſt: — — *atque hac ipſa ueſtra ſimilitudine magis magisque concordes.* Copulam, *atque*, iam etiam publicauit Cuſpinianus. S.

IX, 3. *ab hac ipſa ueſtri ſimilitudine)* Lectionem Cod. Schwarz. et utriusque Gudiani ueriorem eſſe uulgata, adfirmare non auſim. Particulam *a* l. *ab* interdum idem ualere ac *propter*, ſatis conſtat. Curt. 5, 4, 1. *Tum caſtris undique aperto loco poſitis, non conſultare modo, quid agendum eſſet; ſed uates quoque adhibere coepit a ſuperſtitione animi.* Liuius 7, 10. *Armatum, adornatumque aduerſus Gallum ſtolide laetum, et — linguam etiam ab irriſu exſerentem, producunt.* Alterum illud *ueſtri ſimilitudine* conuenit *Ouidiano*, Metamorph. 1, 29. ſeq.

Denſior his tellus: elementaque grandia traxit;
Et premit ipſa ſui grauitate. ——

et *Virgiliano*, Aen. 4, 654.

Et

cordes, et, quod omni consanguinitate certius
4 est, uirtutibus fratres. Sic fit, ut uobis tantum imperium sine ulla aemulatione commune sit, neque ullum inter uos discrimen esse patiamini; sed plane, ut gemini illi reges Lacedaemones Heraclidae,
5 rempublicam pari sorte teneatis. Quamquam hoc uos meliores et iustiores, quod illos mater aestu coëgit, cum nemini fateretur, quem prius edidisset in lucem, pari aetatis auctoritate regnare: uos hoc sponte facitis, quos in summis rebus aequauit non uultuum similitudo, sed morum.

X. Attamen illos, etiam si discrimen sui scire potuissent, minus mirum fuisset, exiguam sibi communicasse regionem, quam saepe uno die impiger uiator emensus est. Vos uero, qui imperium non terrae, sed caeli regionibus terminatis, tantam uim, tantam potestatem mutuo uobis

Et nunc magna mei sub terras ibit imago. Cap. proxime sequenti Orator noster: *discrimen sui;* et c. 13. *praesentia uestri.* conf. quae *Schwarzius* ipse docet ad paneg. seq. c. 2. et quae disputat *Sanctius* in Mineru. 2, 13. et *Perizon.* et *Cort.* ad Cic. Ep. ad diuers. 2, 6, 13. *Iaeg.*

IX, 4. *reges Lacedaemones)* Eurysthenes et Procles, Aristodemo geniti, qui Herculem in maioribus suis numerauit. *Corn. Nep. Agesi.* c. 1. *Paus. Lacon.* 1, 2. 7. C.

Lacedaemones, quod omnes libri scripti et editi habent, inusitate pro *Lacedaemoniis* dicitur. *Liuineius* ideo coniicit, legendum esse *Lacedaemonis. Iaeg.*

IX, 5. *uos hoc sponte facitis.)* Rectius Codex noster, item Bertinienſis, et uetus Liuineii, ambo libri Gudiani, item et Cuspinianus, pro *faciatis*, habent, *facitis:* cum id conueniat cum indicatiuo superioris uerbi, *coëgit:* quod utrumque uerbum a praecedente particula, *quod*, dependet. S.

uobis impartire, diuinae profecto immortaliſque fiduciae eſt, quam cupiditas nulla perturbet. Et tamen uides, Imperator, non inuenire me ex omni antiquitate, quod comparem uobis, niſi Herculeae gentis exemplum. Nam ille quidem magnus Alexander iam mihi humilis uidetur, In-

X, 3. *Nam ille quidem — munus acceperit.)* In noſtro Codice pro *Indo Regi* ſcriptum eſt: *modo Regibus*. Liber ſecundus Gudianus ſimpliciter habet, *Regibus*. Sed tuemur lectionem uulgatam: omnino enim Mamertinus Reges multos uoluiſſe uidetur opponere uni. Hic uero fuit Porus, quem, teſte Iuſtino, *Libr.* XXII, *cap.* 8, Alexander, ob honorem uirtutis incolumem in regnum remiſit. De Regulis autem, quos nominat Mamertinus, nihil habemus, quod in medium afferamus. Praeter enim Mamertinum, nullus ſcriptor, ex antiquitate reliquus, horum meminit. Id facile patet, utrosque fuiſſe Duces, uel Reges Germanorum, et alterutrum ſigillatim Regem Francorum. Ita idem Mamertinus, in *Genethliaco Maximiano dicto*, *Cap.* V. commemorat *tropaea Germanica, in media defixa barbaria; et Francos ad petendam pacem cum Rege uenientes*. Varie autem in antiquis libris ſcripta deprehendimus obſcura haec nomina. Alter dicitur *Genobon, Genoboc, Gennobu, Genobonus, Genneboud, Genobond, Gennobonde, Genebaudus*. Eſt hoc nomen compoſitum: nam, docente *Wachtero*, felici originum Germanicarum indagatore, id deſcendit a *Gun*, i. e. uir; et a *Bald*, i. e. audax, fortis, robuſtus; quod in compoſitis exprimitur per *baudes*, *baudus* et *bodus*, litera *l* in media uoce omiſſa. Hinc *Genobaldus* et *Genobaudes*, erant nomina Francorum, et eadem notione ſignificabant uirum audacem et fortem. Quamquam idem cl. Wachterus huius nominis alteram partem etiam referat ad uetuſtam uocem Germanicam, *Bod*; quae in nominibus propriis ueterum uideatur denotaſſe ducem, uel alium aliquem auctoritate iubendi potentem, a *bieten*, mandare, praecipere. Vnde *Bauto*, quaſi regnator, nomen nobilis Franci, et belli ducis, in exercitu Gratiani, apud Zoſimum *Libr.* IV, *cap.* 33; item, *Marobodaus*, et *Merobaudes*, eadem ſignificatione; quorum duorum nominum

prima

do regi fua regna reddendo, cum tam multi reges, Imperatores, ueſtri clientes ſint; cum per te regnum receperit Genobon; Eſatech uero
4 munus acceperit. Quid enim ille aliud expetiuit

prima pars deducitur ab antiquo *Mar*, i. e. princeps, dominus. Sed illae antiquae Germanorum uoces, *bald*, *wald*, *bot*, facile inter ſe conciliari poſſunt. Quod uero ad alterius Regis nomen attinet, id aeque uarie ſcriptum inuenimus: *Eſadech*, *Eſathech*, *Deſathe*, *Vdeſadech*, *Eſaret*, *Satbi*. Laudatiſſimus Wachterus huius ducis Francorum nomen ſcriptum exhibet, *Atech*, idque ait nihil aliud ſignificare, quam *felicem*, uel *fortunatum*; cui ſimile nomen Alamannicum ſit, *Otich*, *Aedich*, uel *Otichо*, in Indice Goldaſti. Refert id ad primitiuum, *Od*, et in Angloſaxonum lingua, *Ead*, i. e. diuitiae, felicitas; *eadig*, felix: inde et deriuat nomen ducis Herulorum et Rugiorum, *Otaker*, *Odoacer*, i. e. felix, diues. Sed haec aliorum diligentiae penitius excutienda relinquimus; id unum ad hunc locum iam addimus, per *munus*, quod *Eſatech* dicitur a Maximiniano accepiſſe, uideri nobis ſignificari *munus pacis*; prout haec coniungit alter Mamertinus, *in Graziarum actione Iuliano dicta*, Cap. VII, 3: *innumerabilibus barbaris data uenia, et munus pacis indultum.* Certe, *Francos cum Rege*, *ad pacem* a Maximiano *petendam*, *uenisse*, teſtatur noſter Mamertinus, in *Genethliaco*, Cap. V, 4. Sed et *munera* proprie ſic dicta dare, potius erat Regum deuictorum, et ſupplicantium, quam uictoris. Vnde parum abeſt, quin ſuſpicemur, uocabulum *pacis*, propter ſyllabam aliquantum ſimilem ſequentis uerbi, *acceperit*, forte ex codicibus MSS. excidiſſe. Codex noſter pro uoce, *munus*, habet, *minus*. S.

X, 4. *Quid enim ille — — placaſſet?*) In Puteolani, Cuſpiniani, Rhenani, Nauii, et Liuineii, exemplaribus, omiſſa eſt particula, *enim*; quae uero in aliis libris ſcriptis excuſisque legitur. Sed potiſſimum huic loco reſtituendum eſt pronomen, *tuum*, poſt uocabulum, *conſpectum*. Etenim, *ad conſpectum tuum*, extat in noſtro Codice; annotatum eſt in altero libro Gudiano; id in uetere Codice etiam reperit Puteanus; et iam euulgauit Cuſpinianus. Praeterea, in noſtro Codice, et ambobus libris Gudianis, haec uerba ſic aptius collocata leguntur: *ut tunc demum integra regnaret auctoritate.* S.

uit, ad conſpectum tuum, cum omni ſua gente ueniendo, niſi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cum te, Maximiane, placaſſet? Oſtendit ille te idemtidem, ut audio, popularibus ſuis, et intueri diu iuſſit, et obſequia diſcere, cum tibi ipſe ſeruiret. Hoc eodem modo rex ille Perſarum, numquam ſe ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo ſupplicat, totumque, ſi ingredi ille dignetur, regnum ſuum pandit. Offert interim uaria miracula, eximiae pulchritudinis feras mittit, amicitiae nomen impetrare contentus, promeretur obſequio. 5 6 7

XI. Veſtra hoc concordia facit, inuictiſſimi Principes, ut uobis, in tanta aequalitate ſucceſſuum, etiam fortuna reſpondeat. Rempublicam enim

X, 6. *rex ille Perſarum*) u. Panegyr. Pacat. 22, 5. *Iaeg.* ib. *fratri tuo ſupplicat, — — pandit.*) Olim obfuſcarat ſententiam huius loci depraua ta ſcriptura; dum Puteolanus, Cuſpinianus, Rhenanus, Nauius, edidere: — — *totumque ſe, ut ingredi ille dignetur, regnum ſuum pandit.* Sed iam ueriorem lectionem euulgarunt Gruterus et Pariſienſes; quae etiam codicis noſtri ſuffragio confirmatur, ac iam a Liuineio ex ſuo et Bertinienſi Codice in margine notata erat. Quibus teſtibus etiam *dignetur*, rectius, quam *dignaretur*, legitur. S.

XI, 1. *Veſtra hoc concordia facit — — reſpondeat.*) Codex noſter pro *hoc*, habet *haec*; et praepoſitionem, *in*, prorſus intermittit. Quae lectio etiam in altero Codice Gudiano obſeruatur. Videant alii, an pronomen, *haec*, commodius referri poſſit ad uocem *concordia?* item, annon praepoſitio, *in*, recte omitti poſſit, ut *aequalitas ſucceſſuum* non ſignificet id bonum, quod iam adſit imperatoribus; ſed quod fortuna eorum concordiae rependat? Sic certe, ſine praepoſitione, loquitur Cicero, *Lib.* XV, *epiſt.* 21. *ad famil. Cui quidem ego amori, (utinam ceteris rebus poſſem!) amore certe reſpondebo.* S.

enim una mente regitis: neque uobis tanta locorum diuerſitas obeſt, quo minus etiam uelut iunctis dexteris gubernetis. Ita, quamuis maieſtatem regiam geminato numine augeatis, utilitatem
3 imperii ſingularis conſentiendo retinetis. Quare, ſi non fruſtra Graeci poëtae hominibus iuſtitiam colentibus repromittunt binos gregum fetus et dupli-

XI. 1. *neque uobis — — gubernetis.)* Equidem iam ſupra, *Cap.* IX, 1. dixerat Mamertinus: *ex diuerſa orbis parte coëuntes inuictas dexteras contuliſtis.* At iam recte obſeruarunt alii, eandem loquendi rationem hic locum habere non poſſe, ubi non tam de fortitudine, quam de coniunctione et concordia Imperatorum ſermo ſit. Particula, *uelut*, male adiiceretur *inuictis dexteris*, quaſi hae non proprie uereque eſſent *inuictae manus*; at bene illa adiici poteſt *iunctis manibus*; quia Imperatores multorum locorum intercapedine et diuerſitate disiuncti non proprie, et ipſo corpore; ſed μεταφορικῶς, et animo, *manus iungere, ac ueluti iunctis dexteris gubernare*, dici poſſunt. Eſi igitur plurimi quidem libri referant, *uelut inuictis dexteris:* iam tamen Iuretus, Liuineius, Puteanus, et Gruterus agnouerunt, poſcere ſententiam, ut legatur. *uelut iunctis dexteris.* Cui lectioni bene locum dedit in eximia editione ſua *Patarol.* S.

XI, 3. *iuſtitiam colentibus repromittunt)* Repromittere quidem proprie dicitur in ſtipulatione et reſtipulatione; u. *Taubmann.* ad *Plaut. Curc.* 5, 2, 67. *Cic.* pro *Roſc. Com.* c. 13. Sed, in ſcriptoribus ſequioris praecipue aetatis, ſaepe idem eſt ac ſimplex *promittere*, u. *Plin.* epiſt. 4, 27, 5. et *Sueton.* Tib. c. 17. et *Erneſtium* τὸν πονν ad eiuſd. *Octav.* c. 78. ubi, pluribus exemplis adlatis, docet, in idiomatis et characteribus ſtili, aetate aurea inclinante et argentea, iam eſſe uerba compoſita ex *re*, pro ſimplicibus, contra Ciceroniani aeui conſuetudinem, uſurpata. *Iaeg.*

ib. *binos gregum fetus* etc.) Fertilitatem iuſtitiae praemium laudat *Homer.* Odyſſ. T. u. 109, ſeqq. et largior *Heſiodus*, ἔργ. u. 171. non ſimplices, ſed triplices fructus promittit. καρπὸν τρὶς

duplices arborum fructus: nunc omnia gentibus uniuerſis gemina debentur, quarum uos domini tam ſancte iuſtitiam et concordiam colitis. Tu 4
quidem certe, Imperator, tantum eſſe in concordia bonum ſtatuis, ut etiam eos, qui circa te potiſſimo funguntur officio, neceſſitudine tibi et affinitate deuinxeris: id pulcherrimum arbitratus, adhaerere lateri tuo non timoris obſequia, ſed uota pietatis. Quorum ductu proxime, cum feliciſſimis ueſtris auſpiciis uterentur, lubrica illa fallaxque gens barbarorum, ut merebatur, affecta eſt. Ve- 5
ſtra haec, Imperator, ueſtra laus eſt. A uobis proficiſcitur, etiam quod per alios adminiſtratur. Vt enim omnia commoda caelo terraque parta, 6
licet diuerſorum numinum ope nobis prouenire uideantur, a ſummis tamen auctoribus manant, Ioue, rectore caeli, et Hercule, pacatore terrarum: ſic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum

Τρὶς τοῦ ἔτους θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἀρουρα.
C.

Adde etiam laudatum a *Liuineio* locum Heſiodi, ἔργ. u. 228. ſqq. et Pomp. Mel. 3, 10. de inſulis Fortunatis. *Iaeg.*

XI, 4. *lubrica illa fallaxque gens barbarorum*) Id eſt, Francorum, ut fere his panegyricis. Incertus in Maximinian. et Conſtantium, *Multa ille* (de Conſtantio ſermo) *Francorum millia, qui Batauiam, aliasque cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit, cepit, abduxit.* Fuſe Eumenius in Conſtantium Caeſ. In moribus, ut hoc addam, conuenit et Saluianus, cuius e V. de prouidentia Dei uerba adſcribam: *Gens Saxonum fera eſt, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, et Hunnorum impudica.* Iterum mox: *Numquid tam accuſabilis Francorum perfidia, quam noſtra?* Et alibi ſaepius. L.

XI, 6. *ſic omnibus pulcherrimis — effectum.*) Non parum

rum ductu geruntur, Diocletianus facit, tu tri-
7 buis effectum. Veſtrae, inquam, fortunae, ue-
ſtrae

parum nos ſollicitos habet hic locus. Miramur enim inſolentem loquendi rationem: *rebus facere effectum*; neque ſatis capimus, quomodo iſta inter ſe luculenter differant: *rebus facere effectum, et tribuere effectum*, ut hinc aliud Diocletianus, aliud Maximianus praeſtitiſſe intelligantur. Neque tamen ulla uarietas in libris animaduertitur, niſi, quod unice in altero libro Gudiano annotatum eſt, haec uerba: *Sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus facit*, a quodam Codice MS. prorſus abfuiſſe, quae tamen ad ſententiam conſtituendam implendamque neceſſario requiruntur. Liuineius, qui et ipſe de integritate huius loci dubitaſſe uidetur, haec ſola notis ſuis inſeruit: *Si haec ſana lectio, ſic acceperim, ut Plinio dictum, Natural. hiſtor.* XVIIII, *cap.* XVI: *Coronopus ſeritur interim, quoniam radix coeliacis praeclare facit in cinere toſta. h. e. ſubuenit, iuuat.* Sed ne ſic quidem ſatis luminis huic loco conciliatur; quia, *facit*, tunc proprie ponitur pro *medetur*. Cunradus noſter Rittershuſius, cuius nomen Muſae Altorfinae nunquam ſinent mori, unice pro uerbo, *facit*, reponendum ſuadet nomen, *faciem*; ut ſic integer locus hic legatur: *ſic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus faciem, tu tribuis effectum.* Credimus, acute rem perſpexiſſe Rittershuſium. Mamertinus perpetuo Diocletianum cum Ioue, Maximianum cum Hercule, comparat; quia ille *Iouius*, hic *Herculeus*, eſt cognominatus. Ergo res haec ex mythologia explicanda eſt. Conſtat, Iouem exiſtimatum eſſe auctorem et parentem rerum omnium, qui omnia procrearit, h. e. omnibus naturam propriam, formam, et ordinem, attribuerit. Ergo, qui haec *facit*, dici poteſt, tribuiſſe et impoſuiſſe rebus formam et *faciem*. Quod docet Varro, *Libr.* V, *cap.* 8, *de Lingua Latina: Proprio nomine*, inquit, *dicitur facere, a facie, quod rei, quam facit, imponit faciem. Vt fictor, cum dicit, fingo, figuram imponit, cum dicit informo, formam. Sic, cum dicit facio, faciem imponit: a qua facie diſcernitur, ut dici poſſit, aliud eſſe ueſtimentum, aliud uas. cetera.* Sic Cicero, cum honeſti naturam exprimere uellet, *Libr.* I, *de offic.*

ſtrae felicitatis eſt, Imperator, quod iam milites ueſtri ad oceanum peruenere uictoria, iam caeſorum

offic. cap. 5, dixit: *Formam quidem ipſam, Marce fili, et tanquam faciem honeſti uides.* Sic ab ordine, ſtatu, et tota forma ac conditione rei publicae, Ciceroni, in *oratione pro Flacco, cap.* XV, dicitur *facies ciuitatis*; et Salluſtio, in *Catil. Cap.* XXXI, *immutata Vrbis facies*; in *Iugurtha, Cap.* XXXXIIII, *inſolita facies*; ibidem, *Cap.* LI, *facies totius negotii uaria, incerta, foeda atque miſerabilis*; *Cap.* LXXVIII, *facies locorum.* Huc pertinent, quae Gellius, *Libr.* XIII, *Noct. Attic. Cap.* 28, ad explicandam notionem uocabuli, *facies*, affert. *Quidam*, inquit, *faciem eſſe hominis putant os tantum, et oculos, et genas, quod Graeci* πρόσωπον *dicunt: cum tamen facies ſit forma omnis, et modus, et factura quaedam totius corporis, a faciendo dicta, ut ab aſpectu ſpecies, et a fingendo figura.* — — *Non ſolum autem in hominum corporibus, ſed etiam in rerum cuiusque modi aliarum, facies dicitur: nam montis, et cæli, et maris, facies, ſi tempeſtiue dicatur, probe dicitur.* Quod ad Herculem attinet, ei, prae ceteris diis, uirtus, uis, et efficacia adſcribebatur. Quamobrem ex hac ſimilitudine bene dici potuit Diocletianus Iouius, ſenior Auguſtus, Iouis more, omnibus rebus pulcherrimis, et negotiis, quae ſuis auſpiciis, et aliorum ductu, in imperio Romano, gererentur, *faciem*, i. e. formam, ordinem, et decus, tribuiſſe; nec minus Maximianus Herculeus, cum ipſe diuinam uirtutem ſuam exercitatione ſolita exeruiſſe, ipſe pugnaſſe, ipſe omnibus locis totaque acie dimicaſſe, atque hoſti undique occurriſſe, perhibeatur, *Cap.* V *Paneg.* recte dici potuit, Herculis more, tribuiſſe iisdem rebus ueram efficaciam, et ipſum effectum. Si quibus haec nondum ſufficiant, ſatis habebunt, cum hinc excitabuntur, ut melioribus ingenii codicumque ueterum ſubſidiis inſtructi, ueriorem lectionem, aut lectionis uulgatae certiorem interpretationem, in lucem proferant. *S.*

XI, 7. *iam milites ueſtri ad Oceanum peruenere uictoria.)* Pro, *uictoria*, multo elegantius habet Codex noſter, *uictores.* Cui lectioni etiam calculum addunt ambo libri Gudiani; item uetus Codex Puteani. Sic et ibidem, in ſequentibus, numeroſius legitur,

rum in illo litore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt.

XII. Quid nunc animi habet ille pirata, cum fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, paene uestros exercitus uideat ingressos, oblitosque nauium, refugum mare secutos esse, qua cederet? Quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet Oceanum? Quo denique pacto effugere poenas reipublicae potest? 3 Nisi si hausto terrae deuoretur, aut turbine aliquo in deuia saxa rapiatur. Aedificatae sunt, ornataeque pulcherrimae classes, cunctis simul amnibus Oceanum petiturae. Neque solum ad perficiendas 4 eas certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipiendas flumina repente creuerunt. Toto fere anno, Imperator, quo tibi opus erat serenitate, ut naualia texerentur, ut trabes caederentur, ut artificum animi uigerent, ne manus torpescerent, nullus fere dies imbre foedatus est. Hiems 5 ipsa temperiem ueris imitata est. Iam non Septemtrioni nos putauimus subiacere, sed, quasi trans-

legitur, *fluctus reciproci sorbuerunt*; quam, *reciproci flustus*. etc. *S.*

XII, 1. *ille pirata.)* Carausius, de quo Eutrop. 9, 13. *C.*

XII, 2. *insul. remotior.)* Aliam, ultra Britanniam, in quam se reciperet, Romanor. arma fugiturus. *Id.*

XII, 4. — — *ut trabes caederentur, — foedatus est.)* Concinne Codex noster media huius loci uerba ita collocat: *ut manus ne torpescerent.* Concinunt etiam huic uerborum collocationi libri Gudiani. Paullo ante haec uerba, ne id reticeamus, liber alter Gudianus habet: *cinctis simul amnibus Oceanum petiturae*; ubi ceteri libri pro *cinctis*, exhibent, *cunctis*. Alias etiam saepe in antiquis Codicibus, *cuncti* et *iuncti*, inter se permutantur. *S.*

translatis ſideribus aut terris, meridiani caeli clementiam ſenſimus. Fluuius hic noſter, diu pluuiarum pabulo carens, impatiens erat nauium, ſolam naualibus tuis materiam deuehebat. Ecce autem ſubito, cum iam deduci liburnas oporteret, tibi uberes fontes terra ſubmiſit, tibi largos imbres Iupiter fudit, tibi totis fluminum alueis Oceanus redundauit. Ita in aquas ſponte ſubeuntes impetum nauigia fecerunt, leui modo commota nixu ducentium, quorum ad feliciſſimum illud exordium magis opus erat nautico carmine, 6 7

F quam

XII, 7. *Ita in aquas ſponte — nixu ducentium.*) Vti alibi uocabula, *lenis*, et *leuis*, non raro a librariis inter ſe permutantur, ut aliquando haeſites, utrum recipias, cum utrumque non ſolum de perſonis, ſed et de rebus, dicatur: ita et alter liber Gudianus habet, *leni*; ubi in aliis libris extat, *leui*. Malumus tamen hoc loco lectionem uulgatam retinere. *Leuis nixus*, uel *niſus*, dicitur, ut *lenis labor*. Plautus, in *Rudente*, A. I, ſc. 3: *Labor leuior eſſet hic mihi eius opera.* Quanquam et hic quaedam editiones habent, *lenior*. Sed et in noſtro Codice, et in utroque libro Gudiano, *niſu*, ſcriptum eſt, ubi in aliis libris, *nixu*, legitur. Etiam in Bertinienſi Codice *niſu* ſcriptum fuiſſe, teſtatur Liuineius. Ita nimirum et haec promiſcue dicuntur; quanquam Seruio, ad Virgil. I, *Aen. u.* 144, *innixus*, pro, *anniſus*, uideatur eſſe obſoletius; atque Grammatici ueteres aliquando inter *niſum* et *nixum* diſcrimen ſtatuant, quaſi *nixus* ad corpus, *niſus* ad animum, referatur. Heinſius tamen, ad Ouid. IIII *Ep.* 126, cenſet, parum referre, *niſus*, an *nixus*, legatur. Gerardus etiam Io. Voſſius, *Libr. V Art. Gramm. Cap.* 31, plurimis exemplis oſtendit, diſcrimen illud a Grammaticis traditum non eſſe perpetuo obſeruatum. Confer Drackenborchii eruditas notas *ad Silium Italicum*, *L.* II, *u.* 123. S.

XII, 7. *magis opus erat nautico carmine, quam labore.*) Prodit ſcriptura *Petri Danielis*, Cl. *Puteanum* fuiſſe ea mente, ut putaret, reſpicere Panegyriſten ad quarumdam gentium

8 quam labore. Facile itaque quiuis intelligit, Imperator, quam prosperi te successus in re maritima secuturi sint, cum iam sic tempestatum opportunitas obsequatur.

XIII. Felix igitur talibus, Roma, principibus, (fas est enim, ut hoc dicendi munus pium, unde coepimus, terminemus:) felix, inquam, et nunc multo felicior, quam sub Remo
2 et Romulo tuis. Illi enim, fratres quamuis gemini-

gentium morem, quae diem anni, qua nauigationem auspicabantur, feriis celebrabant, de quo *Apuleius* L. XI. Metamorph. et *Vegetius* l. IV. c. 39. (al. l. V. c. 9.) de re militari. Adsentior opinioni eius; sed ita, ut etiam attenderit auctor ad celeusma nauticum, quod solleminiter intendebatur, cum noua classis committeretur aquae: cuius moris exempla aliquot erui, posuique in Suspicionibus. G.

XII, 8. *Facile itaque quiuis intelligit, — obsequatur*) Codex noster, et uterque liber Gudianus, pro *itaque* habent, *igitur*; sed licet parum ad sensum interfit, utram recipias particulam; cum tamen mox sequatur alia periodus: *Felix igitur*; satius est, retinere uulgatam. Idem libri pro, *quum*, exhibent, *cui*, fortasse meliore mutatione; quoniam, si, *quum*, retineas, quodammodo desideres pronomen, *tibi*, ante uerbum, *obsequatur*, collocandum. Sed et Liuineius ex uetere suo Codice, *cui*, pro, *cum*; et *obsequebatur*, pro, *obsequatur*, annotauit. Cicero, pro *obsequi*, dixit *obsecundare*, pro *lege Manil. Cap.* XVI: *ut eius semper uoluntatibus non modo ciues assenserint, hostes obedierint; sed etiam uenti tempestatesque obsecundarint.* S.

XIII, 1. *sub Remo et Romulo tuis.*) Adde *conditoribus*. Sensus enim id uidetur postulare: maxime cum mox addat, *bi uero conseruatores tui*; quae duo oppositа consulto uidentur. B.

XIII, 2. *Illi enim fratres — imponeret,*) Loquitur Mamertinus de Romulo et Remo. In Codice nostro, omissis uocibus, *que essent*, ita legimus: *Illi enim, quamuis fratres gemini, certauerunt tamen*, etc. Satis bene; nam et aliis auctoribus tantum non perpetuo dicuntur, *fratres gemini*, sine copula; nec

minique essent, certauerunt tamen, uter suum tibi nomen imponeret, diuersosque montes et auspicia ceperunt: hi uero conseruatores tui (sit licet nunc tuum tanto maius imperium, quanto latius est uetere pomoerio, quidquid homines colunt,) nullo circa te liuore contendunt. Hi, quum primum redeant ad te triumphantes, uno cupiunt inuehi curru, simul adire

nec raro particula, *quamuis*, admittit ἔλλειψιν uerbi *substantiui*: haud tamen nolimus repugnare consensui tot aliorum librorum; cum orator per ἔμφασιν dicere potuerit, Romulum et Remum non solum tanquam *fratres*, sed praeterea tanquam ipsos *geminos*, eodem partu editos, inter se contendisse. *S.*

XIII, 2. *hi uero conseruatores tui, — contendunt.)* Orator, uelut per προσωποποιΐαν alloquitur Romam. Olim Puteolanus, Rhenanus, Naeuius, et Stephani, mendose in hoc loco ediderant: *latius es.* Imo adhuc mendosius Cuspinianus: *latior es*; sicut et in libro primo Gudiano iunctim scriptum est: *latiores.* At Liuineius, in *notis*, iam recte coniecit, aperte probum esse, *latius est*; et, *quicquid homines colunt*, tantundem esse, ac si orator dixisset, *orbis terrarum.* Iam igitur ueriorem lectionem eulgauit Gruterus; quae et Codicis nostri consensu comprobatur. Quid autem sit *pomoerium*, explicat Varro, *Libr.* IIII *de Lingua Latina. Principium*, inquit, *quod erat post murum, Pomoerium dictum, eiusque ambitu auspicia urbana finiuntur.* Quod autem attinet ad *antiquissimum pomoerium, quod a Romulo institutum* erat, id, tradente Gellio, *Libr.* XIII *Noct. Attic. Cap.* 14, *Palatini montis radicibus terminabatur: sed id pomoerium, pro incrementis reipublicae, aliquoties prolatum est, et multos editosque colles complexum est. Habebat autem ius proferendi pomoerii, qui Populum Romanum agro de hostibus capto auxerat. S.*

XIII, 2. *Hi, quum primum — inuehi curru,)* In Codice nostro haec uerba sic translocata nobis occurrunt: *Hi, quum primum ad te redeant triumphantes*, etc. Liber primus Gudianus pro *redeant*, habet, *redeunt.* Nos uelimus legere: *Hi, quam primum*, etc. *S.*

3 Capitolium, simul habitare Palatium. Vtere, quaeso, tuorum principum utroque cognomine, cum non cogaris eligere. Licet nunc simul et
4 Herculea dicaris et Iouia. O quanto nunc, Imperatores, illa ciuitas esset augustior, quanto magis hunc natalem suum diem coleret, si uos, stipatos uestro senatu, in illa Capitolini Iouis arce conspiceret! Quae nunc sine dubio praesentiam uestri sibi fingit, aedes uestrorum numinum frequentando, et ibidem, sicut a maioribus institutum est, inuocando Statorem Iouem, Hercu-
5 lemque Victorem. Hoc enim quondam illi deo cognomen adscripsit is, qui, cum piratas oneraria naue

XIII, 4. *O quanto nunc, — Herculemque Victorem*) Haec uerba: *quanto magis hunc natalem suum diem coleret,* omissa sunt in nostro Codice; omissa etiam in Codice alio, cuius uariantes lectiones relatae sunt in librum alterum Gudianum; cum tamen haec ipsa uerba uideantur dignissima, quae huic loco CL. Mamertini afferantur. Ita scilicet nullus facile Codex MS. tam bonae notae reperitur, ubi non identidem dormitarit librarius! In omnibus editionibus ante Cellarianam proditis, reperimus excusum: *si uos stipato uestro senatu,* etc. pro *stipato* tamen iam *stipatos* in suo uetere Codice legit Liuineius; et Gruterus etiam refert, similiter Puteanum ac Bongarsium maluisse, *stipatos;* cui lectioni nunc quoque Codex noster, et ambo libri Gudiani, adstipulantur. Porro *praesentiam uestri,* omnes quidem libri typis impressi, una cum Codice nostro, referunt; alter tamen liber Gudianus, et uetus Codex Liuineii, bene habent: *praesentiam uestram.* Sic enim et ipse Mamertinus in fine huius Panegyrici dicit: *adhuc praesentia tua fruimur;* non, *praesentia tui.* [u. tamen supra, 9, 3.] Denique in hoc loco, pro *identidem,* melius *ibidem,* exprimunt Codex noster, et alter liber Gudianus. S. [*Ibidem* legitur quoque in Cod. uet. *Puteani,* et in ora ed. Frobenianae.] *Inog.*

XIII, 5. *cognomen adscripsisti, qui, cum piratas*) Lae-

naue uiciſſet, ab ipſo audiuit Hercule per quietem, illius ope uictoriam contigiſſe: adeo, ſacratiſſime Imperator, multis iam ſaeculis inter officia eſt numinis tui, ſuperare piratas.

XIV. Sed profecto mature ille illuceſcet dies, cum uos uideat Roma uictores, et alacrem ſub dextera filium, quem, ad honeſtiſſimas artes omnibus ingenii bonis natum, felix aliquis praeceptor exſpectat, cui nullo labore conſtabit, diuinam immortalemque progeniem ad ſtudium laudis hortari. Non neceſſe erit, Camillos et 2
Maximos et Curios et Catones proponere ad imitandum: quin potius ueſtra illi facta demonſtret, uos idemtidem et ſemper oſtendat, praeſentes et optimos imperatoriae inſtitutionis auctores. Interim tamen te, gentium domina, quo- 3
niam hunc optatiſſimum principem in Galliis ſuis

 reti-

Laetor, ueniſſe et mihi olim ſub calamum coniectaneum *Longarſii*, nec non *Puteani* atque *Liuineii*. Nempe: *cognomen adſcripſit is, qui, cum* etc. Intelligit autem M. Octauium Herennium, de quo *Macrobius* l. 3. Saturn. c. 6. At Herculi, cognomento Victori, non unam dedicatam fuiſſe aram, non unum templum, coniicere eſt ex multis epigraphis, quas nondum nobis inuidit omnia conſumens uetuſtas. Eo enim titulo uocatur in Inſcriptionum noſtrarum Theſauro p. XXIII. 2. l. 3. CCCXV. 7. 8. MLXX. 7. Inuicti uero nomine inſignitur p. XLVI. 7. 8. 9. 10. 12. XLVIII. 1. CCCXV. 7. MVI. 3. MXVII. 6. MLXX. 6. G.

XIV, 1. *ſub dextera filium,)* Maxentium, quem alii uerum Maximiani filium, alii priuignum appellant, alii ſuppoſitum ab Eutropia, Maximiani uxore, quo mariti animum teneret. B.

XIV. 3. — — *quoniam hunc optatiſſimum — reipublicae,)* Aliquot editiones ueteres pro uoce, *optatiſſimum*, exhibent, *optimum*, quod olim cognomen Traiani proprium fuit. Sed illam alteram

retinet ratio reipublicae, quaesumus, si fieri potest, ne huic inuideas ciuitati, cui nunc ille similitudinem maiestatis tuae confert, natalem tuum diem celebrando in ea, consuetudine
4 magnificentiae tibi debitae. Teque ipsum, Imperator, oramus, ut etiam, cum uos, totius Orbis securitate composita, illa imperii uestri mater acceperit, amplexus eius arctissimos interdum piis manibus resoluatis: tuque potissimum (credo enim hoc idem Diocletianum Oriens rogat,) has prouincias tuas frequenter illustres, et, profundissima licet pace florentes, aduen-
5 tu numinis tui reddas feliciores. Vides, Imperator, quanta uis sit tuorum in nos caelestium beneficiorum? Adhuc praesentia tua fruimur, et iam reditum desideramus.

alteram lectionem, *optatissimum*, iam euulgauit Cuspinianus; quem et alii sunt secuti; quibus nunc et Codex noster, et ambo libri Gudiani, bene concinunt. Etenim iam proxime praecesserat: *optimos imperatoriae institutionis auctores.* S.

Cap. XIV, 5, *Vides, Imperator, — desideramus.*) Ex Codice nostro, et ex utroque libro Gudiano, uoculam, *iam*, clausulae huius Panegyrici restituendam censemus, ut sic posteriora uerba legantur: *Adhuc praesentia tua fruimur, et iam reditum desideramus.* i. e. nondum a nobis discessisti, et nihilominus *iam* reditum tuum optamus, desideramusque. Quantam uim huic clausulae conciliet ista particula, hi facile intelligunt, qui harum rerum habent intelligentiam. S.

II.

CLAVDII MAMERTINI

PANEGYRICVS

GENETHLIACVS

MAXIMIANO AVGVSTO

DICTVS.

C. G. SCHWARZII PROLEGOMENA.

I.

Quod ad auctorem huius panegyrici attinet, sequor uulgarem opinionem: neque enim prorsus consentiunt ueteres libri. Antecedentis panegyrici inscriptio in Codice MS. quem ipse possideo, haec est: GENTHLIACI RHETORIS OPTIMI PANEGYRICVS DICTVS DIVO MAX. AVGVSTO. In fine istius panegyrici haec uerba notata legimus: PANEGYRICVS SEXTVS DICTVS MAXIMIANO ET DIOCLETIANO FINIT. INCIPIT EORVNDEM GENETHLIACVS. Atque hic posterior est ille ipse panegyricus, quem nunc pro uirili parte explicandum nobis sumimus. Cuius calci haec uerba sunt adscripta: GENETHLIACVS MAXI. ET DIOCLETIANI. FINIT. Vides ergo, neque a principio, neque in fine, panegyricum hunc in Codice nostro nomine *CL. Mamertini* signari. Atque ita etiam alii Codices MSS. quos Gudius excerpsit, in ambobus libris, de quibus alibi dixi, non habent nomen *Mamertini* praescriptum; nisi quod in unico Codice scriptum fuerit: EIVSDEM MAMERTINI GENETHLIACVS MAXIMIANI AVGVSTI. Hunc adeo ipsum titulum in excusis libris primus edidit Puteolanus, et deinde Cuspinianus. Praeterea Io. Liuineius, A. 1599, nomini *Mamertini* Praenomen *Claudii* praeposuit; hosque similiter secuti sunt Ianus Gruterus, Puteanus, et Iac. de la Baune, Cellarius et Patarol. At Beatus Rhenanus A. 1520 hoc elogium

praefixit noſtro Panegyrico: EIVSDEM MAMERTINI GENETHLIACVS MAXIMIANI AVGVSTI, IN EIVS NATALI DICTVS. *In quo rurſus multa ſunt in Diocletiani laudem, cuius in imperio conſors erat Maximianus.* Rhenanum preſſe ſecutus eſt Henricus Stephanus A. 1591, et 1606; itemque Andreas Riuinus, A. 1650. Ex eodem panegyrico aliquot loca excitat Carolus Sigonius, *lib. I de occidentali Imperio, pag.* 8, 16, 17; eundemque adſcribit *Mamertino*, et *Mamertinum* uocat *oratorem Belgicum*, huiusque collaudat *Gallicam dicendi copiam.* Antonius Pagi, in *Diſſertat. hypatica*, *P. I, cap. II, n.* VIII. monet, *Panegyrico Genethliaco*, quem Mamertinus dixit Maximiano, reſtituendum eſſe legitimum titulum, qui in omnibus fere ueteribus Codicibus legatur: P. EIVSDEM GENETHLIACVS MAXIMIANI A. ET DIOCLETIANI. i. e. *Panegyricus eiusdem* (Mamertini) *Genethliacus Maximiani Auguſti et Diocletiani.* Vtinam Pagius ſimul annotaſſet, ubi aſſeruentur iſti Codices, in quibus titulum hunc ita ſcriptum inuenerit! Neque tamen eum improbo: quia ex ipſius panegyrici argumento liquet, dictum eſſe in honorem gemini natalis uitae utriusque Imperatoris, *Diocletiani* et *Maximiani*; et utriusque laudes eadem oratione praedicatas eſſe, quamuis tunc *Diocletianus* abſens eſſet. Equidem nomen *Diocletiani*, tanquam ſenioris Auguſti, nomini *Maximiani* praemittendum fuiſſe uideatur; putes tamen, forte ordinem horum nominum ideo inuerſum obſeruari, quia *Maximianus* coram audierit panegyricum, eumque deſcriptum Mamertinus Maximiano ipſi obtulerit, dedicaritque. Vtcunque uero eſt, interim uulgatam inſcriptionem retinere malui.

II.

II.

Vt uero eo facilius intelligamus, quae in hoc panegyrico occurrunt, pauca quaedam de ortu et dignitate utriusque huius Imperatoris ex historia repetemus. CAIVS AVRELIVS VALERIVS DIOCLETIANVS, teste Victore, in *Epitome*, natione Dalmata fuit, Anuleni senatoris quondam libertinus, matre pariter atque opido, ubi natus erat, nomine Dioclea: unde prius *Diocles* appellatus, deinceps, ubi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem conuertit, ut *Diocletianus* audiret. Hic, quod iam ad priorem Mamertini panegyricum animaduertimus, anno Christi CCLXXXIIII, XV Kal. Octobr. h. e. die XVII. Septembris, ac, referente quidem Eutropio, *lib.* VIIII, *cap.* 19, ab exercitu de Perside uicta redeunte, post Carum Augustum fulmine, et Numerianum Caesarem insidiis, amissos, Imperator consalutatus creatusque est. Sic eodem anno, et quidem XII Kal. Decembr. h. e. die XX Nouembris, Diocletianus, ut M. Aurelium Carinum, Caesarem, filium Cari Imperatoris, fratrem Numeriani, sibi aduersarium, facilius opprimeret, M. AVRELIVM MAXIMIANVM, natione Pannonem, patria Sirmiensem, Caesarem nuncupauit, et demum anno Christi CCLXXXVI, ipsis Kalendis Aprilibus, teste Idacio, in *Fastis*, ad Augusti fastigium prouexit, siue, ut Eutropius, *lib.* VIIII, *cap.* 22, loquitur, *ex Caesare fecit Augustum.* Quas res uterque hic Imperator ab initio summae dignitatis suae usque ad annum Christi CCLXXXVIIII gesserit, praeter scriptores historicos, Victorem, Eutropium, et alios, commemorauit aut breui-

ter

ter attigit Cl. Mamertinus, in priore panegyrico, quem praesente tunc Maximiano Aug. habuit. Nunc similes laudes utrorumque in hoc altero panegyrico praedicat, easque a rebus usque ad annum Christi CCLXXXXI gestis auget.

III.

Deprehendimus, non solum apud scriptores ueteres, sed in antiquis etiam monimentis, *Diocletianum* haud raro IOVII, et *Maximianum* HERCVLII, cognomine insigniri. Sic Gruterus, *pag.* CCLXXX, 3, exhibet monimentum uetustum, quod Cluniae, in Hispania, in pulchra quidem columna repertum est:

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIAN. HERCVLEVS
CAES. AVGG
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET OCCIDENTEM
IMP*erio*. ROM*ano*
ET
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT

Sic Mediobarbus, in *Numismatibus Imperatorum Rom. pag.* 425, nummum aureum annotauit, in cuius aduersa parte conspiciantur Diocletiani et Maximiani capita coniuncta; in auersa parte duo Imperatores sacrificantes, cum ara, aliisque figuris, supra scriptis nominibus, IOVIO ET HERCVLIO. Sic Eumenius, in *paneg. Constantio Caesari dicto, cap.* IV, non alios, nisi Diocletianum et Maximianum, designat his uerbis:

verbis: *Et sine praeter usum curamque reipublicae, etiam illa Iouis et Herculis cognata maiestas in* IOVIO HERCVLIOque PRINCIPIBVS *totius mundi coelestiumque rerum similitudinem requirebat.* Et de his etiam loquitur Lactantius, *de mortibus Persecutorum, cap.* LI: *Vbi sunt modo magnifica illa et clara per gentes* IOVIORVM et HERCVLIORVM *cognomina, quae primum a Dioclete ac Maximiano insolenter assumta, ac postmodum ad successores eorum translata uiguerunt?* Nempe horum imitatione etiam posthaec Galerius Maximianus Caesar, gener Diocletiani, *Iouius*; et Constantius ac Constantinus, generi Maximiani, *Herculii*, dicti sunt. Taceo, hinc etiam Romam dictam esse *Herculeam* et *Iouiam*, apud Mamertinum, *paneg.* priore, *cap.* XIII. item *Iouia et Herculia auxilia*, apud Victorem, *de Caesaribus*, *cap.* XXXVIIII, *Iouias* et *Herculias cohortes*, apud Vegetium, *lib.* I, *cap.* 17; et Ammianum Marcellinum, *lib.* XXII, *cap.* I, etc. Vide Spanhemium, *dissert.* XII, *pag.* 497. Quodsi Aur. Victori, l. c. fides habenda, Diocletianus *Iouii*, et Maximianus, *Herculii*, cognomen ab assiduo cultu horum numinum, *Iouis* et *Herculis*, inuenerunt. *Huic* Maximiano, inquit, *postea cultu numinis Herculii cognomentum accessit; uti Valerio* Diocletiano, *Iouium.* Nec nego, fieri potuisse, ut hi Imperatores ab initio cognomina ista traxerint a cultu deorum. *Quidam* enim, inquit Lactantius, *lib.* VI, *cap.* 6, etiam *probitate ficta uiam sibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa, quae boni solent.* Ipse quoque Mamertinus noster, *Genethl. cap.* VI. mire utriusque pietatem laudat. *Sanctiores*, inquit, *deos feciſtis exempla ueſtrae uenerationis: nunc enim uere homines intelligunt, quaenam potestas deorum,*

deorum, cum tam impense colantur a uobis. Harduinus, *Select. Oper. pag.* 444, opinatus est, hisce duobus Augustis IOVIS et HERCVLIS nomina ad designandas primarias eorum uirtutes esse adscripta; propterea, quod alter, Diocletianus nempe, consilio; alter, Maximianus, fortitudine, rempublicam tutati sint. At enimuero nihil dubito, quin hi Principes, obscurissimo loco nati, ubi ex potentia et successu rerum altiores sumserant animos, non solum affectarint originem diuinam; quasi scilicet Diocletianus *Iouem*, Maximianus *Herculem*, generis sui habuerint auctores; sed etiam eo paratius se ipsos, tanquam Iouem et Herculem, in terris coli atque adorari fiuerint. Huius rei locuples testis est ipse Mamertinus noster. Sic enim, in priore panegyrico, *cap.* I, *Herculem* uocat *principem generis ac nominis* Maximiani Herculii. *Cap.* II: *Quanto tandem studio*, inquit, *nos hic conuenit, qui* TE PRAESENTEM *hic intuemur* DEVM, *toto quidem orbe uictorem*, — *quidquid spiritus et uocis habemus, omne id in laudibus tuis occupare.* — *An diuinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione, testaris?* Idem, *in Genethl. cap.* II, de utroque hoc principe: *Vos* DIIS ESSE GENITOS, *et nominibus uestris, sed multo magis uirtutibus, approbatis.* Atque, ut nunc cetera, quae huc pertineant, loca praeteream, maximum huiusmodi adulationis specimen e *cap.* X repeto: *Non opinione traditus, sed* CONSPICVVS ET PRAESENS IVPITER COMINVS INVOCARI; *non aduena, sed Imperator* HERCVLES ADORARI. Similiter auctor incertus *panegyrici epithalamii*, genero Maximiani Herculii, Constantino, dicti, *cap.* VIII: *Hic est*, inquit, *qui nomen, quod accepit a* DEO, PRIN-

PRINCIPE GENERIS SVI, *dedit uobis; qui ſe* PROGENIEM HERCVLIS, *non adulationibus fabuloſis, ſed aequatis uirtutibus comprobauit.* Veſaniam illam affectati admiſſique cultus diuini in Diocletiano aeque ac Maximiano notant teſtanturque etiam alii ſcriptores, u. g. Aurel. Victor, *in Caeſaribus, cap.* XXXVIIII, ubi diſerte de Diocletiano haec ſcribit: *Se primus omnium, poſt Caligulam Domitianumque, Dominum palam dici paſſus, et* ADORARI SE APPELLARI*que uti* DEVM. Adde Eutropium, *lib.* VIIII, *cap.* 16; et Euſebium, in *Chronico*, *pag.* 18; itemque uaria numiſmata, et alia monimenta. Conf. Spanhem. *Diſſert.* XII, *pag.* 495.

IV.

Ita haud difficulter explicari poſſunt duo ueteres nummi. Alter cum capite laureato MAXIMIANI AVGVSTI. Cuius Imperatoris integrum nomen aliis nummis et lapidibus inſcriptum ſic legitur: IMP. C. AVR. MAXIMIANVS. P. F. AVG. i. e. *Imperator Caeſar Aurelius Maximianus Pius Felix Auguſtus.* In poſtica nummi parte conſpicitur Hercules, duabus clauis inſtructus, dextra clauа Hydram petens; niſi ſuſpiceris, alteram clauam ex lacinia pellis leonnae forte effictam eſſe. Superne haec uerba ſculpta ſunt: HERCVLI DEBELLATORI. Incertus ſum, utrum Maximianus res ſuas fortiter geſtas Herculi, deo commentitio, ſic acceptas referre uoluerit; an ipſe, tanquam Hercules, debellator hoſtium ſuorum, uoluerit repraeſentari? *Hydra* illa fuit ſerpens multorum capitum, quam in Lerna palude conſtitiſſe, et ab Hercule tandem uictam eſſe, narrant poëtae. Dicitur Virgilio, *lib.* VI *Aen. u.* 576: *Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.*

Hydra. Scilicet alii *Hydram* tria tradunt habuisse capita; alii, septem; alii, nouem; alii quinquaginta; alii, centum. Tanta est discrepantia fabularum! Fabulam uero pleniorem Lernaeae serpentis habemus apud Palaephatum, *fab.* XXXVIIII; et Ouidium, *lib.* VIIII *Metam. u.* 68. Spanhemius, *dissert.* V. ubi huius nummi meminit, existimat, Maximianum intendisse hoc nummo per *Hydram* potissimum designare renascentem post tot funera christianorum gentem; cum hic Imperator, Herculius cognominatus, cum Diocletiano Iouio, collega suo, uana iactantia testari uoluerint, nihilominus gentem christianorum tandem a se prostratam ac triumphatam esse. Et sane haec ipsa laus ab utroque hoc Augusto impie etiam in uetere lapide quaesita est, quem paullo ante, (n. III) e Grutero descripsi. Idemque obseruat Spanhemius, istis hominibus furientibus uisum esse Symbolum *Hydrae* in hoc nummo expressae haud male scilicet quadrare in christianos, et sociam utriusque Augusti in ea secta debellanda operam. Etiam Begerus, cum eundem nummum, in *Thesauro Palatino, pag.* 361, explicat: *Licet hic nummus*, inquit, *ad prostratos Maximiani hostes procul dubio sit referendus; fortassis tamen ad persecutionem etiam christianorum retulerit homo ethnicus. Christiani, ut palma nobilis, ipsa in calamitate surrexere, et ex cladibus suis numerosiores prodiere: id inimici comparauerunt Hydrae, quae et ipsa post clades numerosiore capitum luxuria increuisse memoratur.* Quae dum scribo, mihi in mentem uenit, an non ueteres mythologi fingendae fabulae de Hydra occasionem ceperint a polypis marinis, de quibus quaecunque pars resecetur, hodie non nulli Batani et Britanni narrant,

ex

ex ea nouum polypum mox exiſtere. Alter uero nummus in aduerſa parte repraeſentat protomen Diocletiani laureati, cum hac epigraphe: IMP C C VAL DIOCLETIANVS P F AVG. i. e. *Imperator Caeſar Caius Valerius Diocletianus Pius Felix Auguſtus*. In auerſa parte *Iupiter fulgerator* hominem biformem, ſiue gigantem, qui pedum crurumque loco habet ſerpentes, fulmine proſtraturus uidetur. Fabulam breuiter tradit Ouidius, *lib.* V *Faſt. u.* 35, ſeqq.

Terra feros partus, immania monſtra, Gigantes
Edidit, auſuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, et pro cruribus ANGVES,
Atque ait: in magnos arma mouete deos!
Exſtruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Iouem.
FVLMINA de coeli iaculatus Iuppiter arce
Vertit in auctores pondera uaſta ſuos.

Sine dubio per iſtum Gigantem, ſiue ſigillatim per Typhonem, primarium Gigantum, qui, narrante Hygino, *fab.* CCLII, *Iouem prouocauit, ſi uellet ſecum de regno certare, ſed cuius pectus Iupiter fulmine ardenti percuſſit*; deſignatur quidam inſignis hoſtis, qui Diocletiano, eiusque imperio, inſidiatus eſt: uerum, quia nummus ſingulari temporis indicio deſtituitur, quis ille hoſtis fuerit, definire non poſſum. *Forſitan*, inquit Begerus, *de Achilleo delicto hunc typum intelligas, qui in Aegypto maieſtatem ſibi uindicaturus Diocletiani armis ſuccubuit; quamquam et alia eius ſint geſta.*

V.

Sub his duobus Imperatoribus, Diocletiano et Maximiano, tanta aduersus christianos exarsit persecutio, ut ipse Henr. Dodwellus, in *Dissert. Cyprianica* XII, ubi egit de *paucitate martyrum*, §. LXV, non potuerit non fateri, hanc, uti omnium longissimam, ita etiam saeuissimam, certe martyrum prouentu copiosissimam, fuisse persecutionem: inde etiam factum, ut *Aeram Diocletiani* recentiores Graeci *Aeram martyrum* appellarint. Quam persecutionem potissimum Eusebius, *lib.* VIII *Histor. eccles.* et Lactantius, *de mortibus persecutorum*, descripserunt. Iam, si quis quaerat, an, et cur non, Mamertinus in duobus panegyricis suis etiam meminerit huiusmodi persecutionis christianorum, cum inde, pro suo instituto, laudem pietatis utriusque Imperatoris maiorem in modum augere potuisset? respondeo, cum Mamertinus orationes suas intra priores quinque annos imperii Diocletiani et Maximiani habuerit, eum ne potuisse quidem hoc argumentum attingere; propterea quod, teste Eusebio, *lib.* VIII, *cap.* 1. utrique Imperatores primis temporibus non parum fauerunt christianis; ubi indicat, quantam gloriam ante persecutionem, anno demum CCCIII plenius excitatam, religio christiana fuerit consecuta. Vnde Theod. Ruinartus, in *praefatione ad Acta martyrum*: *Non imus infitias*, inquit, *primis Diocletiani et Maximiani temporibus Ecclesiam nullis edictis agitatam fuisse, nec tum christianos, maxime in his locis, qui sub speciali Diocletiani cura erant, inquisitos fuisse. Vnde, si tunc martyria aliquot fuere, aut ueterum legum auctoritate, aut ex praesidum ingenio, uel alia quauis occasione, absque edictis parata sunt. Persecutionis initium*

anno

anno CCLXXXXIII *consignari posse uidetur, quo Diocletianus, decennalia imperii sui celebraturus, se ut deum adorari iussit.* Sed et alii scriptores profani non facile de ista Diocletiana christianorum persecutione aliquid referunt, ut nesciam, an fortasse ipsi argumentum hoc non satis dignum laude habuerint? At uidemus, quem exitum habuerit ista stolida iactantium impietas, *se nomen christianum deleuisse*: cum saeuissimi isti homines in aeternis iaceant tenebris, omnique posteritate sua iamdudum ex orbe terrarum deleta exstirpataque, nihil reliquerint, nisi uana quorundam adulantium monimenta, et execrabilem insanae aduersus christianos crudelitatis memoriam: contra uero Religio christiana multo latius longiusque dilatata, DEI IMMORTALIS beneficio, felicior succreuerit, et ad hunc usque diem floreat, ac, quoad haec rerum uniuersitas stabit, perpetuis temporibus sit duratura.

VI.

Quod si nunc quaeramus, quo anno et die hic ipse panegyricus genethliacus a Mamertino sit habitus; tunc generatim quidem liquet, eum fuisse panegyricum *natalitium*, hoc est, in natali utriusque Imperatoris, Diocletiani Iouii et Maximiani Herculii, dictum, et utriusque etiam Imperatoris laudes complecti, quamuis solo Maximiano tunc praesente sit dictus. At in historia Principum Romanorum fere tria *diei natalis* genera occurrunt, quos solenni ritu sacros festosque habuerunt. Id quod iam in *commentario ad Panegyricum Plinii, pag.* 474 et 570, copiosius exposui. Primus erat *natalis Imperatorum* proprie dictus, quo primum

huius *uitae* lucem adſpexerant. Et huius natalis diei ſolennia κατ' ἐξοχὴν γενέθλια uocari conſueuiſſe, deprehendimus. *Alter natalis Imperatorum*, translate dictus, habebatur dicebaturque *primus dies principatus*, ſeu *imperii auguſtalis*. Sic Eumenius, in *paneg. Conſtantini Aug. Cap. II*, primum principatus ſuſcepti diem diſerte uocat *natalem imperii*. *Quamuis ille*, inquit, *feliciſſimus dies proxima religione celebratus imperii tui natalis habeatur; quoniam te iſto habitu primus ornauit.* Tertius dies natalis erat *dies adoptionis*, item *Caeſareae dignitatis*; ſi nempe Principes per adoptionem ad imperium peruenerant, aut titulo ſecundi faſtigii primum *Caeſares* denominati erant, cum nondum eſſent *Auguſti*, ſed tantum deſignati heredes ſummae poteſtatis, et futuri ſucceſſores Imperii. Sic in hiſtoria Hadriani Imperatoris, quam Spartianus expoſuit, hi tres natales diſtincte annotantur: primo, *natalis uitae*; quia natus erat VIIII *Kal. Febr. Veſpaſiano ſepties et Tito quinquies* coss. Deinde *natalis adoptionis*, V *Iduum Auguſti*. Tertio, *natalis imperii*, nempe III *Iduum earundem*. Similiter tres natales Maximiani notare poſſumus. Primus fuit *natalis uitae*, de quo poſt. Alter *natalis dignitatis Caeſareae*, ſiue Imperii Caeſarei, cum XII *Kal. Decembr.* anno Chriſti CCLXXXIIII, a Diocletiano aſſumtus eſt *Caeſar*. Tertius *natalis imperii auguſtalis*, cum *Kalendis Aprilibus* A. CCLXXXVI, ab eodem declaratus eſt *Auguſtus*. Hic adeo panegyricus dictus eſt in celebritate diei natalis proprie dicti. Ita Mamertinus ipſe, ſtatim *Cap. I, 1*, hanc orationem uocat *gemini natalis praedicationem*; et, ne putemus, eam pertinuiſſe ad natalem imperii Caeſarei, aut Auguſtalis; ipſe rurſus, *Cap. II, 2*,

dies

dies natales, quibus imperii auſpicia ſumſerint utrique Imperatores, ab argumento huius panegyrici quaſi remouet, et ad quinquennalia ac decennalia ſeponit. Sed caue putes, Diocletianum et Maximianum, ſi non eodem anno, eodem tamen die, reuera natos eſſe: quanquam neutrius dies natalis proprie nobis conſtet, in quod tempus inciderit. Interim perſuaſum mihi habeo, ſolius Maximiani, qui praeſens hunc audiebat panegyricum, natalem uerum tunc incidiſſe. Nam diſerte Mamertinus, *Cap.* II, 1: *Hic mihi dies*, inquit, *uidetur illuſtrior, magisque celebrandus, qui* TE *primus protulit in lucem*; quam ſcilicet ille, quo imperii auſpicia ſumſiſti. Quo autem die et menſe natalis hic illuxerit, e nullo ſcriptore adhuc cognitum eſt; niſi ſuſpicemur, Maximianum, uti originem ſuam retulit ad Herculem, ita et ipſum natalem uitae retuliſſe ad natalem Herculis. Iam autem e celebri Calendario Lambeciano patet, Herculis diem natalem celebrari conſueuiſſe *Kalendis Februariis*. Ibi enim haec legimus: KAL. FEBR, N. HERCVLIS. C. M. XXIIII. i. e. *Kalendis Februariis, Natalis Herculis, Circenſibus, Miſſibus XXIIII.* Equidem haec ſola probabilis coniectura noſtra eſt, cui tamen non facile antiquioris cuiusdam ſcriptoris auctoritas refragatur; neque uidemus, cur alias, inter tot proximorum Imperatorum natales, non etiam natales Diocletiani et Maximiani in iſto Calendario ſint adſcripti; niſi natalis Diocletiani Iouii ad natalem Iouis, et natalis Maximiani Herculii ad natalem Herculis, referendus uideatur. *Annum* ſtatuo tunc cucurriſſe, poſt Chriſtum natum, *ducenteſimum nonageſimum primum*: nam omnes res geſtae Diocletiani et Maximiani, quae in hoc panegyrico commemoran-

tur, saltem eo usque pertingunt, ac ne quidem complectuntur annum sequentem CCLXXXXII, in quo *Galerius Maximianus*, et *Constantius Chlorus*, ab utroque Augusto solenniter adoptati declaratique sunt *Caesares*: quorum non potuisset non mentio fieri in hoc panegyrico, si iam tum Caesares fuissent. Licet uero eo tempore, quo hic panegyricus habitus est, unius saltem Imperatoris, nempe Maximiani, incidisset natalis propric dictus; is tamen in utriusque Imperatoris honorem celebrabatur, et ita festus habebatur, ut simul tanquam natalis etiam alterius Imperatoris, Diocletiani, coleretur, celebrareturque. Hinc dicitur a Mamertino, *Cap. I*, 1. *geminus natalis*; et *Cap. II*, 2, *gemini uestri natales*. Id autem factum est ad declarandam mutuam utriusque huius Imperatoris concordiam, quam uerbis satis exprimere nescit orator. *Quae ulla unquam*, inquit, *Cap. VI*, 3, *uidere saecula talem in summa potestate concordiam? Qui germani fratresque indiuiso patrimonio tam aequabiliter utuntur, quam uos orbe Romano*. n. 7: *Ita duplices uobis diuinae potentiae fructus pietas uestra largitur, et suo uterque fruitur, et consortis imperio. Cap. VII*, 2: *Diuidere inter uos dii immortales sua beneficia non possunt. Quidquid alterutri praestatur, amborum est*. n. 7. *Intelligimus, sacratissimi Principes, geminum uobis, quamuis dispares situ aetatibus, inesse consensum, — inuicem uestros affectatis annos. Sic ambo estis iuniores, ambo seniores*. Constat uero, eosdem hos Imperatores eadem ratione posthaec *uicesimalia* sua, hoc est, uicesimum annum imperii sui, simul eodemque tempore celebrasse, quamuis non die et anno eodem primum suscepissent imperii insignia. De anno autem, quo hunc panegyricum habitum

bitum esse dixi, consentit etiam Antonius Pagi, in *dissert. hypatica, P. II, n. VIII.* *Panegyris illa Mamertini*, inquit, *dicta videtur anno Christi* 191 (291 *exprimi debuit,*) *post utrumque* (nempe Caesarea et Augustalia) *ab eodem Herculio quinquennalia celebrata; cum dicat Orator, se orationem, quam composuerat, eius decennalibus reseruare; in eaque nullam de Constantio Chloro et Galerio Maximiano, qui anno* 292 *Caesares nuncupati sunt, mentionem faciat.* Magna uero erat eiusmodi Natalium, Quinquennalium, et Decennalium, celebritas; cui diem dicatum, sacrificiis, uotis, ludis, et omni genere publicae laetitiae ac gratulationis, populus militesque transigebant laureati, et, quod Tertullianus, *de corona cap.* 35, testatur, focos et choros educebant in publicum, uicatim epulabantur, laureis ornabant postes, lucernis diem infringebant, et, quidquid poterant, honoribus Imperatorum impendebant, ac, si adessent oratores facundi, hi omnia bona dicebant, imperatorumque res gestas laudibus euehebant. Etsi uero nullum euidens indicium ex hoc ipso panegyrico elucet, quo in loco sit recitatus; id tamen certum est, eum extra Vrbem Romam fuisse habitum. Immo facile subscribo Sigonio, Brouuero, et aliis, tradentibus, recitatum esse Treuiris, ubi tunc commorari consueuerat Maximianus. Treuirorum ciuitas iam ab Augusto, anno ante Christum natum duodecimo, facta erat colonia Romanorum. In *Notitia utriusque Imperii* dicitur *Prouincie Belgicae primae Metropolis, ciuitas Treuirorum.* Saluiano, in *libro de prouidentia*, appellatur *Treuirorum urbs excellentissima, summa urbs Gallorum.* Haec Vrbs, quasi aemula Romae, superbiebat Palatio, Capitolio, Amphitheatro, Circo

Maximo, et aliis splendidis aedificiis. Instructa erat armorum et monetarum officinis; unde et ibi frequentius effossae sunt monetae, cumprimis Diocletiani et Maximiani, quae modo literis TR. modo S. A. modo P. TR. insignitae sunt, i. e. *Treuiris*, *Signatae Treuiris*, *Percussae Treuiris*. Sic Treuiris erat illis temporibus quasi domicilium imperii Gallicani, et castrum ad cohibendas Germanorum inuasiones. Ibi uti iam fere ante biennium Maximianus celebrauerat XXI Aprilis, diem natalem Vrbis Romae, et Mamertinus priorem dixerat panegyricum; ita nunc ibidem in gemino natali utriusque Imperatoris, fortasse Kalendis Februariis, anno Christi CCLXXXXI, in augusto cohortis palatinae, Treuirensiumque magistratuum, consessu, facunda oratione uenoratus est Maximianum Augustum, tunc praesentem.

VII.

Nunc conuertimur ad ipsum Mamertini panegyricum, huius breuem synopsin praemissuri. *In* EXORDIO, Cap. *I et II, rationem affert Panegyristes, cur oratione celebret geminum natalem utriusque Imperatoris, Diocletiani et Maximiani: nempe quia omnes alii etiam conentur his debitum exsoluere; et ut compenset orationem, quam in Quinquennalibus habere non potuerit; et denique, quia illustriorem existimet diem natalem uitae, quam Imperii Imperatorum.* In TRACTATIONE, Cap. *III*, generatim *praemittit laudes utriusque Imperatoris, praedicatque, illos nunquam otio acquiescere: quia imitentur exempla deorum, auctorum generis sui, nempe Iouis et Herculis, semper aliquid agentium, et agendum curantium; ac quoniam a primis annis ad infatigabilem*

illem consuetudinem laboris nati institutique sint. Deinde, Cap. *IIII et V, per praeteritionem, laudat varias ipsorum expeditiones, res bello gestas, et victorias relatas. Deinde,* figillatim *sibi praedicandas sumit* PIETATEM *et* FELICITATEM *utriusque Imperatoris. Ac quidem (A)* Cap. *VI*, 1, 2, *commendat utriusque* PIETATEM *erga deos; tum laudibus euehit mutuam* PIETATEM, *qua ipsi se inuicem coluerint hi Imperatores. Hanc probat,* Cap. *VI*, 3, 4, 5, 6, 7, *ex mirifica concordia in possidendo et regendo orbis Romani imperio.* β) Cap. *VII*, 1, 2, 3, 4, *ex communione et participatione laurearum, i. e. uictoriarum et triumphorum de hostibus relatorum.* γ) Cap. *VII*, 5, 6, 7, *ex mutua gloriae aemulatione, etiam in diuersa saepe et dissimili aetate.* δ) Cap. *VIII*, *seqq. e conuentu Mediolanensi: cum nulla itineris tempestatisque molestia detineri potuerint, quo minus peruolarint Mediolanum ad colloquium amicum, de republica in commune consulturi. Huius adeo itineris describit* 1) Cap. *VIII*, celeritatem. 2) Cap. *VIIII*, 1, 2, 3, *temporis hiberni et Alpium transeundarum asperitatem.* 3) Cap. *VIIII*, 4, 5, *et* Cap. *X*, 1, 2, 3, *comparationem cum itinere Hannibalis per Alpes.* 4) Cap. *X*, 4, 5, 6, *euentum, et laetitiam publicam inde excitatam.* 5) Cap. *XI, uenerationem praesentium Imperatorum, itemque,* Cap. *XII*, 1, 2, *desiderium ciuium Romanorum coram uenerandi Imperatores, et* 6) Cap. *XII*, 3, 4, 5, *reditum Imperatorum ad exercitum. (B)* Cap. *XIII, praedicat Mamertinus* FELICITATEM *utriusque Imperatoris;* a) Cap. *XIII et XIIII, quod libere et securi se inuicem conspicere et complecti possint.* b) Cap. *XV, quod salus reipublicae, et salubritas temporum, fertilitasque terrarum, sit restituta.* c) Cap.

XVI, XVII, XVIII, quod barbarae nationes ipſae ſe conterant, et bella ciuilia ad has ſint translata, omnesque hoſtes quieſcant. In EPILOGO, Cap. *XVIIII, Orator primo rationem reddit, quod in hac oratione potiſſimum de pietate et felicitate utriusque Imperatoris differuit; deinde maritimam victoriam utrique auguratur.*

IAC. DE LA BAVNE

DE HVIVS PANEGYR. AVCTORE ET QVO TEMPORE, QVOQVE LOCO SIT HABITVS.

Huius et praecedentis panegyrici auctorem eſſe Mamertinum putat Sigonius, certe utramque hanc orationem eiuſdem oratoris eſſe iam oſtendi. Quanquam in neſcribus codicibus abeſt Mamertini nomen. Ferme autem omnes habent *P. einſdem Genethliacus Maximiani A. et Diocletiani.* Dictus eſt autem, opinor, Treueris: coram Maximiano: quo uero die incertum. Certe nec in quinquennalibus, neque in decennalibus, ut auctor initio profitetur, ſed tempore inter utrumque interiecto, anno 292. cum Conſtantius claſſem aduerſus Carauſium in oceanum immitteret. nam *c.* 19. natalia tropaea imperatoribus precatur. Hic natalis utriuſque imperatoris dicitur, non quo ad imperium peruenit, ſed quo in lucem exiit.

SYNOPSIS

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio, *Rationem affert, cur Genethliacum utriusque imperatoris celebret, nempe quod orationem, cum Maximiani quinquennalibus, prout uouerat, habere non potuisset, hanc religione debiti repraesentare teneatur, et utriusque imperatoris natalem diem celebrando, quasi alioquo fenore eos compensare, qui orationem a se exspectabant: tum quia illustrior ei uidetur dies, qui imperatores in lucem protulit, quam dies, quo imperii auspicia sumserunt. Hic celeritatem laudat, qua Dei sui, id est, alter Iouis, alter Herculis exemplo prouincias dissitas momento perlustrant,* c. 2. *per praetermissionem uarias utriusque uictorias perstringit,* c. 5. DISTRIBUTIO. I. *Imperatorum pietas.* II. *Eorumdem felicitas.*

I. PARS. *Pietas in deos, nduersus se inuicem, eo mirabilior, quod diuidendum habebant totum terrarum orbem,* c. 6. *Quod uterque eiusdem gloriae uelut aemuli, quod ad summum honoris uerticem eadem uia tenderent, quod et diuersae stirpis, et dissimilis aetatis forent,* c. 7. *Hinc factum esse ait, ut Diocletianus ex Oriente, Maximianus e Germania hiemis tempore per Alpes niuibus opertas Mediolanum ad mutuum colloquium aduolarint,* c. 8. *Hanc celeritatem confert cum celeritate Annibalis in Italiam properantis: cum eo tamen discrimine, quod Annibalis aduentus plenus esset terroris, alter uero salutaris iucundusque omnibus,* c. 9. *Triumphalis imperatorum reditus describitur,* c. 13.

II. PARS.

II. PARS. *Transit ad utriusque imperatoris felicitatem, quam in eo praesertim positam ait, I. Vt ex quacunque orbis parte ad uisendum inter se coire possint absque turbarum metu*, c. 14. II. *in aëris salubritate, in agrorum ubertate per imperatores restituta*, c. 15. III. *in securitate a barbaris gentibus, quae interim mutuis sese cladibus afligerent*, c. 16. *quos successus imperatorum pietatis ait fructum esse*, c. 18.

IN FINE *rationem affert, cur ex infinitis imperatorum uirtutibus has duas potissimum elegerit, quas Genethliaca illa oratione commendaret:* Quia, *inquit*, ceterae uirtutes ut fortitudo, continentia, iustitia, sapientia, processu aetatis eueniunt: solae cum nascentibus pariter oriuntur pietas, felicitasque. *Concludit eadem sententia, qua inceperat, felicitatem illam et pietatem acceptam referri oportere ipsorum natalibus. Ad ultimum nouales uictoriam ambobus apprecatur, qua digna est utriusque pietas, quam praestare potest felicitas*, c. 19.

II. CLAVDII MAMERTINI PANEGYRICVS GENETHLIACVS MAXIMIANO AVGVSTO DICTVS.

Omnes quidem homines, ſacratiſſime Imperator,

Genethliacus) Rationem huius inſcriptionis ſupra reddidi. Dicitur *Panegyricus Genethliacus* i. e. natalitius: quia tales orationes habebantur in memoriam et honorem natalis alicuius. Cuiusmodi orationum artificium exponit Dionyſius Halicarnaſſenſis, ubi tradit Μεθοδον Γενεθλιακων, ſque praecepta de *oratione natalitia*. Neque ſolum oratores panegyricis genethliacis, ſed etiam poëtae carminibus genethliacis, cumprimis Principum natales celebrabant. Immo et priuati priuatis ſcribebant *genethliaca*. Sic Ariſtides edidit *orationem genethliacam in Apellam*. Sic Virgilius, *Ecloga* IIII, Aſinii Pollionis filio *Genethliacum* dicauit. Etiam in Papinii Statii *lib.* II *Siluarum Carm.* VII, legimus GENETHLIACON LVCANI; ut nunc alia taceam. Γενέθλια et Γενέσια dicebantur *feſta natalitia*; et ipſe dies natalis dictus eſt γενέθλιος ἡμέρα. Γενεθλιακὸς generatim eſt pertinens ad γενέθλην, i. e. natiuitatem, ſeu diem natalem. Quia uero etiam praedictiones fieri conſueuerant ex natali die, cumprimis recens natorum, et ex ſideribus natalitiis; hinc *Genethliaci* etiam audierunt ii, qui prodigioſis artibus futura dicturos ſe pollicentur; de quibus agit Gellius, *lib.* XIIII, *cap.* I. Et Iſidorus, *lib.* VIII *origin. cap.* 9, ſcribit: *Genethliaci appellati propter natalium conſiderationem dierum. Geneſis enim hominum per duodecim coeli ſigna deſcribunt, ſiderumque curſu naſcentium mores, actus, et euentus, praedicere conantur.* Quae uero notio huc non pertinet. S.

I, 1. *ſacratiſſime Imperator,*) Variat haec compellatio in ſcriptis excuſisque libris. Puteolanus, B. Rhenanus, Nauius, H. Stephanus, Riuinus, habent: *ſacer Imperator*. Ceteri edidere: *ſacratiſſime Imperator*; prout etiam in meo Codice legitur. Alter liber Gudianus ex alio quodam Codice MS. annotatum prodit, *ſacratiſſimi Imperatores*. Quae compellatio magis conuenire uideatur cum proximis uerbis: *Omnes quidem homines, ſacratiſſimi Imperatores, qui maieſtati*

VE-

tor, qui maiestati uestrae laudes canunt, et gratias agunt, debitum uobis conantur exsoluere; (quis enim est, qui possit implere?) sentio tamen, a me praecipue hoc piae uocis officium

VESTRAE *laudes canunt*, etc. Sed nihil est mutandum; cum familiaris sit Mamertino ista loquendi ratio, ut Maximianum quidem Herculeum, Augustum, qui tunc praesens erat, numero singulari alloquatur; at nihilominus tamen mox toties in numero multitudinis subiiciat uerba, itemque pronomina, *uos*, et *uester*; quoties uult, ut ea, quae de die natali, et uirtutibus, rebusque gestis Imperatorum, differit, non de solo Maximiano, sed etiam de Diocletiano, tunc absente, intelligantur. Eodem enim hoc Panegyrico, ut supra dixi, utriusque Imperatoris natalis celebratur, laudesque canuntur. Haud secus Mamertinus priorem etiam panegyricum, Maximiano Aug. in die natali Vrbis Romae dictum, ita exorsus est: *Cum omnibus festis diebus*, SACRATISSIME IMPERATOR, *debeat honor* VESTER *diuinis rebus aequari*, etc. Lectio, *sacer Imperator*, e compendio scripturae orta esse uidetur. S.

I, 1. *maiestati uestrae)* Recte: neque enim necesse est, ut pro casu tertio ponatur secundus, *maiestatis*, quo hic casus ad nomen, *laudes*, refertur. Refertur potius ad uerbum, *canunt*, et simul ad sequentem formulam, *gratias agunt*. *Canere alicui laudes*, est, dicere alicui laudes; uti apud Ouidium, *lib.* II *artis am. u.* 740: *Mihi dicite laudes; Cantetur toto nomen in orbe meum.* Alias *canere* quasi proprium poëtarum est; hic orator id poëtice tribuit oratoribus, aliisque; quanquam et Plinius, *lib.* XVIII. *hist. nat. cap.* VIII, 10: *Cato brassicae miras canit laudes.* Ita idem Mamertinus, in *priore paneg. Cap.* I, 4: *Tibi potissimum, Imperator inuicte, laudes canimus.* Quod uero librarius in meo codice potuit, *laudem*, nempe singularem pro plurali; id eius leuitati imputandum. S.

I, 1. *a me praecipue)* Alias in omnibus exquisis libris legebatur: *sentio tamen, a me hoc praecipue tempore hoc piae uocis officium* etc. Sed uoces, *hoc tempore*, in meo Codice non leguntur; abesse etiam ab aliis Codicibus, annotatum est in utroque libro Gudiano. Et bene abesse possunt; immo, nisi fallor, abesse debent. Superuacaneae enim

ficium iure quodam ſacroſancti fenoris poſtulari, ut exſpectationem ſermonis eius, quem tuis quinquennalibus praeparaueram, hac gemini natalis

enim tunc; quia tempus iam in eodem uerborum ambitu deſignatur his uerbis: *hac gemini natalis praedicatione.* Deinde repetitio pronominis, *hoc*, auribus accidit ingratiſſima; cum mox ſequatur: *hoc piae uocis officium.* S.

I, 1. *hoc piae uocis officium)* Haec lectio confirmatur ceterorum librorum, ſcriptorum pariter atque impreſſorum, conſenſu; niſi quod in ſolo Codice meo legam: *hoc pietatis officium*, non male quidem; attamen nihil ideo eſt innouandum. *Vox*, pro oratione et dicendi facultate ponitur, uti in Eumenii *panegyrico, ad Conſtantinum Caeſarem, cap.* I: *Rudimenta quaedam uocis meae rurſus experior.* S.

I, 1. *tuis quinquennalibus)* *Quinquennalia* hoc loco dicuntur ſolennia, quibus poſt quinctum quemque annum celebrabatur natalis, ſiue auſpicalis dies Imperii Caeſarei a Maximiano ſuſcepti. Significanter enim dixit Mamertinus: TVIS *quinquennalibus;* iam autem tunc alloquebatur Maximianum praeſentem. Qui dies, ſecundum noſtram computandi rationem, tunc inciderat in XII *Kalend. Decembr.* A. Chriſti CCLXXXVIII. Scilicet, ſicut natales uitae Imperatorum quotannis rite ſolebant celebrari: ita natales imperii, ſiue dies auſpicales imperii, ordinarie ſaltem quincto quoque anno exacto, recolebantur. Nempe, ſi exacti eſſent quinque anni poſt ſuſceptum imperium, ſiue auguſtale, ſiue caeſareum, tunc *quinquennalia* agebantur ſolenniter; cum in Vrbe, tum in prouinciis et caſtris, faciendis quidem ſacrificiis, ludis Circenſibus, et ſpectaculis ſcenicis, ac gladiatoriis, item aliquando congiariis et donatiuis ex liberalitate Principum diſtribuendis; neque minus panegyricis habendis celebrabantur, ac cumprimis uota antehac nuncupata diis ſoluebantur, et in proximum alterum quinquennium, pluresue annos, noua uota nuncupabantur: in quibus uotis potiſſimum Imperatori incolumitas et longa uita, ſecuritas imperio, domui auguſtae perennitas, exercitibus uirtus et uictoria aduerſus hoſtes, paxque orbi terrarum, expetebatur, huiusmodi fere formula, ut e Tertulliano aliisque conſtat, adhibita: Preces poſcimus, Iupiter, uti ſies uolens propitius in decennium Auguſto

talis praedicatione compenſem, et dicendi munus,

guſto noſtro; quod ſi faxis, tunc tibi uotum boue aurato, ludis circenſibus etc. eſſe futurum. Exacto altero quinquennio, ſi Imperator uiueret, et in eodem ſtatu ſeruaretur, celebrabantur *Quinquennalia ſecunda*, quae et *Decennalia*, aut *Decennalia prima*, dicebantur; uti in quodam Diocletiani nummo: PRIMIS X. MVLTIS XX. Exacto tertio quinquennio, illuceſcebant *Quinquennalia tertia*, ſiue *Quindecennalia*. Elapſo quinquennio quarto, prodibant *Quinquennalia quarta*, qui etiam dicebantur *Decennalia* II, item et *Vicennalia*; et ſic porro per eosdem temporum gradus natales imperii longaeuorum Auguſtorum et Caeſarum numerabantur. In horum ſolennium natalitiorum memoriam etiam numiſmata cudi conſueuerant. Sic in nummo Licinii Iunioris, qui cum Criſpo et Conſtantino Caeſar renuntiatus erat, intra lauream hae conſpiciuntur literae: VOT. V, adſcriptis uerbis: CAESARVM NOSTRORVM; ut ſignificaretur, illorum Caeſarum *Vota Quinquennalia* tunc fuiſſe ſoluta. In nummo Maxentii Auguſti: VOT. V. MVLT. X. h. e. uota *quinquennalia* ſoluta, et in futurum tempus multiplicata et nuncupata *decennalia*. In alio nummo Licinii: SIC. X. SIC. XX. i. e. ſicut *Decennalia* feliciter peracta; ſic *Vicennalia* peragantur. In nummo Gratiani Aug. VOT. XV. MVLT. XXX. In nummis Antonini Pii: VOTA SVSCEPTA DEC, III. i. e. Vota ſuſcepta *Decennalia tertia*, ſiue in decennium tertium, ſiue *Tricennalia*. In nummo Conſtantii Aug. VOT. XXX. MVLT. XXXX. i. e. Vota *Tricennalia*, multiplicatis *Quadragenalibus*. etc. Originem horum Quinquennalium et Decennalium deducit Dio Caſſius, *lib.* LIII, *pag.* 506, ab Octauiani Auguſti temporibus. Sed inuenimus, aliquando etiam in Republica libera Vota in quinquennium, item decennium, fuiſſe nuncupata. Vide Liuium, *lib.* XXI, 62; et *lib.* XXII, 10. Sed, ſicut antiquitus talia uota pro incolumitate reipublicae nuncupabantur; ita ſub Imperatoribus eiusmodi uota potiſſimum pro incolumitate Imperatorum concipi conſueuerunt. Ceterum hoc argumentum prae ceteris luculenter illuſtrarunt Henr. Noriſius, in *diſſert. chronologica de uotis decennalibus*, et Anton. Pagius, in *diſſert. hypatica*, *P.* II, *cap.* 2. S.

I, 1. *hac gemini natalis praedi-*

nus, quod tunc uoti promiſſione ſuſceperam, nunc religione debiti repraeſentem. Voueram autem, 2

H ſacra-

praedicatione) i. e. hoc panegyrico genethliaco, qui gemino natali Diocletiani et Maximiani dicitur. Etſi uero reuera alio tempore Diocletianus, alio Maximianus, natus eſſet, et proprie tunc non niſi Maximiani natalis illuxiſſet: ex uno tamen natali quaſi geminum faciebant; cum tanta inter ſe concordia uiuerent hi Imperatores, ut, quod Mamertinus infra, *cap.* VI, 7, ait, *uterque et ſuo et conſortis imperio,* (natalique) *frui uideretur.* S.

I, 1. *tunc)* Particula haec non legitur in meo Codice MS. nec obſeruata eſt in iis Codicibus, quos contulerat Gudius. Immo nec facile haec deſiderabitur hoc loco a lectoribus, ſi fuerit reiecta. S.

I, 1. *repraeſentem)* i. e. praeſtem et exſoluam. *Repraeſentare* generatim notat, aliquid ſtatim et ſine mora praeſens exhibere, et exſequi. Deinde locum habet in iure, et potiſſimum de pecuniis ſtatim et uel ante diem perſoluenda dicitur; prout Gronouius, *de pecunia uet. lib.* I, *cap.* 6, docet, ſic Ciceronem, Senecam, Suetonium, aliosque, loqui. Cicero, *ad Atticum, XII,* 25: *Reliquae pecuniae uel uſuram Silio pendemus, dum a Faberio, uel ab aliquo, qui Faberio debet, repraeſentabimus.* Suetonius, *cap.* 44: *Inquilinos iuſſit penſionem annuam repraeſentare fiſco.* Inde transfertur hoc uerbum etiam ad alia quaeque, quae mature exequi, et praeſtare, atque ad effectum adducere, dicimur, tanquam bonae fidei debitores. Cicero, *ad famil.* XVI, 4: *Dies promiſſorum adeſt; quae etiam repraeſentabo, ſi aduenero.* Vbi uidetur loqui de promiſſa manumiſſione. Malo autem in hoc loco cum Gronouio legere, *quae,* quam *quem,* quod uulgo editum eſt. Hirtius *de B. Alex. cap.* LXX: *Caeſar reſpondit, ſe fore aequiſſimum Pharnaci, ſi, quae polliceretur, repraeſentaturus eſſet.* Suetonius, *in Claudio, cap.* 37: *Repraeſentatur ſomnii fides.* Confer notam noſtram ad *Paneg. Plinii, cap.* XXV, 2: *An mediocris animi eſt, his potius repraeſentare, quibus magis negari poteſt?* S.

I, 2. *Voueram)* i. e. optaueram. Ita uero recte in Codicibus ſcriptis, libriſque recentius excuſis, nunc legitur: cum et hoc loco, et paullo inferius, ubi idem uerbum, *uouèram*, repetitur, in editionibus Puteolani, Rhenani, Nauii, H. et P. Stephanorum, item et Liuineii, fere ſine ſenſu,

sacratissime Imperator, longe infra spem honoris eius,

su, excusum esset, *Noueram*. Cuspinianus primus optime euulgauit, *Voueram*; quem deinde Gruterus, et alii, secuti sunt. Gruterus autem non solum e coniectura Puteani, sed maxime etiam ex auctoritate duorum Codicum MSS. ueriorem reuocauit lectionem; cum illud antea uulgatum, *Noueram*, minime huc quadrare animaduerteret. Sed Liuineius quoque, etsi in contextu retinuerit uulgatam scripturam, in notis tamen ad hunc locum: *Belle*, inquit, *Voueram*, i. e. *optaueram. Sequitur enim mox:* Gaudeo igitur, dilatam esse illam cupiditatem meam: *Ouidius, Metamorph.* XI *de Mida: Attonitus nouitate mali, diuesque, miserque, Effugere optat opes, et, quae modo uouerat, odit. Apud Senecam quoque de beneficiis, lib.* VI, *cap.* XXXVI, *ubi uulgatur:* Quis pium dicet Aeneam, si patriam capi uoluerit, ut captiuitate patrem eripiat? *Reponam*, nouerit, *pro* uoluerit; ut supra dixerat, *cap.* XXV: *et quidquid inimicus optaret, amantes uouent.* Probamus cetera; sed in emendando uerbo, *uoluerit*, apud Senecam, nos minus sibi consentientes habet Liuineius. Nonne enim et ita loquitur Cicero, *pro Cluentio, cap.* LXVI: *Nihil est mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio noluerit, optauerit, cogitauerit, effecerit.* Sic uero et Conradus noster Rittershusius, in hoc Mamertini loco, pro *Nouera*m, restituendum statuit, *Voueram*; quia praecesserit: *quod tunc uoti promissione susceperam.* Saepe ita peccarunt librarii, ut confuderint literas, *n* et *u*. Vide *commentarium* nostrum *ad Panegyricum Plinii, pag.* 63, 77, 588. Sic *uota* et *nota* commixta inuenimus apud Ouidium, *Metam.* XIII, 634, in notis Burmanni; apud Silium Italicum, VI, 434, in notis doctiss. Drakenborchii; apud Florum, *lib.* IIII, *cap.* VI, 2, in notis Freinshemii, ut taceam multo plura huiusce modi corruptelae exempla. Tritum autem est, *uouere*, etiam poni pro *optare, uotis precari*: quanquam Scaliger, *de subtilitate, exercit.* CCCX, discrimen statuit inter *uotum* et *optationem*. *Optatio*, inquit, *affectus est, hactenus praeteritus a philosophis. Est enim aliud a uoto, quod ad aras, aut in periculis, contentiore uoce fundebant populi preces diis suis;* παρὰ τὸ βοᾶν. *Votum igitur est pronocatio deorum ad beneficia: Optatio idem uidetur, quod votum, sed sine stipulatione simplex; eum opem a Deo*

eius, quem in me contuliſtis; (unde enim uel tantam fiduciam mei gererem, uel tam improbe

Deo petimus; haec enim in ipſo uerbo ſunt. Si itaque, *uouere*, proprie eſt optare aliquid a Deo, ſub promiſſione ſacri muneris; uidemus, cur Panegyriſtes hic dicere maluerit, *uouerat*, quam *optauerat*: quia nempe cum Auguſtis, tanquam cum diis, loquebatur. Coniunxit tamen nihilo minus iſta uerba Cicero, *lib.* I. *de nat. deor. cap.* 44: *Quid optamus a diis immortalibus? Quid uouemus?* S.

I, 2. *conuliſtis)* Liuineius in margine editionis ſuae annotauit, forte legendum eſſe, *contuliſti*; quia, ut opinor, reſpexit proximam allocutionem: *ſacratiſſime Imperator.* Quam Liuineii coniecturam etiam laudat Iac. de la Baune. Sed ſolenne hoc eſt Mamertino, ut crebrius ſolum quidem Maximianum, qui tunc praeſens aderat, alloquatur, uerba tamen ſequentia in numero multitudinis efferat; non, ut, qui mos hodie quorundam eſt, maioris honoris cauſſa uerbis in numero multitudinis utatur, ſed ut reſtetur, ſe in honorem utriusque Imperatoris, Diocletiani et Maximiani, iſta dicere: cum, quod iam ſupra memorauit, hi Principes concordiſſimi amiciſſimique, uti maieſtatem et poteſtatem, ita et rerum geſtarum laudem, inter ſe communem habere uellent. Itaque et Mamertinus honorem, quem conſecutus erat, non ſoli Maximiano, ſed et Diocletiano, imputandum duxit: inde non ait, *iudicio tuo*; ſed, *iudicio ueſtro ſum conſecutus.* Mirum ergo eſt, cur Laur. Patarol, ſine ſuffragio ullius Codicis MS. aut alius ἐκδόσεως, in ſua editione, pro *contuliſtis*, repoſuerit, *contuliſti.* S.

I, 2. *fiduciam mei gererem,*) i. e. unde tantopere confiderem ingenio meo doctrinaeque. *Leg.* 2. §. 47, ff. *de orig. iuris*, ex uerbis Hadriani, Principis: *Si quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe populo, ad reſpondendum ſe praepararet.* Ibi antea dixerat Pomponius: *Qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant.* Sicut alii ſcriptores Latini dicunt, *fidem fluxam gerere; ingenium callidum gerere; amicitiam, inimicitiam*, aut *odium, gerere, gerere pudorem:* ita Mamertinus dicere potuit, *fiduciam gerere.* Et bene hoc loco ait Mamertinus: *fiduciam mei:* ut Valer. Flaccus, *lib.* IIII, *u.* 124: *cui det fiducia noſtri, Nate, animos.* Et Plinius, *lib.* IIII, *epiſt.* 4: *Ex fiducia*

concupiſcerem, ut optare mihi, quantum iudicio ueſtro ſum conſecutus, auderem?) Voueram, inquam, potiſſimum, ut me dignatione, qua pridem audieras, rurſus audires: ſiquidem apud tanti praeſentiam numinis hoc ipſum mihi maximum dicendi prae-

ducia fui, an ex contemtu Principis, dixerit, dubium eſt; quanquam idem Plinius, *lib.* IIII, *epiſt.* 13: *Vt hinc nihil aliud certum, quam fiduciam ſuam, ferat.* S.

I, 2. *optare*) Codicem meum, et antiquiores editiones, hic mendum occupauerat; cum *optarem*, pro *optare*, exhibeant; quaſi τὸ *optarem* referatur ad particulam proximam, *ut*, cum haec demum uera horum uerborum ſit ſtructura: *ut auderem optare mihi* ſcil. tantum, *quantum iudicio ueſtro ſum conſecutus*. Hanc ſaniorem lectionem iam edidere, Rhenanus, H. Stephanus, Nauius, Baunius, Cellarius, et Patarol. S.

I, 2. *pridem audieras*,) Nempe, ſi nos calculum recte poſuimus, iam XXI Aprilis, anno Chriſti CCLXXXVIIII, Maximianus audierat Mamertini panegyricum, in die natali Vrbis Romae dictum; et alium panegyricum idem Mamertinus praeparaueratQuinquennalibus Maximiani, quae XII Kal. Decembris eiusdem anni celebranda erant; ſed hunc, propter Imperatoris abſentiam, non dixit. *Pridem*, ſignificat, paruo tempore prius; quaſi *prius die*. Obſeruauit tamen Doletus, T. II *comment. L. L. pridem* etiam de longiore tempore uſurpari, ut decem, aut uiginti dierum, aut menſis, menſiumue, ac non nunquam annorum, pro conditione materiae. Cicero, *in Bruto, cap.* X: *Fuit Themiſtocles, regnante iam Graecia, noſtra autem ciuitate non ita pridem* (i. e. paucos ante annos, ſecundum Gellium, *lib.* XVII, *c.* 21) *dominatu regio liberata.* S.

I, 2. *maximum dicendi praemium*) Variant hic quidam libri. Pro gerundio, *dicendi*, participium, *dicenti*, ex ſuo Codice uetere, et Bertinienſi, annotauit Liuineius, ſed eo conſilio, ut oſtenderet, hanc uarietatem ſibi non placere. Adhaec Gudius, in altero libro, monuit, in alio Codice MS. omiſſum eſſe nomen, *praemium*. Immo et in meo Codice ita haec uerba leguntur: *hoc ipſum mihi maximum dicenti uidebatur, ut dicerem*. Poſſet quaſiscunque ſententia hinc erui: melior tamen eſt uulgata lectio,

praemium uidebatur, ut dicerem. Gaudeo igitur, si fas est confiteri, dilatam esse illam cupiditatem meam. Neque enim orationis eius, quam composueram, facio iacturam; sed eam reseruo, ut, quinquennio rursus exacto, decennalibus tuis dicam: quoniam quidem lustris omnibus praedicandis communis oratio est. 3

ctio, quam et nos sequimur. Neque probamus, quod Liuineius in notis suis tradidit, Latinius et usitatius futurum fuisse, si Mamertinus scripsisset: *quod dicerem;* quam, *ut dicerem.* Vtique enim hae ipsae uoces: *hoc ipsum praemium*, respiciunt uelut finem dicentis Mamertini, qui erat, ut iterum iterumque diceret, et ab Imperatore audiretur. Grammatici uero docent, quando de *caussa finali* sermo est, postulari, *ut.* Id ergo dixisse uidetur Mamertinus: hoc ipsum mihi maximum dicendi praemium aestimabatur et intendebatur, *ut* iterum iterumque liceret mihi coram Maximiano Imperatore dicere. Sic fere loquitur et ipse Cicero, *in Vatinium, cap.* V: *Habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate et sordibus tuis obtegatur.* S.

I, 3. *facio*) Hoc praesens tempus, quod etiam sequenti uerbo praesentis temporis, *reseruo*, apte quadrat, exprimit meus Codex, item et uterque liber Gudianus, et Liuineius in margine, ex aliis Codicibus MSS. Quam scripturam etiam in editis secuti sunt, Gruterus, Puteanus, Baunius, Cellarius, et Patarol; ceteri omnes habent futurum tempus, *faciam.* S.

I, 3. *quinquennio rursus exacto,*) i. e. completo et praeterito. Vides ergo, haec saltem Quinquennalia, non peractis quatuor annis, primo die quincti anni, sed expletis quinis annis, celebrata esse. Sic *exactus* pro completo et ad finem adducto, saepius dicitur. u. g. apud Suetonium, *in Caligula, Cap.* VIII: *Germanicum exacto consulatu in Galliam missum consentiunt.* De *Quinquennalibus* et *Decennalibus*, uide, quae dixi ad *Cap.* 1. S. [cf. Pagii Diss. hypat. pag. 134. *Iaeg.*]

I, 3. *lustris omnibus*) i. e. Quinquennalibus omnibus, siue diebus festis, quibus, exacto quoque quinquennio, celebrabatur dies auspex imperii Imperatorum et Caesarum. Sic Festus, ubi *lustri* signi-

II. Et profecto, si non sensus meos dicatorum uobis dierum proxima quaeque ueneratio, sui

significationes explicat: LVSTRVM, inquit, *etiam significat tempus quinquennale.* Et Varro, *lib.* V *de ling. lat.* LVSTRVM *nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc est, soluendo, quod quinto quoque anno uectigalia et ultra tributa per censores soluebantur.* Ad eandem significationem declarandam conspirant haec nomina a Mamertino usurpata: *Quinquennalia, quinquennium rursus exactum, Decennalia*, i. e. Quinquennalia II, et *Lustrum.* Non quidem nego, aliquando *Lustrum* etiam de quatuor annorum interuallo dici, ut quinto quoque anno ineunte *lustrum peractum* intelligatur, maxime si comparetur cum Olympiade Graecorum; tamen nihil dubito, quin et hoc loco, et alibi saepius ab auctoribus Latinis de quinque annorum interuallo peracto dicatur. Sic hoc significatu utitur Martialis, *lib.* X, *epigr.* 38:

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua iugales
Indulsit DEVS, *et peregit annos!*
— — Vixisti tribus, o Calene, lustris;
Aetas haec tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.

Inde intelligimus, a Martiale *quindecim annos* coniugii Caleni uocari *tria lustra;* quod fieri non posset, si per singula lustra non denotarentur quinquennia exacta, siue completa. Sic Horatius, cum significare uellet, se iam esse quinquagenarium, *lib.* IIII, *od.* 1, 6, scribit: *Desine dulcium Mater saeua Cupidinum, Circa* LVSTRA DECEM *flectere mollibus tam durum imperiis.* Sic *bilustre tempus*, a Sidonio Apollinare, *lib.* IIII, *epist.* 24, *et lib.* VIII, *epist.* 16, sumitur pro *tempore decennali;* ubi obseruauit Io. Sauaro, *lustrum* a Sidonio semper pro quinquennio peracto poni solere. Confer Gerhardum Io. Vossium, in Etymologico, sub uoce, *lustrum.* Sicut ergo Mamertinus hoc loco; ita et Sidonius, *Carm.* XIII, ad Maiorianum Imperatorem, *Lustrum* cum *Quinquennalibus* componit:

Sic te — Multos purpura uestiat per annos!
Sic, LVSTRO IMPERII *perennis acto,*
QVINQVENNALIA *fascibus dicentur.*

S. II, 1.

ſui maieſtate perſtringit, hic mihi dies uidetur illu-

H 4 *ſtrior,*

II, 1. *ſui maieſtate*) Ordinarie dicendum erat, *ſua maieſtate;* uti Cicero, *lib. I de diuin. cap.* 38 : *Neque dii hoc alienum ducunt maieſtate ſua;* ubi non dicit, *maieſtate ſui.* At enimuero ſcriptores ſequioris aeui ſaepius pronomina primitiua, per Enallagen, cum nominibus, quae non affectum, ſed facultatem, aut ſimile aliquid, ſignificant, coniungunt, u. g. *mei cauſſa, tui cauſſa,* pro, *mea cauſſa, tua cauſſa,* etc. At ſic iam Plinius, *paneg.* LXXVI, 1 : *Triduum totum ſenatus ſub exemplo tui ſedit.* Traianus, apud Plinium, *lib.* X, *epiſt.* 29 : *Mei loco mitteris.* Et neſcio, an non etiam huc referam illud ipſius Ciceronis IIII *Philipp. cap.* 1 : *Frequentia ueſtrum* (ueſtra) *incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminiſſe uideor,* etc. S. [cf. etiam Mamert. paneg. I. c. 9, 3. et Incerti Paneg. V. Max. et Conſt. c. 10, 3. et paneg. VI. Eumen. 6, 2. et ibi adnotata, nec non 13, 5. itemque paneg. IX. Nazar. 6, 2. *Iaeg.*]

II, 1. *perſtringit,*) Hoc uerbum in omnibus, quae mihi innotuerunt, horum panegyricorum editionibus, plurimisque Codicibus MSS. deprehenditur. Liuineius in margine notauit, in Bertinienſi Codice legi, *perſtrinxit;* at forte ſcribendum eſſe, *praeſtrinxit.* Grutero uidetur legendum, *praeſtinguit,* ſiue potius, *praeſtingit;* cui ex parte adſtipulatur Codex meus, in quo ſcriptum, *perſtingit* : quam facile autem praepoſitiones, *per* et *prae,* in codicibus antiquis commutantur? Verbum quidem, *praeſtinguere,* ſiue *praeſtingere,* compoſitum eſt ex *prae* et *ſtinguere,* ſiue *ſtingere.* Priſcianus, *lib.* X, *pag.* 880, ubi agit de uerbo, *extinguo* : *Cuius ſimplex,* inquit, *ſtinguo, in raro eſt uſu* : *Cicero tamen in Arato, ſtinguens, participio uſus eſt, quod a uerbo, ſtinguo, naſcitur* : *Quem neque tempeſtas perimet, neque longa uetuſtas, Interimet ſtinguens praeclara inſignia coeli.* Simplici uerbo utitur etiam Lucretius, *lib.* IIII, *u.* 1092 : *Ardorem in membris ſtinguere poſſit.* Secundum notera Gloſſaria, *ſtinguo,* ſiue *ſtingo,* ualet, *deleo,* pungo, perimo. At uerba hinc compoſita ſunt uſitatiora, u. g. *diſtinguo.* i. e. diſpungo, diſcerno. *Exſtinguo,* ſiue *Extinguo,* i. e. opprimo, deleo, perimo, ignem, flammam. *Praeſtinguo,* itidem notat, extinguo, perimo, obtenebro. Vocant uulgo huc illud Lucretii, *lib.* III, *u.* 1057, ubi de Epicuro loqui-

ſtrior, magisque celebrandus, qui te primus protulit

quitur: *Qui genus humanum ingenio ſuperauit, et omnes Praeſtinxit ſtellas, exortus uti aethereus ſol.* i. e. quaſi extinxit, ſiue reſtinxit, Epicurus omnes ingenio ſuo, ut ſol aduentu ſuo ſtellas reſtinguit, cum lumen illis adimit. Sic Lambinus ibi legit; qui, cum ad Lucretium et Horatium, tum ad Ciceronem, *pro Rabirio, cap.* XVI, pertinaciſſime contendit, non ſolum apud Lucretium, ſed et in plurimis ſcriptorum ueterum locis, ubi hodie legimus, *perſtringere*, ſiue *praeſtringere*, reponendum eſſe, *praeſtinguere*. Lambino etiam aſſentitur Acidalius, in *lectionibus Velleianis*, ad *lib.* II, *cap.* CXVIII. At Lambinum dudum refutauit Obertus Giſanius, in *Indice Lucretiano*, ubi teſtatur, eos, qui uerbum *praeſtringere* ubique in *praeſtinguere* mutent, non recte facere; cum omnes omnium ſcriptorum libri ueteres repugnent, et ipſi Grammatici. Refutauit et Taubmannus, ad Plautum, in *Miles gloriosus*, I, I, 2, 3, ubi fide Codicum MSS. ita legit: *Curate, ut ſplendor meo ſit clypeo clarior, quam ſolis radii eſſe olim, cum ſudum, eſt, ſolent: ut — oculorum praeſtringat aciem in acie hoſtibus.* Praeterea refutauit Lambinum Cl. Drakenborchius, ad Silium Italicum, *lib.* I, *u.* 358, ubi poëta cecinit: *Qualis ſanguineo praeſtringit lumina crine. Ad terram coelo decurrens ignea lampas*; ubi hanc cauſſam ita tranſigit: *Si, quod Lambino damus, praeſtinguere oculos, interdum dixerint optimi auctores, minime tamen hinc effici poteſt, locutionem illam, eiecto τῷ praeſtringere, et perſtringere oculos, ubique recipiendam eſſe.* Iam, quod ad uerba, *praeſtringere*, et *perſtringere*, attinet, fatemur quidem, iſta frequentiſſime inter ſe permiſceri: quod inde uſu uenit, quoniam ueteres librarii praepoſitiones, *per, prae, pro*, ſiue ſolae ſtent, ſiue cum uerbis componantur, in Codicibus MSS. utplurimum unica ſaltem litera, ꝑ, exprimunt, addito quidem tenui ſigno, quo a ſe diſtinguantur; ad quod uero ſignum imperiti et negligentes librarii non ſemper attenderunt; unde crebra iſtarum praepoſitionum confuſio extitit: cuiusmodi confuſionis non pauca exempla ad Panegyricum Plinii, *pag.* 263, 463, 471, et 473, annotaui. Interim, ſiue uerbum, *praeſtringere*, ſiue *perſtringere*, aſſumas, ubi de oculis praeſtrictis, uel perſtrictis, ſermo eſt, uerbum utrumuis per, obnubilare, obtenebrare, uel oc-

tulit in lucem. Etenim illi ipſi dies, quibus imperii auſpicia ſumſiſtis, ob hoc ſancti ſunt et religioſi, quod tales declarauerunt Imperato- 2

res: ita ſint, etſi ad ſententiam panegyriſtae nihil interſit, quodcunque horum trium uerborum eligas, ac uel, *praeſtringit*, uel *perſtringit*, uel *praeſtinguit*, Mamertino ſubſtituas; et licet ego praeoptem hoc loco legere, *praeſtringat*: nolo tamen uerbum, *perſtringit*, ex hac tam diuturna poſſeſſione exturbare. Ita uero etiam loquitur Valerius Maximus, *lib.* II, *cap.* X, *ex.* 6: *Seruus publicus claritate uiri, C. Marii, obcaecatus, abiecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas* (h. e. clades Cimbris a C. Mario illata,) *oculos hominis perſtrinxit.* Idem, *lib.* VIIII, *cap.* I, *ex.* 5: *Cum acerrimus hoſtis, Sertorius, Romanorum exercituum oculos Luſitanis telis perſtringeret*, i. e. percelleret et territaret. S.

occaecare, interpretari poteris. *Stringere* enim proprie eſt radere, percutere, percellere. Hinc deducitur *ſtrictura*. Iam autem, explicante Nonio Marcello, *de proprietate ſermonum, Cap.* I, *Strictura e dicuntur proprie ſcintillae, quae de ferro feruenti exeunt, quod aut ſtricte emittantur, id eſt, celeriter; aut oculos fulgore praeſtringant.* Fulgor adeo et ſplendor aciem oculorum perſtringere, uel praeſtringere, dicitur, cum celeri ictu ferit, ut hebetet, aciemque retundat, atque oculos quaſi obtenebret. Superſedeo congerere utriusque huius uerbi exempla, quorum affatim eſt: quamuis putem, pauciſſima inueniri ſcriptorum ueterum loca, in quibus ea uerba non in quibusdam exemplaribus commutentur. Sic, e. g. ubi in Ciceronis *Catone*, *Cap.* XII, haec legimus: *Impedit conſilium uoluptas, rationi inimica eſt, ac mentis, ut dicam, praeſtringit oculos*; ibi Graeuius, in uariis lectionibus, ad hunc locum notauit, *praeſtringit oculos*, inueniri quidem in Palat. ſec. et in editionibus ueteribus, ut et Langii, et Gruteri; in aliis, *perſtringit oculos*; in multis MSS. *praeſtinguit*. Quae cum

II, 2. *tales declarauerunt*) *Tales*, i. e. tantos, tamque eximios et diuinos. Hic enim frequens eſt huius uocis uſus, ut ſingularem et illuſtrem laudem eamque maxime reſpiciat, de qua iam dici coepit. Cicero, *pro Quinctio, cap.* 20: *C. Aquillius, talis uir.* Saluſtius, *in Iugurth. cap.* 10: *Obſeruate talem hunc uirum.* Corn. Nepos, *Alcib. cap.* 6:

Quod

res: at certe uirtutes, quibus ipſum ornatis im-
3 perium, gemini ueſtri procreauere natales. Quos
quidem,

Quod talem uirum e ciuitate expuliſſent. Pro *declarauerunt*, in meo Codice, et primo Gudii libro, extat, *declarauerint*, qui modus potentialis hoc loco non parum nobis placet. Id adhuc noto, proxime, pro *ob hoc*, in Puteolani, Rhenani, Nauii, H. et P. Stephani, Liuineii, Riuini, Baunii, editis legi, *ob haec*; ſed eadem utrobique manente ſententia. S.

II, 2. *at certe*) Olim corrupte legebatur, *et certe*. In libro II Gudiano, *ac certe*. Acidalius primus animaduertit, legendum eſſe; *at certe*. Etiam Gruterus, in notis: *Annon potius fuerit: at certe?* Neque tamen hic recepit hanc emendationem in contextum. Recepit uero primus Baunius, deinde Cellarius, et Patarol: noſtro iudicio rectiſſime. In his enim Mamertini uerbis natales ueri et proprie dicti, quibus iſti Imperatores auſpicati erant uitam, quaſi opponuntur natalibus improprie dictis, quibus auſpicia ſumſerant imperii. Dici uero non poteſt, quam frequenter librarii in antiquis libris has particulas, *at*, *ac*, *et*, inter ſe confuderint; cuius corruptelae non pauca exempla annotaui ad panegyricum Plinii, p. 80, 131, 250, 344, 357. S.

II, 2. *gemini*) Hunc locum inquinauerat non leue mendum, dum in excuſis libris Puteolani, Rhenani, Nauii, Stephanorum, Liuineii, et Riuini, ſic euulgatus eſt: *uirtutes, quibus ipſum ornatis imperium et ingenium, ueſtri procreauere natales.* Cuſpinianus pro, *et ingenium*, ediderat, *genuini*; quae lectio etiam in altero Gudii libro animaduertitur. Et ſane haec lectio haudquaquam eſt ſpernenda; ſi inprimis exiſtimemus, *natales* horum Imperatorum uocari *genuinos*, qui proprii et naturales ſunt dies natales uitae, ut diſtinguantur a natalibus, quibus primum auſpicati ſunt imperium, qui ſaltem improprie et translate ſic appellantur, quaſi natales non genuini. De quo utroque genere natalium, quos celebrarunt ueteres Romanorum Imperatores, egi, prolegom. §. VI. *Genuinus* autem dicitur natiuus, naturalis, et peculiaris. Sic Gellius, *lib.* II, *cap.* 2: *In domeſtica re atque uita — inter filium magiſtratum, et patrem priuatum, publicos honores ceſſare; naturales et genuinos exoriri.* Ita honores, qui patri a filio priuatim deben-

quidem, sacratissime Imperator, quoties annis uoluentibus reuertuntur, uestri pariter ac uestrorum nu-

debentur, et quasi ipsa natura duce sunt congeniti, appellantur *honores naturales et genuini*; alii honores, qui filio propter publicam quandam dignitatem et auctoritatem publice a patre praestandi, sunt aduentitii, et quasi non naturales et non genuini. Prope ergo erat, immo proxime, ut non solum pro antiquorum librorum lectione, *et ingenitum*, sed etiam pro recentiorum emendatione, *gemini*; ex Cuspiniano, et ex altero Gudii libro, adsciuerim, *genuini*; nisi et in meo Codice scriptum inuenissem, *gemini*; ac nisi etiam Liuineius testificatus esset, in Bertinensi Codice idem, *gemini*, explicate haberi: quamuis non negem, uocabulum, *genuini*, a librariis facillime in, *gemini*, conuerti potuisse, ac uersa uice. Primus autem euulgauit Gruterus illud, *gemini*; quem Puteanus, Baunius, Cellarius, et Patarol, sunt secuti. *Gemini* autem *natales* dicebantur, quia tunc uno eodemque die celebrabantur auspicia uitae utriusque Imperatoris, Diocletiani et Maximiani, etsi hi non uno die annoue nati essent. Et ex hac causa Mamertinus iam supra, Cap. I, dixit: *hac gemini natalis praedicatione*. Ceterum, dum orator dicit, a natalibus procreatas et quasi congenitas esse istorum Imperatorum uirtutes; is inseruit scenae. Scimus quidem, naturam dici semina quaedam et igniculos uirtutum animis hominum inserere; uerum nisi haec semina institutione, doctrina, exercitatione et consuetudine magis magisque excitentur, alantur, et perficiantur; scimus etiam, eadem in tanta generis humani corruptione facile obrui atque opprimi solere. Hinc Cicero aliter, *in Orat. de lege agrar. contra Rullum ad populum, cap.* 35: *Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci, et a uitae consuetudine, suppeditantur, quibus alimur, et uiuimus.* S.

II. 3. *annis uoluentibus*) i. e. euolutis. *Voluens* enim ἐνηλλαγμένως passionis significatu ponitur. Ex poëtis hanc loquendi formulam hausisse uidetur Mamertinus. Sic canit Virgilius, *lib.* I *Aen. u.* 234: *Certe hinc Romanos olim, uoluentibus annis, Hinc fore ductores*, etc. Valerius Flaccus, *lib.* I *Argon. u.* 505: *Summe fator, cui nostra dies, uoluentibus annis, Tot peragit re-*

4 numinum reuerentia colimus: siquidem uos diis esse genitos, et nominibus quidem uestris, sed multo magis uirtutibus, approbatis, quarum infatigabiles

reficitque uices. Ouidius, v. *Metam. u.* 16: *Iuppiter ex aequo uoluentem diuidit annum.* Sed et ita loquitur Eumenius, in *paneg. Constantio Caes. dicto, cap.* III: O *kalendae Martiae, sicuti olim annorum uoluentium, ita nunc aeternorum auspices Imperatorum!* Seruius ad Virgil. l. c. ait: *Anni uoluuntur, non uoluunt; ut est: Atque in se sua per uestigia uoluitur annus. Alii uolunt, praesens actiuum poni, quod deficiat lingua Latina participio praesenti passiuo.* Hoc uerbum et participium pertinet ad ea, quae sub forma actiuorum reciprocam admittunt significationem: *uoluere*, i. e. se uoluere; *anni uoluentes*, i. e. anni se uoluentes. Cuiusmodi exempla multo plura collegit Vechnerus, *lib.* 1 *Hellenol. c.* 12; et Bangius, *Obseruat. philol.* P. II, *pag.* 1320. Sic etiam *uertens annus* dicitur pro anno, qui uertitur. Et Macrobius, *lib.* 1 *Saturn. cap.* 14, tradit, *annum uertentem* dici, cum sol ad id signum denuo se uertit. S.

II, 4. *nominibus*) Omnes, qui hos panegyricos edidere, etiam ipse Cellarius, pro, *nominibus*, antehac prodidere, *numinibus*; sed minus apte. Solus Patarol euulgauit, *nominibus*; quanquam non indicauerit, e quo fonte hanc deduxerit lectionem. Eam uero e Codicibus MSS. in utroque libro Gudius annotauit opportune. Nihil uero aliud Mamertinus uoluit dicere, quam Diocletianum et Maximianum, non solum per nomina sua, alterum quidem per nomen *Iouii*, alterum per nomen *Herculii*; sed multo magis per uirtutes suas et facta immortalia, originem diuinam probare; illum quidem ex *Ioue*, hunc ex *Hercule*. Et sane idem hoc loco dicit Mamertinus, quod iam in priore panegyrico, *cap.* II, 3, dixerat Maximiano: *An diuinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione, testaris.* Tenues quidem hae probandae originis diuinae origines, quae tamen tunc apud auditores Mamertini non nullam speciem prae se ferre potuerunt. De origine diuina a Diocletiano et Maximiano affectata, supra, *Sect.* III, differui. S

II, 4. *approbatis*,) i. e. probatis, testamini, declara-

tis.

biles motus et impetus uis diuinitatis exercet, quae uos tantis discursibus toto, quem regitis, orbe deducit, ut nos, semper anxios uestri caritate, nuper

tis. *Approbare*, est ostendere et persuadere aliis. Sueton. *in Augusto, cap.* XVII; *Quo magis degenerasse eum a ciuili more, approbaret.* Florus, *lib.* II, *cap.* 2: *Negatus est victori triumphus, quia caussam belli non approbauit.* Petronius, *cap.* 74: *Vt ex aequo ius firmum approbaret.* S.

II, 4. *discursibus*) i. e. itineribus et expeditionibus. Eodem modo loquitur Eumenius, in *paneg. Constantii, Caes. cap.* III, 2: *Cuius tutelae licet esset, omni hoste perdomito, certa securitas; nimios tamen in diuersa discursus uel reuisenda poscebat.* Nescio, an hi panegyristae forte in mente habuerint, quod Cicero, *Orat. pro Marcello, cap.* II, de Iulio Caesare dixit: *Nec uero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam, cursibus, sed victoriis, illustratae sunt.* S.

II, 4. *anxios*) i. e. solicitos. Sicuti enim Cicero, *lib.* II *ad Attic. epist.* 24, dixit: *Non ignoro, quam sit amor omnis solicitus atque anxius;* ita etiam Mamertinus dicere potuit, *nos anxios uestri caritate.* Hoc enim dicere uoluit: Illa uis diuinitatis, quae uos tantis discursibus et itineribus toto orbe deducit, nos etiam, qui amore uestri semper soliciti atque anxii sumus, nuper impulit, ut libere quereremur, nempe de absentia uestra, et de tot periculis, quae in istis itineribus aditis. Etenim, ut Ouidius cecinit, *Epist.* I *Heroid. u.* 11: *Quando ego non timui grauiora pericula ueris? Res est solliciti plena timoris amor;* sic et Mamertinus iunior, *in gratiarum actione Iuliano dicta*, cap. XXIIII, 7, dixit: *Anxia est fidelium diligentia: maximo amori maximus timor iunctus est.* In quam sententiam etiam eleganter scripsit Plinius, *lib.* III, *epist.* 17: *Ipse ualeo, si ualere est, suspensum et anxium uiuere, expectantem in horas, timentemque pro capite amicissimo, quidquid accidere homini potest.* Sumus enim suspensi et anxii de iis, quos ardentissime diligimus: hinc etiam Mamertinus professus est, se semper anxios fuisse caritate, siue amore, Imperatorum. Et quidni dixerit, *anxios caritate;* uti Tacitus dixit, *lib.* I *Annal. cap.* 14: *anxius inuidia; lib.* II *hist. cap.* 92: *anxii odiis;* Valerius Maximus, *lib.* VIIII, *cap.* 3: *Amara solicitudine, ne non contingat ultio, anxius,*

nuper ad libertatem piae conqueſtionis impule-
rit,

anxius, etc. Antehac hunc locum ſic prorſus corruptum atque obſcurum exhibuerunt: *ut nos ſemper auxilii ueſtri caritate nuper ad libertatem piae conſtitutionis* (pauci habent, *conqueſtionis*,) *impleuerit*. Nos primum hunc locum integritati ſuae reſtitutum repraeſentamus. Alter Gudii liber nobis ſaniorem ex Codice MS. oſtendit lectionem, dum pro uulgato nomine, *auxilii*, annotatum refert, *anxios*. Valentinus Acidalius hunc locum in notis ſuis ſanare conatus erat; ſed uide, quam inuita Minerua! *Vt nos ſempiterna illa ueſtri caritas nuper ad laborem piae conſecutionis impulerit*. Neque parum ſe torſit Gruterus in hoc loco emendando; quamuis non nihil de uoce, *anxii*, diuinauerit. *Nihil hic intelligo*, inquit de uulgata lectione. *Forte fuit*: ſuper auxilii *ueſtri caritate. Sed quid et illud ſibi uelit, neſcio. an coniicere licet?* ſempiterna ueſtra caritate; *aut adeo*, ſemper anxii ueſtri caritate, etc. *ut uox*, impleuerit, *mutanda ueniat in aliud*. Iacobus de la Baune haec commentatur. *Hic locus mirifice uexauit eruditos: ſuperſedeo uarias eius lectiones referre, quae plus obſcuritatis, quam lucis, afferunt. Igitur, uulgarem ſcripturam retineo, ſenſusque erit: ita uis diuinitatis ueſtrae nos egit in uarias orbis partes, ut nobis amantiſſime ſuppeditarit ſemper auxilium ueſtrum, ſic, ut nuper etiam pie conqueri nobis fas eſſe putaremus, cum* etc. Sed iſta, cum minus cohaereant, magis obſcurant uerba Mamertini, quam illuſtrant. Rem propius iam ante acu tetigerat Liuineius in notis ſuis; qui tamen optimam coniecturam non auſus eſt admittere in contextum; et cui neque alii obtemperarunt. *Locus mendoſus*, inquit. *Coniicio uerum*: ut nos, ſemper anxios ueſtri caritate, nuper etc. *et mox*, impulerit, *non*, impleuerit. Sed dignam hanc lectionem iudicaui, cui locum darem, neque eam harum rerum intelligentibus diſpliciturам, ſpero; nec mirum his accidet, quemadmodum ab imperitis librariis pro uoce, *anxios*, uulgo obtrudi potuerit nomen *auxilii*: cum ſimilis uarietas etiam Quinctilianum in quibusdam codicibus maculauerit. Vbi enim, *lib.* XI *inſtit. orat. cap.* 1, nunc recte legitur: *anxium de fama ingenii*; ibi, teſte Burmanno, pariter codices quidam perperam habent: *auxilium de fama*. S.

II, 4. *conqueſtionis impulerit*,) Vtraque haec uox dudum

rit, cum itinera peſtra, ipſis hibernis diebus, per uicina

dum uitiata hunc panegyricum deformauit. Pro uoce, *conqueſtionis*, irrepierat, *conſtitutionis*; et uerbum, *impulerit*, conuerſum erat in *impleuerit*, ut neſcires, quid Mamertinus ſibi uoluerit. Acidalius ſuaſerat, ut reponeretur, *conſecutionis*. Liuineius, in ſuo pariter uetere ac Bertinienſi Codice inuenerat, *conqueſtionis*, notaueratque in ora libri ſui; nec tamen in hac uoce ueram agnouerat lectionem. Agnouit tandem Gruterus, eamque in contextum recepit, electo *conſtitutionis* uocabulo, quod eo usque omnia inuaſerat horum panegyricorum exemplaria: cum alterum illud ſe tueretur auctoritate duarum membranarum. Nunc uero accedit et mei Codicis, et utriusque libri Gudiani, ſuffragium; eandemque lectionem iam admiſerunt Puteanus, Baunius, Cellarius, Patarol. Caue uero, per *conqueſtionem* intelligas, quod ſcriptores medii aeui a *quaerendo* dixere *conquaeſtionem*, ſeu pro illius temporis ratione ſcribendi, *conqueſtionem*, item et *conqueſtum*, i. e. acquiſitionem terrarum per bella; unde et *conqueſtor* dictus eſt, qui Gallis audit *conquerant*, ſiue *conquereur*, h. e. expugnator urbium, domitor populorum, finium principatus amplificator. Verius et rectius Mamertino *conqueſtio* idem eſt, ac querela, querimonia, a uerbo, *conqueri*. Proba haec uox eſt, et ipſi Ciceroni uſitata. u. g. *pro Murena*, *cap.* III; *Me non minus hominis ſapientiſſimi atque ornatiſſimi, Ser. Sulpicii, conqueſtio, quam Catonis accuſatio, commouebat.* Idem *lib.* I *ad Q. fratrem, epiſt.* I, §. 7: *Vbi nullum auxilium, nulla conqueſtio, nullus ſenatus, nulla concio.* Auctor *rhetor. ad Herennium, lib.* III, *cap.* 13: *Amplificatio diuiditur in cohortationem et conqueſtionem.* Quinctilianus, *lib.* VI *inſtit. orat. cap.* I: *Cicero accommodauit Miloni et uerba, et conuenientes etiam forti uiro conqueſtiones.* Suetonius, *in Tiberio, cap.* LXX: *Compoſuit et carmen lyricum, cui titulus: Conqueſtio de L. Caeſaris morte;* ubi quidam libri uulgati inepte, *conquiſitio*. Sed etiam uerbum, *impulerit*, exulauerat ex plurimis libris, permutato uerbo, *impleuerit*; quod hic locum habere nequit. Licet uero iam Rhenanus, in margine editionis ſuae, et Liuineius, ex coniectura ſcripſiſſent, forte legendum, *impulerit*: praeter ceteros tamen, Gruterus etiam, Puteanus, Baunius, et Cellarius, retinuere, *impleuerit*. Solus Patarol excudi iuſſit, *impulerit*. Gruterus

uicina illa caelo Alpium iuga, quibus Italiam natura

terus quidem in notis: *Maluissem*, inquit, *impulerit, si ulla aura libri scripti exorta fuisset, audaciae nostrae uelo deducendo.* Sed, ecce, iam adspirat larga aura uelo Gruteriano ex Codice meo, ubi euidenter scriptum est, *impulerit;* accedit et consensus aliorum Codicum MSS. quos consuluit Gudius, in utroque libro suo. Iam uero, ni fallor, facillime intelligi potest sententia Mamertini, qui, quod iam supra monui, haec dicere uoluisse uidetur: Ipsa uis diuinitatis uestrae uos tantis discursibus deducit, et agit, ad excurrendum in uniuersum orbem, quem regitis, ut nos, cum semper de uobis soliciti et anxii simus charitate uestri, nuper impulerit, et quasi inuitos induxerit, ut libere, nostrae tamen pietati conuenienter, auderemus conqueri, scilicet de absentia uestra, et de tot periculosis itineribus uestris. Qua sententia, nescio, quid esse possit planius? S.

II, 4. *ipsis hibernis diebus,*) In his uerbis nemo facile aliquid desiderauerit. Varro, *de re rustica, lib.* I, *cap.* 28: *dies hiberni sunt ex a. d.* IIII *Id. Nouembr.* At non possum non monere, in meo Codice haec uerba ita exarata esse: *ipsis hibernis hostilis diebus.* Eandem uocem, *hostilis,* Liuineius in duobus antiquis Codicibus repererat. Etiam Gudius in altero libro notauit, tres uetustissimos codices eandem hanc lectionem habuisse. Equidem uox, *hostilis,* nihili est; cum nequaquam in hunc locum conueniat: interim ea haud obscuram affert suspicionem, sub hac aliam uocem latere; cum non prorsus frustra, neque praeter omnem rationem, inserta fuerit contextui. Facile tamen concedo, eam corruptam fuisse a rudibus librariis, qui ueriorem uocem in uetustiore Codice, in quo ex uetustate literae quaedam exoleuerant, non satis legere, neque intelligere potuerint. Venerat mihi in mentem, an forte sub uoce *hostilis* hic lateat uox *hospitii?* unde ista uerba sic constitui possint: *ipsis hiberni hospitii diebus.* Quibus uerbis Mamertinus significare potuerit, Maximianum, relictis hibernis, ubi cum exercitu stationem habuerit, et quasi in hospitio hiemem transigere, ac quiete hospitari potuisset, ipsa acerrima hieme per Alpium iuga contendisse Mediolanum. Sic in Eumenii *gratiarum actione, cap.* III, legimus, Gallos transalpinos, et sigillatim Aeduos, Romano Imperio sese tradi-

tura uallauit, perque illa saxa, et duriorem saxis
I niuium

tradidisse, *hibernis hospitaliter praebitis*, suppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedestribus equitumque copiis auxiliantibus. Sed nondum in hac correctione acquiesco; cum mihi ipsi fere magis placeat coniectura Liuineii et Gudii. Scilicet Liuineius pro uoce, *hostilis*, aliam huic loco conuenientiorem hinc eruit lectionem. *Inserunt*, inquit, *post*, hibernis, *Codices* MSS. hostilis. *Vnde exculpsi aegre et cum cura*, solstitii: ut integer locus sic concinnetur: *ipsis hiberni solstitii diebus*. Eodem modo legendum esse, etiam Gudius in altero libro annotauerat. Apprime haec lectio congruit rei gestae. Infra enim, *cap.* VIIII, Mamertinus tempus itineris horum Imperatorum ita describit: *Sed qua tandem uice temporum? quo tempestatis habitu*, scil. profecti estis? *Nempe hieme saeuissima, et in his quoque regionibus inusitata, cum agros glacies, glacies niuem, premerent, coelo pariter ac terris uniformibus, cumque ipsi anhelitus hominum circa sua ora concreti rigore canescerent.* etc. Pulchre haec designare possunt solstitii hiberni asperitatem. Illud quidem non nullum mihi scrupulum ab initio mouit, quod probati auctores linguae Latinae, ut Varro, Cicero, Plinius maior, atque alii, *solstitium* haud dixerint de bruma. Scilicet hodie quidem uulgo duplex nominamus *solstitium*: alterum *aestiuum*, quod ad XXIIII Iunii refertur; alterum *hibernum*, quod in XXI Decembris incidit; at ueteres illi solam aestiuam solis stationem uocarunt *solstitium*; alteram *brumam*, siue tempus brumale, aut hibernum. Verum scriptores sequioris aeui uocabulo *solstitii* promiscue de aestiuo et hiberno usi sunt. Sic e. g. Solinus, in *polybistore*, *cap.* XXXV, scripsit, in insula Thule, *aestiuo solstitio*, sole de Cancri sidere faciente transitum, noctem paene nullam esse; *brumali solstitio*, diem adeo conductum, ut ortus iunctus sic occasui. Immo, iam ipse Columella, melioris aeui scriptor, *lib. de re rustica* VII, *cap.* 3, et *lib.* XI, *cap.* II, *brumale* et *hibernum* dixit *solstitium*. Vtcunque est, cum uulgata lectio adhuc staro possit, neque sententiam Mamertini tenebris obducat, aut prorsus euertat; contra autem uestigia emendationis nondum satis uideantur expedi-

niuium denſitatem, deſiderio ueſtri et amore ſequeremur, et, ſi uirtus ueſtra non ſentiret, pati nos putaremus iniuriam.

III.

pedita: in his uerbis nec dum auſus ſum aliquid innouare. S.

II, 4. *et, ſi)* Cum hucusque particula, *ſi*, in nullo, uel ſcripto, uel impreſſo exemplari, locum inuenerit; fere contigit, ut pauci ſententiam Mamertini percepiſſe uideantur. Tentarunt quidam loco huic in morbo cubanti remedium afferre: ſed tentarunt ſine felici ſucceſſu. Patarol, Venetus quondam doctiſſimus, hanc lectionem prodidit: *et uirtus ueſtra non ſentiret, pati uos putaremus iniuriam.* His breuem hanc notam ſubiecit: *Sic legunt omnes; ſed corruptus hic ſine locus. Inſerenda, puto, uox*, licet; *ſeu poſtea legendum*: dum pati uos putaremus iniuriam. Ego in his parum ſani animaduertere poſſum. Adhaec, pronomen, *nos*, incommode conuertitur in *uos*; quamuis alioquin haec praenomina frequenter permiſceantur; atque etiam, *uos*, Liuineius e ſuo Codice annotarit. Hic uero Liuineius non quidem admittit pronomen, *uos*; at, inſerta particula, *quam*, quae in margine notata eſt, putauit, contextum poſſe adiuuari: *et* quam *uirtus ueſtra non ſentiret pati nos putaremus iniuriam.* Verum, neque hic conſpicio maiorem lucem, quae inde affundatur Mamertino. Acidalius haec commentatus eſt: *Rhenanus* (in margine editionis ſuae annotauit,) *etſi. Lege: et licet uirtus ueſtra non ſentiret, pati uos putaremus iniuria.* Sed neſcias, an etiam ex hac emendatione plus caliginis, an luminis, inducatur uerbis Mamertini. Beatus Rhenanus ex ſola coniectura orae libri ſui adſcripſerat, *etſi*. Bene; ſi diuellatur haec particula in duas partes; prout eam diuelli in contextu. Sic uero, ſi quid iudicare poſſum, ex tam leni remedio omnia fluunt leniora, firmiusque cohaerent; quanquam praeoptauerim legere: *quod ſi uirtus ueſtra non ſentiret*, etc. Ita uero iſta uerba coniunguntur: *cum ſequeremur itinera ueſtra*, ac uos animo comitaremur per alpes, *deſiderio et amore ueſtri; et putaremus, nos pati iniuriam*, duriusque nobiscum agi, *ſi ueſtra uirtus* atque humanitas *non ſentiret* et animaduerteret, nos nempe tanto amore tantoque ueſtri deſiderio uos proſequi. Haud negamus, nos in hoc mendo corrigendo auctoritate Codicum MSS. deſtitui: ſed uix aliquis leniore remedio in releuando

III. Reddidimus tamen rationem ſollicitudini noſtrae, et, inſpecta penitus ueritate, cognouimus,

leuando loco tam luxato uti poterit. Hoc autem ipſum remedium ſuggerit neceſſitas certae ſententiae ſine ambagibus conſtituendae; comprobant *circumſtantiae*, et oſtendunt alia ſimilis corruptelae exempla, quae facile congerere poſſemus. Quam ſaepe accidit, ut in ſcribendis particulis, *et ſi*, uel prior, uel poſterior, ſit praemiſſa! S.

III, 1. *Reddidimus*) Veteres pariter atque recentiores editiones habent uerbum praeſentis temporis, *reddimus*. Equidem iam Liuineius quondam arbitratus eſt, *reddidimus*, eſſe ſincerum; atque Iacobus de la Baune idem in notis ſuis probauit: ſed neuter hoc tempus in contextum admittere auſus eſt. Nos audemus; quia id iam a Patrolo editum, atque in altero Gudii libro ex codice MS. annotatum eſt; deinde, quia idem ſententia, ac nominatim ſubſequens uerbum eiusdem temporis, idque per particulam copulandi adiunctum, *cognouimus*, requirere uidetur; tum, quia nihil facilius fieri potuit, quam ut ſyllaba, *di*, cum adhuc ſemel repetenda eſſet, a librariis omitteretur; prout in aliis legimus, *dicimus*, pro *didicimus*; *credimus*, pro *credidimus*, etc. S.

III, 1. *ſolicitudini noſtrae*,) Vulgo, pro *noſtrae*, editum legimus, *ueſtrae*. Gruterus primus in notis monuit, omnino legendum uideri, *noſtrae*; et ita placuiſſe Bongarſio: quorum monito obſecutus Cellarius exhibuit hanc lectionem. Iac. de la Baune cenſuit, utramuis eligi poſſe; uel *noſtrae* de uobis ſolicitudinis; uel *ueſtrae* de nobis. Verum utique praeſtat admittere, *noſtrae*. Nihil enim antea Mamertinus dixerat de *ſollicitudine Imperatorum*; at bene meminerat ſolicitudinis bonorum ciuium imperii de ſalute atque incolumitate Imperatorum, Diocletiani et Maximiani, cum in proximo Capite diceret: *Ipſa uis diuinitatis — uos tantis diſcurſibus*, (i. e. itineribus) *toto, quem regitis, orbe deduxit, ut nos ſemper anxios ueſtri charitate nuper ad libertatem piae conqueſtionis impulerit*, etc. Similiter fere loquitur incertus auctor panegyrici Conſtantino Auguſto dicti, *cap.* I: *Hoc maiores pro te ſuſcepimus metus, quod nobis potius, quam tibi, conſulebas*. Sed in his uocibus adhuc

mus, quae cauſſa faciat, ut numquam otio acquieſcere uelitis. Profecto enim non patitur hoc caedhuc aliam obſeruamus uarietatem, quam nullus editor, quantum nobis conſtat, hucusque animaduertit. Nam cum in omnibus libris Mamertini antehac excuſis legerimus, *ſolicitudinis*; iam in Codice noſtro, et in utroque libro Gudiano, non caſum gignendi, *ſolicitudinis*, ſed caſum dandi, *ſolicitudini*, deprehendimus. Quam lectionem haud contemnendam exiſtimauimus; ita tamen, ut potiſſimum hanc emendationem ad aliorum iudicium deferamus. Tunc enim, ſi *ratio* pro *modo* accipiatur; prout ſaepius ſumitur a probatis linguae latinae ſcriptoribus, ac ſi haec uerba: *Reddidimus tamen rationem ſolicitudini noſtrae*, ſic interpretemur: *Statuimus tamen modum ſolicitudini noſtrae, eandemque ad rationem redegimus, et temperauimus*; omnino ſententia menti Mamertini perquam congruens hinc exiſtit; cum mox ſequatur ratio, cur boni ciues temperarint moderatique ſint ſuam ſolicitudinem pro incolumitate Imperatorum; quia nempe cognouerint, Iouem, conditorem generis Diocletiani et Maximiani, non pati hos Imperatores otio acquieſcere; prout et aliquanto inferius, § 8, loquitur Mamertinus: *Veſtra numina ſemper aliquid agunt, agendumue curant, ut iam nobis illa, quam pro uobis ſuſceperamus, cura ponenda ſit; cum non laborare uos, ſed parentes deos uideamus imitari.* Eodem modo puto explicari poſſe apud Quinctilianum, *Declam.* CCLXXXXVII, haec uerba: *rationem reddere irae ſuae*; ſi uoces, *irae ſuae*, in caſu dandi accipiantur, i. e. temperare ratione irae ſuae, ſiue, ſtatuere modum irae ſuae. Haec enim legimus apud Quinctilianum: *Meruit quidem, qui eruit oculos, ut et ipſe perdat: ſi tamen habuerit miſericordiam, ſi inciderit in eum, qui aliquatenus reddere irae ſuae rationem poſſet, gratiam referat.* Tunc ſane hic Quinctiliani locus nulla indigeret emendatione; neque neceſſe foret, ut, quod Gronouius cenſuit, reponamus: *qui aliquatenus temperare irae ſuae ratione poſſet*; uel, *coercere iram ſuam ratione*; cum haec ipſa ſententia iam in uulgata lectione lateat. S.

III, 2. *Profecto enim)* Particulam, *enim*, praetermittunt, Nauius, Liuineius, et Baunius; cui tamen alii ſcripti excuſique libri locum concedunt. S.

caeleſtis ille ueſtri generis conditor. Nam primum omnium, quidquid immortale eſt, ſtare neſcit; ſempiternoque motu ſe ſeruat aeternitas. Deinde praecipue ueſtri illi parentes, qui uobis 3

III, 2. *ille ueſtri generis conditor.*) i. e. Iupiter. Quanquam ſeorſum Diocletianus *Iouem*, et Maximianus *Herculem*, ſui generis auctores iactarent; quod iam in Prolegom. ad hunc Panegyr. §. III. oſtendimus; hoc tamen loco Mamertinus Iouem utriusque Imperatoris generis conditorem deſignare uidetur. Quid uero mirum? cum Iupiter *Rex hominumque deumque* haberetur, ita, ut eidem etiam id, quod per alios deos effectum, non raro tribui ſoleret. Adhaec tanta iſtorum Imperatorum concordia eſſe dicebatur, ut generis ſui auctores deos mutuo colerent, et Diocletianus aliquando Herculem, ac Maximianus Iouem, conſeruatorem, in nummis ſuis ſignarent. S.

III, 2. *quidquid immortale eſt, ſtare neſcit;*) Pertinent huc, quae Seneca, in *Conſolatione ad Heluiam, cap.* VI, tradit: *Mens humana ex illo coeleſti ſpiritu deſcendit; coeleſtium autem natura ſemper in motu eſt; fugit, et uelociſſimo curſu agitur.* Ariſtoteles, *lib.* I *de coelo, Cap.* III: Θεῷ δὲ ἐνέργεια ἀθανασία. τοῦτο δὲ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος, ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. Cicero, *lib.* I *Quaeſt. Tuſcul. cap.* 27: *Nec uero Deus ipſe alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quaedam ac libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens et mouens, ipſaque praedita motu ſempiterno.* Latinus Pacatus, *Paneg. Cap. X: Gaudent profecto diuina perpetuo motu, et iugi agitatione ſe uegetat aeternitas.* S.

III, 2. *ſe ſeruat aeternitas.*) Quaerit Acidalius: quid ſi *uerſat*? Non reiicerem uerbum, *uerſat*, ſi in uetuſtis codicibus reperiatur; ſed extra haec ſuffragia nec uerbum uulgatum atque in omnibus libris expreſſum, *ſeruat*, uelim deſerere; cuius compoſitum, *conſeruat*, in eodem argumento poſuit Seneca, l. c. *Dei natura*, inquit, *aſſidua et citatiſſima commutatione, uel delectat ſe, uel conſeruat.* S.

III, 3. *ueſtri illi parentes,*) ſcil. Iupiter et Hercules. S.

et nomina et imperia tribuerunt, perpetuis ma-
4 ximorum operum actionibus occupantur. Ille si-
quidem Diocletiani auctor deus, praeter depul-
sos quondam caeli possessione Titanas, et mox
bifor-

III, 3. *et nomina et imperia*) In priore libro Gudii ex Codice MS. annotatum est, ibi copulam priorem, *et*, omissam esse, atque pro uoce, *nomina*, legi *omina*. Sed bene stare potest illa copula; ac perperam scriptum est, *omina*; cum designentur nomina *Iouiani* et *Herculei*, de quibus in Prolegom. ad hunc Paneg. §. III egimus. At et imperii sui auspicium ad deum referre uideri uolebant isti Imperatores: quia, quod Diotogenes Pythagoraeus apud Stobaeum ait, Θεόμιμόν ἐστι πρᾶγμα βασιλεία, *Regnum diuina res est*. Et secundum Callimachum, *hymm. in Iouem*, *u.* 79: Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. S.

III, 4. *Titanas*,) Hi, tradente Seruio, ad Virgil. *lib.* VI *Aen. u.* 580, sic appellabantur ἀπὸ τῆς τίσεως, i. e. ab ultione, quia credebantur ab irata contra deos Tellure ad eius ultionem creati. Titanes et Gigantes, tanquam monstra συγγενῆ, cum, teste Isidoro, *lib.* XV, *cap.* I, utrumque genus ex Coelo et Tellure natum perhiberetur, non raro in ueterum mythologia confunduntur: aliquando tamen distingui solent, ut ab Apollodoro, *lib.* I *biblioth. cap.* I, et a Seruio, l. c. Etiam Mamertinus Titanomachiam a Gigantomachia distinguere uidetur. De illa agit Hyginus, fab. CL: *Postquam tunc uiderat, Epaphio ex pellice nato, tantam regni potestatem esse, hortatur Titanas, Iouem ut regno pellant, et Saturno restituant. Hi cum conarentur in coelum adscendere, eos Iupiter cum Minerua, et Apolline, et Diana, praecipites in Tartarum deiecit.* De Gigantomachia Claudianus, (ubi inspicias ea, quae interpretes, Barthius praecipue, attulere) et Ouidius, nisi et hi forte utrumque genus commisceant. Ouidius, *lib.* I *Metam. u.* 152, seqq.

Affectasse ferunt regnum coeleste Gigantas;
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, et excussit subiecto Pelio Ossam.

Quidam

biformium bella monſtrorum, perpeti cura quamuis

I 4

Quidam tradunt, per Gigantas deſignari uentos Typhonas; alii, Tyrannos; alii ſeditioſos, rebelles, ſacrilegos, et impios, interpretantur. Macrobius, *lib.* I *Saturn. cap.* 20: *Gigantas quid aliud fuiſſe credendum eſt, quam hominum quandam impiam gentem, deos negantem; et ideo aeſtimatam deos pellere de coeleſti ſede uoluiſſe; horum pedes in draconum uolumina deſinebant.* Ceterum Accuſatiuus pluralis a *Titan* terminatur promiſcue in *es*, et *as*. Sic Nauius et Liuineius edidere *Titanes;* ceteri ſcripti impreſſique libri habent *Titanas.* S.

III, 4. *biformium bella monſtrorum,*) Sine dubio per *biformia monſtra* deſignantur *Gigantes*. Sic Albricus Philoſophus *de deorum imaginibus*, fab. XII: *Eruntque*, inquit, *Gigantes pedibus ſerpentinis;* quanquam Albricus Gigantas non a Titanibus diſtinxiſſe uideatur. Etiam Ouidius, *lib.* V *Faſt. u.* 35, Gigantas uocat *immania monſtra*, et illis *mille manus*, atque pro *cruribus angues*, tribuit: Idem etiam *lib.* IIII *Triſt. Eleg.* VII, appellat *Gigantas ſerpentipedes*. Lactantius Placidus, *Fab.* V, *eos ſaltem immenſae molis* et *ſimiles matri filios* uocat, *quos parens Terra progenuerit, et quorum magnitudini par ſparſerit audacia.* etc. Apollodorus, *lib.* I, *cap.* 6, tradit, Gigantas non modo corporis magnitudine praecelluiſſe, ſed uiribus etiam fuiſſe inuictiſſimos; terribili plane uultu, ac promiſſo e capite capillo, ac prolixa e mento barba praeditos, habuiſſe pedes anguineos prodi. Puteolanus, Nauius, et H. Stephanus, non *biformium*, ſed *deformium*, *bella monſtrorum*, edidere. Dubites, utram lectionem amplectaris? Mamertinus etiam in priore Paneg. *cap.* II, Geryonem appellat *paſtorem trino capite deformem*. Seneca, *Agam. u.* 841, *triformem*. At in eiusdem panegyrici *cap.* IIII, ubi Mamertinus ad eandem fabulam Gigantum alludit, eosdem uocat *monſtra biformia*; [*v. quae ad illum locum ſunt adlata, et Macrob. Sat.* I, 20. *Iaeg.*] Minotaurum quoque Ouidius, *lib.* VIII *Metam. u.* 156, dicit *monſtrum biforme*. Ergo retineamus hanc uocem, quae iam plurima Mamertini exemplaria occupauit. Codex noſter MS, ipſam hanc uocem oſtendit, quamquam non decente caſu, ſed *biformia*. S.

III, 4, *perpeti cura*) i. e. perpetua cura, prout Mamertinus, prioris paneg. *Cap.*

uis compositum gubernat imperium, atque hanc tantam molem infatigabili manu uoluit, omniumque rerum ordines ac uices seruat. Neque enim tunc tantummodo commouetur, cum tonitrua incutit, et fulmina iacit; sed etiam, si tumultuantia elementorum officia pacauit, nihilominus tamen et fata disponit, et ipsas, quae tacitae

Cap. III, dixerat: *perpeti solicitudine*; ad quem locum uide notam nostram, *pag.* 45. Rhenanus, Nauius, Liuineius, et H. Stephanus, euulgarunt: *praepeti cura*; sed uox, *praepes*, cum proprie pro ueloce sumatur, minus huc facit. S.

III, 4. *quamuis compositum gubernat imperium,*) Particula, *quamuis*, sine sequenti, *tamen*, posita, hoc loco significat, *quantumuis*, siue *quamlibet*. Sic et ipse Cicero loquitur, *lib.* II *ad famil. epist.* 16. *Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiae latebris contentus essem.* Grammatica uerborum structura apud Mamertinum haec est: siquidem deus, ille auctor Diocletiani, gubernat perpeti, siue continua, cura imperium quamuis compositum; i. e. quantumuis iam ante a se compositum, atque in ordinem redactum. S.

III, 4. *omniumque rerum ordines*) Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Nauius, Liuineius, H. Stephanus, et Patarol, pro particula, *que*, edidere, *quoque*. At Codex noster ceterorum librorum lectionem confirmat; nec male pro numero multitudinis, *ordines*, reponit singularem, *ordinem*, qui numerus etiam alteri libro Gudiano adscriptus est. Bene tamen etiam stat uulgata lectio. Sic Cicero, *de nat. deor. cap.* 20: *Deus rerum uicissitudines ordinesque conseruat.* S.

III, 5. *sed etiam, si*) Possis etiam legere: *sed etiamsi*; sicut in non nullis libris scriptum editumque est. S.

III, 5. *et fata disponit,*) Etsi haec uerba usque adhuc ex omnibus libris impressis exularint, digna tamen nobis uisa sunt, quae in contextum admitterentur; cum ea non solum Liuineius ex antiquo Codice monasterii Bertiniensis annotarit; sed etiam nunc in nostro Codice inueniantur; licet hic pro uoce, *fata*, uulgari librariorum errore scriptum sit, *facta*: cuius erroris exempla quaedam annota-

tae labuntur, auras placido sinu fundit, et in

I 5 ad-

notauimus ad Plinii panegyricum, *cap.* XVII, 2; LXXX, 5; LXXXV, 5; et sigillatim ad medium locum testimoniis ueterum declarauimus, Iouis existimatum esse, etiam fata hominum dispensare. S.

III, 5. *tacitae labuntur,*) Quidam editores pro epitheto adiectiuo aduerbium prodidere, *tacite*; non prorsus perperam; cum *aurae tacite labi* dici queant; sicut Ouidius, *lib.* I *Fast. u.* 65, dixit: *Iane biceps, anni tacite labentis imago.* Nobis tamen elegantius uidetur, si retineatur adiectiuum. Sic et idem Ouidius, *lib.* VI *Fast. u.* 771, dixit: *tacitisque senescimus annis.* Et in *Remedio amoris, u.* 105: *Tacitae serpunt in uiscera flammae.* etc. S.

III, 5. *et in aduersa coeli nitentem impetu rapit solem.*) Haec ita interpretatur Baunius: *Ex fulgentem solem cum celeritate abripit in aduersam coeli partem.* Sic Patarol: *Cum ad Tropicos peruenit Sol, eum retrouertere iubet uersus aequatorem; bis in anno: solstitio nempe hiemali, mense Decembri; et aestiuo, mense Iunio.* Non solum Liuineius ex suo Codice uetere haec uerba aliquantum transposita adscripsit margini libri sui: *et in aduersa nitentem impetu coeli rapit Solem*; sed hanc transpositionem etiam in nostro Codice animaduertimus: ex qua uero nescimus, quod maius lumen sententiae Mamertini affulgeat. *Aduersa coeli*, i. e. per enallagen, aduersum coelum, siue aduersa coeli plaga; secundum tritam formulam: *usurpata collium, abrupta montium*, etc. S.

III, 5. *in aduersa coeli nitentem impetu rapit solem.*) Locus certe obscurus, neque a *Baunio*, neque *Patarolo* satis illustratus. Ceteri Interpretes silentio praetereunt. *Pataroli* explicatio quo modo uerbis Mamertini conueniat, haud facile intelligas. *Baunius* propius a uero abesse uidetur: sed tamen τὸ *nitentem* si idem esset ac *fulgentem*, hic ualde frigeret. Dicam, salua doctiorum reuerentia, meam qualemcumque sententiam. Iouis numen et Sol interdum, licet perraro, quadam tenus pro iisdem habentur. Ita antiquus ille poëta, cuius Hymni Orphei nomine inscribuntur, Hymn. in Solem, v. 13.

Αἴθαλες, ἀμίαντε, χρόνου πείρας, ἀθάνατε Ζεῦ.

Vberius

6 aduerſa caeli nitentem impetu rapit ſolem. Itidem,

Vberius hoc exſequitur *Tzetzes*, Schol. in Heſiod. Ἐργ. p. 9. ed. Heinſ. τινὰ τῶν θείκων ὀνομάτων καὶ πλεοναχῶς λαμβάνονται, ὥσπερ τὸ Ζεὺς· σημαίνει γάρ τινα βασιλέα, πραγματικῶς· ψυχικῶς δὲ τὸν νοῦν, ὃς καὶ τὰς γνώσεις μούσας γεννᾷ· σοιχειακῶς δὲ πᾶν τὸ εὐρύνιον σῶμα, καὶ τὰ μέρη αὐτοῦ· τὸν ἀέρα, καὶ τὸ νεφελῶδες κατάσημα καὶ ὄμβριον, τὸν ἥλιον, τὸν ἀστέρα τὸν πλάνητα· καὶ τὴν εἱμαρμένην κατὰ τοὺς στωϊκούς· Orpheus, quem citat Apul. de Mundo, p. m. 75. Ζεὺς ἥλιος, ἡδὲ σελήνη. *Pindarus*, Olymp. Od. 2, 22. uocat ἀμέραν παῖδ' ἁλίου. At, pater diei, qui hic Sol, Romanis eſt quoque Iupiter, dictus Dieſpiter, Diiouis, item Lucetius, *Gell.* 5, 12, 5. 6. *Iouis Diespater appellatus, id eſt, diei et lucis pater. Idcircoque ſimili nomine Diiouis dictus eſt, et Lucetius; Macrob. Sat.* 1, 15. *Cum Iouem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carminibus canunt; et Cretenſes* Δία τὴν ἡμέραν *uocant: ipſi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem.* cf. in primis c. 24. l. 1. Saturn. Quodſi igitur Iupiter h. l. ſit ille, qui —— *agat portantes lumina currus*, uerborum Oratoris noſtri idem ſenſus fere erit ac illorum Phoebi, apud *Ouid.* Met. 2, 72.

Nitor in aduerſum: nec me, qui cetera, uincit
Impetus: et rapido contrarius euehor orbi.

A quibus non multum abludit auctor Hymni in Solem, ſupra laudatus, qui v. 7. dicit de Sole:

Ῥόμβου ἀπειρεσίου δινεύμασιν οἶμον ἑλαύνων.

Itaque τὸ *in aduerſa caeli nitentem impetu rapere ſolem* ſignificabit *rapere* ſ. *mouere impetu ſolem, qui nititur in aduerſa caeli*, quod ſcilicet aſſidua uertigine rapitur, et ſidera cetera trahit, celerique uolumine torquet: quem motum uel conuerſionem caeli Sol contrario niſu uincit. Ceterum, quod in uerbis proxime hunc locum antecedentibus *Iupiter auras placido ſinu fundere* dicitur, id

dem, Maximiane, Hercules, tuus auctor, qui, dum inter homines erat, terras omnes et nemora pacauit, urbes dominis crudelibus liberauit,

id iam *Tzetzae* scholio, supra adlato, explicatur; cui addam *Catull.* 4, 19. 20. 21:

— — *Laeua, siue dextera*
Vocaret aura, siue utrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Iupiter hic est *uentus* s. *aura*. *Muretus* ad h. l. Catulli adfert *Ennii* uersus:

Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Graeci uocant
Aërem, qui uentus est, et nubes, imber postea,
Atque ex imbre frigus, uentus, post fit aër denuo.
Iaeg.

III, 6. *Itidem, Maximiane,*) Quidam libri post *Itidem* ponunt, *quoque*; alii simpliciter, *que*. Nobis praecipue placet, quod utraque haec particula, cum in nostro Codice, tum in utroque libro Gudiano, prorsus omissa est: quamquam et particulam *que*, facilius, quam *quoque*, ferremus. S.

III, 6. *Hercules, tuus auctor, qui,*) Satis incommode antehac in omnibus excusis libris legebatur: *Hercules tuus, mitto quod, cum inter homines erat* etc. Lectio, quam nunc primi euulgamus, mire nobis arridet; quae non solum in utroque libro Gudiano ex antiquis Codicibus annotata legitur; sed etiam a nostro Codice diserte confirmatur. Ita uero haec uerba bene concinunt superioribus, ubi de Diocletiano sermo erat: *Ille siquidem Diocletiani auctor deus*, etc. Neque nunc aliquid per praeteritionem omittere, sed potius utrumque exprimere uoluisse uidetur Mamertinus, quid, cum in terris adhuc uersaretur, Hercules, et cum inter coelites receptus esset, egerit. Mira autem haec corruptela est, qua pro uerbis, *auctor, qui*, reposita sunt, *mitto, quod*; ita, ut, si absque praesidio Codicum MSS. fuisset, uix ulla critices regula haec emendatio indagari potuisset. S.

III, 6. *dum inter homines*) Sic scriptum inuenit Liuineius in suo et Bertinensi Codicibus; uulgo editum est, *cum*, pro *dum*. S.

III, 6. *terras omnes*) Sublatis monstris omnibus et belluis ferociſſimis, quae agros infestabant, quales erant *Leo Nemeaeus*, *Hydra Lernaea*, *Aper Erymanthius*, *Equae Diomedis*, etc. Patarol. Inde autem Hercules in nummis aliquando uocatur PACATOR ORBIS. S.

III, 6. *dominis crudelibus libera-*

rauit, etiam caelo dirarum alitum uolucria tela detra-

liberauit,) Sublatis, Diomede Biſtonum, Geryone, Hiſpaniae Regibus. *Patarol.* S. III, 6. *dirarum alitum)* Duo potiſſimum dirarum alitum genera occurrunt in mythologia: *Harpyiae* et *Stymphalides.* Harpyias Heſiodus, *Theog. u.* 265, dicit Thaumantis et Electrae filias. Illas ſic breuiter deſcribit Virgilius, *lib.* III *Aen. u.* 214: *Triſtius haud illis monſtrum, nec ſaeuior ulla Peſtis, et ira deum Stygiis ſeſe extulit undis: Virginei uolucrum uultus, foediſſima uentris Proluuies, uncaeque manus, et pallida ſemper Ora fame.* Stymphalides aues a Stymphalo, Arcadiae opido et palude, ſic dictae, quas Hyginus, Fab. XX, dixit pennis ſuis pro ſagittis confixiſſe homines. Atque de iisdem Claudianus, *Eidyll.* II *de Hyſtrice: Audieram,* inquit, *memorande, tuas, Stymphale, uolucres Spicula uulnifico quondam ſparſiſſe uolatu; Nec mihi credibilis ferratae fabula pinnae Viſa diu.* Harum auium meminit et Lucretius, *lib.* V, *u.* 31; *Vncisque timendae Vnguibus Arcadiae uolucres Stymphala colentes.* Scilicet hae aues dicebantur pinnis ferratis, ſeu ſpiculis, aduenas conficere. Dubitarunt non nulli, ad quod genus auium ea referenda, quae hic narrat Mamertinus? Gruterus et Patarol attribuunt iſta Harpyiis; quae rectius Cellarius refert ad Stymphalidas. Has enim diſpulſas caeſasque multi ueterum numerant inter Herculis labores. Pauſanias, *lib.* VIII, *cap.* 20, refert, fabulis uulgatum eſſe, Stymphali, urbe Arcadiae, aliquando aues, quae humana carne uictitarint, ab Hercule ſagittis confectas; at, teſte Piſandro Camirenſi, non peremtas eas ab Hercule aues, ſed crepitaculorum ſonitu e loco pulſas eſſe. Apollodorus, *lib.* II, *cap.* VIII, 6, tradit, Stymphalidas ab Hercule partim quaſſatis aeneis crepitaculis diſpulſas, partim ſagittis confixas eſſe. Seneca, in *Hercule Furente*, u. 243, generatim: *Solitas,* inquit, *pennis condere obductis diem, petiit* (Hercules) *ab ipſis nubibus* (i. e. coelo detraxit,) *Stymphalidas.* Spanhemius, *Diſſert.* V, p. 256, diſcrimen Stymphalidum et Harpyiarum oſtendit, Stymphalidisque imaginem in nummo quodam L. VALERII reperiſſe ſibi uiſus eſt. S. III, 6. *uolucria tela)* Sic uocat Mamertinus pennas Stymphalidum, quia hae pennis ſuis pro ſagittis uſae perhibentur. Olim hae uoces corruptae et in unam contractae legebantur, *uolucratilia.*

Iam

detraxit, etiam terrores inferum, abducto cuſtode, compeſcuit: exinde certe nihilominus, poſt adoptionem caelitum, Iuuentaeque connubium, per-

Iam tamen Cuſpinianus euulgarat ueriorem lectionem; quam demum Gruterus, et alii recentiores recepere. Et ante hos iam Liuineius ex ſuo uetere et Bertinienſi Codice in ora editionis ſuae annotarat, *uolucra tela*. Quam ſcripturam noſter quoque Codex refert. Opinamur quidem, *uolucria* et *uolucra* recte dici poſſe, quia caſus gignendi in numero multitudinis habet, *uolucrium* et *uolucrum*: praeterimus tamen, *uolucria*; ne *uolucra* in numero multitudinis confundatur cum nomine ſingulari, *uolucra*; per quam apud Columellam, de *arborib. cap.* 15, deſignatur inſectum, a quo teneri pampini et uuae praeroduntur. S.

III, 6. *abducto cuſtode,*) Quid notius Cerbero, cane tricipite, et ianitore ac cuſtode inferorum? quanquam Heſiodus Cerbero quinquaginta tribuat capita; Horatius, centum. Fabulam breuiter exponit Albricus philoſophus, *num.* XXII: *Hercules*, inquit, *ad inferos deſcendit, et Cerberum tricipitem ſibi ad oſtium inferni reſiſtentem, triplici uinctum catena, uidelicet ſingula faucibus intorta, ab oſtio abſtraxit, et Alceſtim ex inferno reduxit.* S.

III, 6. *poſt adoptionem coelitum,*) Apollodorus, *lib.* II, *cap.* VII, 7, narrat, Herculem, poſtquam is Oetam montem conſcenderit, et rogo a ſe conſtructo ignem ſubiici iuſſerit, a nube cum tonitru ſublata in coelum euectum eſſe; inde immortalitatem adeptum, et reuocatum in gratiam cum Iunone, Heben, illius filiam, duxiſſe uxorem. Diodorus Siculus, *lib.* IIII, *pag.* 170, adiicit, quod poſt euectionem ad deos, Iuno, Iouis ſuaſu, filium ſibi Herculem *adoptauerit*, et deinde Heben Herculi nuptum dederit. Cuius *adoptionis ritum* ibi ſimul exponit Diodorus; unde intelligimus, Mamertinum non fruſtra *adoptionem* Herculis inter coelites nominaſſe. S.

III, 6. *Iuuentaeque connubium,*) *Iuuenta*, ſiue *Iuuentas*, eſt illa ipſa *Hebe*, de qua modo dixi, et quae Herculi, poſt adoptionem coelitum, a Iunone in matrimonium data eſt, quam Iupiter praefecerat iuuentuti. Hinc Feſtus: *Iuuentutis ſacra pro iuuenibus ſunt inſtituta.* A Romanis ſub Latino *Iuuentutis*, ſiue

Iuuen-

perpetuus est uirtutis adsertor; omnibusque fortium uirorum laboribus fauet, et in omni certa-
7 mine conatus adiuuat iustiores. His quidem certe diebus, quibus immortalitatis origo celebratur, instigat, ut uidemus, illos sacris certaminibus accitos,

Iuuentatis, nomine culta fuit, aedemque in Circo maximo habuit, teste Liuio, *lib.* XXXVI, 36. Et, quod Pausanias narrat, olim *Ganymeda* audiuit haec dea, cum Ioui bibere ministraret. Hinc Cicero, *lib.* I *Quaest. Tuscul. cap.* 26; *Non ambrosia deos, aut nectare, aut Iuuentate pocula ministrante, laetari arbitror.* S.

III, 6. *omnibusque*) Exemplaria Puteolani, Rhenani, Nauii, H. Stephani et Liuineii, habent, *omniumque.* Ast nostram lectionem, praeter alias editiones, etiam asserunt Codices MSS. S.

III, 6. *fortium uirorum laboribus fauet,*) Hinc Pallas, cum Turno congressurus, Virg. Aen. 10, 461. *Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.* Liu. 21, 21. *Annibal — Gades profectus Herculi uota exsoluit: nouisque se obligat uotis, si cetera prospera euenissent.* Aesopus fab. 62. ψύλλα ποτὲ πηδήσασα ἐπὶ πόδα ἀνδρὸς ἐκάθισεν. ὁ δὲ τὸν Ἡρακλῆν ἐπὶ συμμαχίαν ἐκάλει. etc. Erat etiam praeses gladiatorum et athletarum. v. Lips. Sat. 2, 23. *Iaeg.*

III, 7. *diebus, quibus immortalitatis origo celebratur,*) h. e. quibus natalis celebratur Imperatorum diuinorum et immortalium. S.

III, 7. *sacris certaminibus accitos,*) In omnibus editis libris praemissa praepositio, *a*, legitur, *a sacris certaminibus.* Dudum coniecimus, istam praepositionem hic superuacuam esse; nescii, unde ea irrepserit; nisi quod suspicemur, primum fortasse scribi debuisse, *ad sacra certamina*; imprudentem autem librarium scripsisse, *a sacra certamina*; tandem alium paullo sagaciorem, ut uoces rectius cohaererent, reposuisse, *a sacris certaminibus*; quae tamen uarietas nondum satis mentem Mamertini exprimit. Vnde et Acidalius, atque Patarol, saltem hanc propositionem suspectam habuere; quam nunc penitus tollendam existimauimus; primo, quia et alter Gudii liber indicio est, eam afuisse ueteri codici; deinde quia, si uel maxime

citos, ut pertinaci animositate certandi multa faciant ipsius similia Victoris. Adeo, sacratissime 8 Impe-

maxime fingas, hic designari Graecorum certamina, a quibus Romam ad publicos ludos in natalibus Augustorum celebrandos acciti sint athletae, et alii artifices; minus tamen credibile est, solos Graecos tunc admotos fuisse iis Romanorum certaminibus; cum Italia ipsa huiusmodi robustorum uirorum ferax esset. Neque tamen solorum Graecorum ἀγῶνες dicebantur ἱεροὶ, i. e. *certamina sacra;* sed etiam Romanorum: apud quos scilicet, uti generatim cura ludorum publicorum pertinebat ad sacra; ita et huiusmodi certamina, maxime quae in honorem Augustorum instituebantur, audiebant *sacra.* Vnde et Eumenius, *pro restaur. scholis, cap.* XIII: *Fortissimi uiri,* inquit, *in sacris certaminibus summo labore, atque etiam uitae periculo, solam uocem praeconis, et coronae testimonium, petunt.* Hic adeo non Graecorum certamina sacra, a quibus Romam auocati sint, sed ipsorum Romanorum *certamina sacra,* sunt intelligenda, quae in honorem natalium utriusque Imperatoris, cursu, aut pugillatione, et luctatione, curriculoue equorum, celebrabantur, et quibus celebrandis acciebantur, h. e. adhibebantur, siue adsciscebantur, huiusmodi robusti fortesque homines. Neque enim illi solum *acciri* dicuntur, qui peregre per nuntios, aut literas, euocantur; sed etiam, qui, cum prope adsunt, alicui negotio admouentur, siue adsciscuntur. Sic apud Iustinum, *lib.* XXII, *cap.* V, Agathocles, *cum Syracusis concessisset,* (et cum iam ultro adesset,) dicitur *in ciuitatem inter incolas accitus.* S.

III, 7. *ipsius similia Victoris.)* Per *Victorem* hic designatur Hercules, qui κατ' ἐξοχὴν dictus *Victor;* quod nimirum *Hercules omne animalium genus uicerit,* ut tradit Varro, apud Macrobium, *lib.* III *Saturnal. cap.* 6. Sic et Virgilio appellatur, *lib.* VIII *Aen. u.* 363: *Haec limina Victor Alcides subiit.* Ad quem locum notat Seruius, Romae *Victoris Herculis aedes duas esse; unam ad portam Trigeminam, alteram ad forum boarium.* De quo tamen Seruii loco adire licet Salmasium, *Exercitat. Plin. pag.* 10. Sic etiam ipse Mamertinus, in priore panegyrico, *cap.* XIII, 4: *Roma,* inquit, *inuocat* STATOREM IOVEM,

Imperator, utraque ueſtra numina ſemper aliquid agunt, agendumue curant, ut iam nobis illa, quam pro uobis ſuſceperamus, cura ponenda ſit: cum non laborare uos, ſed parentes deos uideamus imitari: cumque praeterea ingenitum illum uobis diuinae mentis ardorem etiam earum, quae primae uos ſuſcepere, regionum alacritas excitarit.

VEM, HERCVLEM*que* VICTOREM: *Hoc enim quondam illi deo cognomen adſcripſit is, qui, cum piratas oneraria naue uiciſſet, ab ipſo audiuit Hercule per quietem, illius ope uictoriam contigiſſe.* Quam hiſtoriam refert Macrobius, *lib.* IIII *Saturn. cap.* 6. Sub his cognominibus etiam Traianus Ioui et Herculi uota ſoluit in antiqua inſcriptione:

IOVI STATORI HERCVLI VICTORI
M. VLP. TRAIANVS CAESAR
VICTO DECEBALO DOMITA
DACIA VOTVM SOLVIT.

Huc etiam pertinet nummus, ex Begeri *Theſauro Brandenburgico*, T. I *pag.* 781, in cuius parte aduerſa caput Imperatoris lauru cinctum, laeuaeque obuerſum, cernitur, cum epigraphe: MAXIMIANVS Pius Felix AVGuſtus. In parte auerſa Hercules, ſpoliis inſidens, dextra clauae innititur, ſiniſtra exuuias leonis tenet, cui adſtat pharetra ſagittis referta, item et arcus, cum inſcriptione: HERCVLI VICTORI. Quem nummum non quidem cum Begero referre uelimus ad tempus, quo Maximianus ſe abdicarit imperio, quia ſedens quieſcere uideatur: credimus tamen, ibi Maximianum, poſt tot hoſtes deuictos, peragratosque Romani orbis fines, quaſi Herculis ritu pauliſper reſpirantem repraeſentari. Ceterum, ſicut Hercules maxime a militibus athletisque colebatur; ita Mamertinus hoc loco ſignificare uoluit, homines ſacris certaminibus a Diocletiano et Maximiano accitos ita inſtigari ad uirtutem adiuuarique a numine Herculis, ut multa faciant edantque fortitudinis ſuae experimenta, quae ſint uirtuti ipſius Herculis Victoris ſimilia. S.

III, 8. *quae primae uos ſuſcepere,*) Hic Mamertinus Diocletianum Maximianumque a patria collaudare inſtituit. Fuit uero patria Diocletiani Dalmatia; Pannonia Maximiani. S.

rit. Non enim in otiosa aliqua deliciisque cor- 9
rupta parte terrarum nati institutique estis; sed in his prouinciis, quas ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiae, fracto licet opposito hosti, armis tamen semper instructus,

K miles

III, 9. *fracto licet oppositus hosti,)* Antehac in omnibus libris uulgatum fuit: *fractus oppositus hostis*; sed parum commode. Liuineius in uetere Codice pro, *fractus*, inuenerat, *fracto:* qua occasione in notis scripsit: *Sequor* fracto, *sed iuuem ultra, et omnino rescribam:* fracto licet opposito hoste, armis tamen semper instructus, limes exercet. Haec Liuineius: qui parum a scopo abiit; nisi quod participium, *oppositus*, etiam in casum auferendi mutandum minus prospere censuerit, et pro, *miles*, reponendum duxerit, *limes*. Nec placet emendatio ab Acidalio tentata: *fractis licet oppositis hostibus, armis tamen semper instructus miles exercet.* Nos arctius inhaerentes uestigiis uetusti Codicis Liuineii, lubentes admittimus, *fracto*, et, retento nominatiuo participii, *oppositus*, solum nomen, *hosti*, quam leniissime accommodamus alteri participio, *fracto*. Inde haec structura grammatica horum uerborum existit: *quas* (prouincias) *miles, oppositus licet hosti fracto, tamen semper instructis armis, exercet ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiae.* Vicinum hostem Pannoniae et Dalmatiae Mamertinus uocat *fractum*, quia Diocletianus et Maximianus eius uires nondum penitus contuderant atque dissiparant, fregerant tamen, i. e. debilitarant et comminuerant: nihilominus opponebant isti fracto hosti militem semper armis instructum, qui exerceret istas prouincias, siue potius earum incolas, ad consuetudinem infatigabilem laboris ac patientiae. *Frangere* autem *hostem*, non semper est, delere et concidere hostem; sed et saltem debilitare et infirmare. Cicero, *pro Rabirio Postumo, cap.* 10: *Quae uis summas frangit infirmatque opes.* Quin aliquando *frangere* minus esse uidetur, quam *uincere* hostem. Sic idem Cicero, *lib.* IV *ad famil. epist.* 7: *Victi sumus igitur; aut, si uinci dignitas non potest, fracti certe.* S.

miles exercet, in quibus omnis uita militia eſt, quarum etiam feminae ceterarum gentium uiris fortiores ſunt.

IV. Ex iſtis ergo cauſſis ſtirpis ueſtrae, patriorumque inſtitutorum, illa ueniunt, quae ſaepe

III, 9. *miles)* Huius uocis locum in multis libris, et adhuc in Gruteri et Cellarii editione, occupauit, *limes:* ſed quis non ſentit, aptius dici *miles armis inſtructus*, quam *limes*, incolas prouinciae exercere ad conſuetudinem laboris et patientiae? Reſtituimus ergo, *miles*, quod nomen iam publicarunt Puteolanus, Cuſpinianus, Rhenanus, Nauius, Stephanus, Liuineius. Sic uero et alibi iſta duo nomina a librariis permiſceri conſueuerunt, docente Cl. Drackenborchio, ad Sil. Italicum, *lib.* V. *u.* 1. S.

III, 9. *in quibus)* ſcilicet, *prouinciis.* Dalmatia nempe, ut iam diximus, et Pannonia: quarum prouinciarum nationes fuere bellicoſiſſimae. De Dalmatis ſcribit Florus, *lib.* IV, *cap.* XII: *Dalmatae plerumque ſub ſtluis agunt; inde in latrocinia promtiſſimi.* De Pannoniis ibidem: *Pannonii duobus ſaltibus ac tribus ſtuuiis, Drauo, Sauo, Iſtroque, uallabantur, populati prouincias, intra ripas ſe recipiebant.* Iam Auguſtus, referente Suetonio, in eius uita, *cap.* XXI, *domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis, Pannoniam et Dalmatiam, cum Illyrico omni.* Ad ea, quae de fortitudine, ſeu potius feritate, mulierum utriusque gentis, memorat Mamertinus, forte et haec referri poſſunt, quae, loco citato, tradit Florus. *Quae fuerit*, inquit, *illarum gentium feritas, facile uel mulieres oſtendere; quae, deficientibus telis, infantes ipſos afflictos humo in ora militum aduerſa miſerunt.* S.

IV, 1. *patriorumque inſtitutorum,)* Equidem *patria inſtituta* duplici ratione dici poſſe uidentur, et a *patre*, ſiue parentibus, et a *patria.* Priore notione dicitur Ciceroni, *pro Roſcio Amer. cap.* 16: *Res patria et aucta;* poſteriore, eidem, *Paradox.* IV: *Cum mos patrius occiderat:* ubi Nepos, XVII, 4, dixit: *patriae inſtitutis parere.* Hic tamen poſteriorem notionem magis locum habere poſſe credimus, quia Orator cauſſas rerum ab utroque Imperatore fortiter geſtarum diſtincte refert, primo ad *ſtirpem*, ſtirpisque auctores, Iouem et Herculem; deinde ad mores *patriae* bellicoſae. S.

IV, 1. *ueniunt,)* i. e. accidunt, eueniunt, oriuntur.

In

ſaepe miramur, interdum etiam pro amoris impatientia timebamus: quod diutius in iiſdem manere ueſtigiis dedignamini; quod uos continuo rerum curſu gerendarum non modo amoenitas

K 2 loco-

In noſtro quidem Codice, et in priore libro Gudiano, ſcriptum eſt, *eueniunt*. Et ſic etiam alibi iſta uerba confunduntur; u. g. apud Salluſtium, *Iugurth. cap.* 103: *Bocchus, reputando, quae ſibi duobus praeliis uenerant;* ubi alii pro *uenerant*, exhibent, *euenerant*; et apud Celſum, *lib.* VII, *cap.* 27: *Solet uero ſub eiusmodi uictu uenire, ut aluus non reddatur;* ubi non nulli pro, *uenire*, habent, *euenire*. Hoc autem loco, etſi *euenire* ſatis commodum haberet locum; non tamen neceſſe eſt, ut uulgatam lectionem mutemus; cum τὸ *uenire* etiam alibi ponatur pro *euenire*. Sic Plautus, *Pſeud. Act.* II, *ſcen.* I: *Prob Iuppiter! ut mihi, quidquid ago, lepide omnia proſpereque ueniunt!* Tacitus, *lib.* XII, *Annal. cap.* 32: *Id quo promtius ueniret.* i. e. eueniret. etc. S.

IV, 1. *timebamus;*) Acidalius pro *timebamus* geſtiit legere, *timemus;* ut haec uerba, *miramur*, et *timemus*, tempore conueniant: ſed nos exiſtimamus, Mamertinum ſignificanter dixiſſe, *timebamus;* ut ſcilicet ſignificaret, ſe olim quidem timidos ſolicitosque fuiſſe pro expeditionibus Imperatorum ſuorum; nunc autem, quod ab initio *cap.* III. dixit, *reddidiſſe rationem*, ſiue modum ſtatuiſſe, *ſolicitudini ſuae*, et *iam illam, quam pro Imperatoribus ſuſceperant, curam poſuiſſe.* S.

IV, 1. *non modo*) Res ipſa poſtulare uidebatur, ut ſic ſcriberetur: *non modo non;* ſed altera particula negans, *non*, in nullis panegyrici huius exemplaribus, quotquot nobis innotuerunt, apparet: a cuiusmodi ἐλλείψει nec optimi quidem linguae Latinae auctores alieni ſunt; immo, quod Guil. Budaeus, in *comment. linguae Graecae* docet, etiam apud Graecos identidem οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, aliquando ualent, *non modo non*. Qua de re egimus, in *notis* ad panegyricum Plinii, *cap.* XVII, 3, *pag.* 39. Maxime uero, quod Perizonius ad Sanctii Mineruam, *pag.* 793, monet, haec ἐλλείψις τοῦ *non* locum habet, ſi mox in membro proxi-

mo

locorum, aut nobilitas urbium, ſed ne ipſa quidem uictoriarum ueſtrarum laetitia, remoratur.
2 Illum modo Syria uiderat; iam Pannonia ſuſceperat. Tu modo Galliae opida illuſtraueras; iam ſum-

ximo ſequatur, *ſed ne quidem.* Libet nunc unicum huius generis exemplum ex Cicerone afferre. *Lib.* I *ad fam. epiſt.* VIIII. 23: *Ego*, inquit, *non modo praemiis, quae apud me minimum ualent; ſed ne periculis quidem compulſus aliis, quibus tamen etiam mouentur fortiſſimi uiri, ad eorum cauſſam me adiungerem.* S.

IV, 1. *uictoriarum ueſtrarum*) Vulgari errore pro, *ueſtrarum*, in quibusdam antiquioribus libris expreſſum eſt, *noſtrarum.* S.

IV, 2. *Illum modo Syria uiderat;*) Intellige, Diocletianum. Iam ad primum Mamertini panegyricum, *pag.* 26, annotaui, Diocletianum anno Chriſti CCLXXXVII rem aduerſus Perſas feliciter geſſiſſe, dum Narſeo, Perſarum Regi, bellum e proximo oſtentans, tantum incuſſit terrorem, ut hic non tantum aduentanti Imperatori ultro ceſſerit Syria; ſed etiam pacem ſupplex per legationem rogauerit. Ipſe Mamertinus, in priore illo panegyrico, *cap.* 7: *Credo itidem, optimam illam fertilemque Syriam uelut amplexu ſuo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano ſponte ſe dederant regna Perſarum.* Tunc uero Diocletianus, poſt illam uictoriam, ex oriente reuerſus tranſiit in Pannoniam, ut hinc ad uindicandam Raetiam progrederetur; et illuc ex Germania ſe contulerat Maximianus, ut inuicem colloquerentur, ac de rebus imperii deliberarent. Vnde Mamertinus, in priore panegyrico, *cap.* VIIII: *ex diuerſa*, inquit, *orbis parte coeuntes, inuictas dexteras contuliſtis; adeo fidum fraternumque fuit eloquium*, ſiue colloquium. — *ille tibi oſtendendo dona Perſica; tu illi ſpolia Germanica.* Malumus enim haec de Pannonico, quam de Mediolanenſi colloquio, (de quo Mamertinus in *Genethl. cap.* XI, agit,) explicare; cum hoc demum poſtea, alio tempore, habitum ſit. S.

IV, 2. *iam Pannonia ſuſceperat.*) Liuineius coniecit, pro *ſuſceperat*, forte legendum, *ſuſcipiebat*; et certe ſic uerbum imperfecti temporis conuenire uideretur cum ſequenti uerbo, *praeteribas.* Sed huic coniecturae nullus liber addicit, neque neceſſitas aliqua mutationi adſtipulatur. S.

IV, 2. *Galliae opida illuſtraueras;*) Maximianus, cum

summas arces Monoeci Herculis praeteribas. Ambo, cum ad orientem occidentemque occupati putaremini, repente in medio Italiae gremio

cum primum Caesar, deinde Augustus, a Diocletiano adscitus esset, sedem habuit Treuiris, in primaria Galliae Rhenanae Vrbe, ubi fortiter defendit illam prouinciam aduersus rusticanorum factionem, et aduersus Burgundiones atque Alemannos, item et Chaibonas et Erulos, irruentes in Galliam; de quibus rebus gestis Mamertinus iam egit in priore panegyrico. Verbum, *illustraueras*, Liuineius simpliciter interpretatus est per *inuiseras*; itemque hunc secutus Cellarius: sed istud uerbum, si de praesentia magnorum Principum Heroumque usurpatur, utique amplius aliquid innuere uidetur, ita, ut haec uerba sic explicare uelimus: Tu modo opida Galliae praesentia tua rebusque gestis illustriora reddideras. Cicero, *pro Marcello*, *cap.* II: *Terrae tuis, non dicam, cursibus, sed uictoriis illustratae sunt*; nisi ibi cum Graeuio legere malis, *lustratae sunt*. Sic et Eumenius, *in gratiarum actione*, *cap.* VII: *tamen illo deflectere, et urbem illam sola opis tuae exspectatione iuuentem illustrare dignatus es*. Eodem modo exponi possunt uerba Mamertini, *prior. paneg. cap.* XIIII, 4: *Has prouincias tuas frequenter illustres.* S.

IV, 2. *arces Monoeci Herculis*) Portus nobilis *Liguriae, cui, et arci imminenti, Monoeci Herculis nomen est.* Virgilius, *Aen.* VI, u. 831: *Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci descendens.* Cellarius. *Nunc* Monaco, *quod opidum cum arce et portu in Liguriae finibus, Nicaeam uersus, quae modo Nizza.* Patarol. Seruius, ad citatum Virgilii locum, ostendit, unde *Hercules* sit cognominatus *Monoecus. Dictus*, inquit, μόνοικος (a μόνος, solus, et οἰκῶν, habitans,) *uel quod, pulsis omnibus, illic solus habitauit; uel quod in eius templo nunquam aliquis deorum simul colitur: sicut in Iouis, Minerua et Iuno; in Veneris, Cupido.* S.

IV, 2. *praeteribas.*) Codex noster habet, *perterrebas*; sed minus apte: cum Maximianus istas arces Italicas et quietas praesentia sua magis exhilaraturus, quam perterriturus, fuisset. S.

IV, 2. *occupati*). Non solum in nostro, sed et in Liuineii uetere, et Bertinienſi, Codicibus, scriptum est, *occupa-*

3 apparuiſtis. Hos fructus capitis operum maximorum. Sic interim meritorum conſcientia triumphatis, dum triumphos ipſos ſemper uincendo differtis; quod, quaecunque pulcherrima facitis, continuo tranſitis, et ad maiora properatis: ut, dum ueſtigia ueſtra miramur, dumque uos adhuc eſſe in conſpectu putamus, iam de
4 uobis audiamus longinqua miracula. Ita omnes prouinciae ueſtrae, quas diuina celeritate peragratis, ubi ſitis, uiciſſim neſciunt; ſciunt tamen, uos ubique uiciſſe.

V. Sed de rebus bellicis uictoriisque ueſtris, ſacratiſſime Imperator, et multi ſumma eloquentia praediti ſaepe dixerunt, et ego pridem, cum mihi auditionis tuae diuina dignatio eam
2 copiam tribuit, quantum potui, praedicaui. Hodie uero, ſi de duabus rebus, quas ad hoc tempus aptiſſimas, niſi fallor, elegi, dicere mihi, ueſtra fauente maieſtate, contigerit; de ceteris ueniam
3 ſilentii petam. Non commemoro igitur, uirtute ueſtra

cupari. Vtramlibet eligas lectionem, parui refert. S.

IV, 3. *meritorum conſcientia*) Haec lectio iam in aliquot libris excuſis prodita eſt, et nunc Codicum MSS. auctoritate ſtabilitur, cum antiquiores editiones inquinate haberent, *meritoria conſcientia*. S.

IV, 3. *triumphos ipſos — differtis*;) Exemplum commemoraui ad priorem Mamertini panegyricum, quod Diocletianus et Maximianus triumphum diſtulerint, ſibi A. C. 287 a ſenatu Romano decretum, et nummo cuſo memoriae proditum. S.

V, 1. *et ego pridem, — praedicaui.*) Nempe in priore panegyrico, ubi hic Mamertinus natalem Vrbis Romae, praeſente Maximiano, celebrauit, ſimulque utriusque Imperatoris res eousque bello geſtas collaudauit. S.

V, 2. *aptiſſimas*,) Priores editores minus apte exhibuerunt, *optatiſſimas*. S.

ueſtra rempublicam ſaeuiſſimo dominatu liberatam. Non dico, exacerbatas ſaeculi prioris iniu-

 riis,

V, 3. *rempublicam ſaeuiſſimo dominatu liberatam.*) Cellarius hoc refert ad Apri et Carini tyrannidem. Et ſane Aper Cari Imperatoris praefectus fuit, ut Vopiſcus narrat. Deinde elatior factus a Numeriani caede conſilium inuadendi Imperii cepit; ſed eam caedem uindicauit Diocletianus, poſtea Auguſtus. Magis uero Carinus, Cari filius natu maior, homo omnium contaminatiſſimus, omnia tyrannorum facinora exercuit. Referente enim Eutropio, *lib.* VIIII, *cap.* 19, et 20, *omnibus ſe ſceleribus inquinauit; plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit. — Hunc Carinum, omnium odio et deteſtatione uiuentem, Diocletianus apud Margum ingenti praelio uicit.* etc. S.

V, 3. *exacerbatas ſaeculi prioris iniuriis — prouincias.*) Sic et Liuius, *lib.* XXVIIII, *cap.* 29: *Multitudo exacerbata ſuperbia atque auaritia Poenorum ad Romanos inclinauit.* Sicuti autem ſaeuitia imperii atque indignitate exaſperantur animi ciuium; ita clementia et moderatione continentur in officio, aut facilius ad obſequium reducuntur. *Quae enim natura ſunt aſpera,* ut ille ait, *molli manu et leui leniuntur.* Vix autem dubitamus, quin Mamertinus hoc loco reſpiciat ruſticanam *Bagaudarum* factionem, qui magiſtratuum Romanorum iniquitate exaſperati rebellarant; at leuibus proeliis et quadam moderatione a Maximiano uicti redierant ad obſequium. Eutropius, *lib.* VIIII, *cap.* 20: *Cum tumultum,* inquit, *ruſticani in Gallia concitaſſent, et factioni ſuae Bagaudarum nomen imponerent; — ad ſubigendos eos* Diocletianus *Maximianum Herculium miſit; qui leuibus proeliis agreſtes domuit, et pacem Galliae reformauit.* Conf. Mamertinus, in priore panegyrico, *cap.* IV, 3. Cauſam exacerbatorum *Bagaudarum* indicat Saluianus, *lib.* VI *de gubernatione Dei, pag.* 91: *De Bagaudis nunc mihi ſermo; qui per malos iudices et cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquam ius Romanae libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. — Vocamus rebelles, quos, eſſe compulimus criminoſos. Quibus enim aliis rebus Bagaudae facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris, niſi improbitatibus iudicum, niſi eorum proſcriptionibus et rapinis, qui exactionis publicae nomen in quaeſtus proprii emolumentum uerterunt,*

et

riis, per clementiam ueſtram, ad obſequium rediiſſe prouincias. Mitto etiam dies feſtos, uictoriis triumphisque celebratos. Taceo tropaea Ger-
4 manica, in media defixa barbaria. Tranſeo limitem

et indictiones tributarias praedas ſuas eſſe fecerunt? etc. De nomine *bagaudarum* non nihil attuli ad paneg. I. Mamert. c. 4, 3. S.

V, 3. *dies feſtos,*) Sic Maximianus Treuiris, Kalendis Ianuariis, A. C. 287, auſpicalem primi conſulatus ſui diem uictoria triumphoque celebrauit, commemorante Mamertino, in *priore panegyrico*, *cap.* VI; ubi is, eodem die, *ex acie cum triumpho rediiſſe*, et *totam iſtam ciuitatem laetitia, et exſultatione, et aris flagrantibus, et ſacrificiis, et odoribus accenſis, impleuiſſe* dicitur. Sic eodem panegyrico Mamertinus, XXI Aprilis, A. C. 298, praeſente Maximiano, natalem Vrbis Romae Treuiris celebrauit. S.

V, 3. *tropaea Germanica,*) Scholiaſtes ad Ariſtophanis *Plutum*, II, IV, 39, docet, *tropaeum* eſſe, quod in uictoriis fecerint ueteres, muſum, uel lapidem magnum, adde truncum arboris, aut columnam aeneam, ponentes, et in illo ſcribentes res aduerſus hoſtes geſtas: uocari tale monimentum *Tropaeum* a τροπῇ, quia hoſtium fuga illic facta. Huiusmodi uero columnae, uel trunco, loricae, galeae, ſcuta, et alia ab hoſtibus capta ſpolia, imponi ſolita. Rei contra Germanos a Maximiano geſtae meminit Mamertinus, *Paneg.* I, *cap.* VII, 2: *Quod maius euenire potuit illa tua in Germaniam transgreſſione?* Et *cap.* IX, 2, idem Maximiano tribuit *ſpolia Germanica.* Poſſidemus nummum aereum, in quo Maximianus ob iſtas uictorias promeruit *Germanici* cognomen; quem nummum non commemorauit Mediobarbus. In aduerſa parte conſpicitur caput laureatum, cum inſcriptione: MAXIMIANVS PIVS AVGuſtus GERManicus. In auerſa parte ſtat figura, quae et dextra et ſiniſtra manu tenet ſigna militaria, cum epigraphe: FIDES MILITVM. Huius nummi figuram alio tempore exhibebimus. Additae ſunt hae literae: T. C. forte, Treuiris Cuſum. S.

V, 4. *Tranſeo limitem Raetiae*, etc.) Limitem *Raetiae* prolatum fuiſſe a Diocletiano, *ad paneg.* I Mamert. *cap.* IX, 1, commonſtraui: quamuis tanta eſſet iſtorum duorum Imperatorum concordia,

tem Raetiae, repentina hostium clade promotum. Omitto Sarmatiae uastationem, oppressumque captiuitatis uinculis Saracenum: etiam illa,

 quae

cordia, ut omnes rerum a se gestarum laudes communes inuicem esse uellent. Ceterum, uulgo quidem *Raetia* et *Rhaetia* promiscue scribi solet; malimus tamen nunc priorem scribendi rationem sequi, quam et Cellarius comprobauit, in *Orthogr. p.* 49. S.

V, 4. *Sarmatiae uastationem,*) Laurea etiam Sarmatica Diocletiano, qui Sarmatas ad Danubium obtriuit, adscribitur infra, *cap.* VII, 1. *Sarmatiae* duae sunt: quarum, quae occasum spectat, Europaea, complectebatur Russiam hodie dictam cum Poloniae regni parte, et Liuonia, ac Lithuania; quae ortum respicit, *Asiatica* cognominata, Tartaros, Circassos, et Morduitas, comprehendit. Si dixeris: quid uero sibi uult nummus in Begeri *Thes. Brandenb.* T. III, *pag.* 781 memoratus? In huius anteriore parte cernimus caput laureatum Maximiani, adscriptis his uerbis: MAXIMIANVS AVGustus. In parte posteriore quatuor figurae militares, eaeque sacrificantes, et quarum duae dextras iungunt, adstant arae accensae ante ostium castrorum praetorianorum, quia uel uota diis pro uictoria persoluerunt, uel post uictoriam foedus cum hoste percusserunt. Legitur ibi haec inscriptio: VICTORIA SARMATica. Nonne igitur, dices, laurea Sarmatica, secundum hunc nummum, magis ad Maximianum, quam ad Diocletianum, referenda? Sed respondemus, nihilominus eam ipsam uictoriam, propter insignem, de qua diximus, illorum concordiam, in nummis ad utrumque Imperatorem relatam esse. Confer infra *cap.* VII *huius panegyrici.* Ita uero etiam apud Mediobarbum, *pag.* 426, uidemus annotatos Diocletiani nummos, in quibus pariter, ac in nummo Maximiani, VICTORIA SARMATICA designatur. Eutropius, *lib.* IX, *cap.* 15, generatim de Diocletiano et Maximiano, et Caesaribus istorum temporum: *Varia deinceps et simul, et uiritim, bella gesserunt, Carpis et Basternis subactis, Sarmatis uictis: quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locarunt.* S.

V, 4. *Saracenum:*) *Saraceni,* Arabum gens uaga et inculta; cuius gentis mores late describit Ammianus Marcellinus, *lib.* XIV, *cap.* 4. Nihil alibi in historia Diocletia-

ni.

quae armorum ueſtrorum terrore facta ſunt, uelut armis geſta. Praetereo Francos ad petendam pacem cum Rege uenientes, Parthumque uobis munerum miraculis blandientem. Nouam mihi propono dicendi legem, ut, cum omnia uidear ſilere, quae ſumma ſunt; oſtendam tamen, inеſſe laudibus ueſtris alia maiora.

VI. Quae igitur illa ſunt? PIETAS, ſacratiſſime Imperator, atque FELICITAS. Nam primum omnium, quanta eſt ueſtra erga deos pietas?

ni et Maximiani de his Saracenis legere meminimus. S.

V, 4, *armorum ueſtrorum terrore facta)* His Mamertinus reſpicit ea, quae iam *paneg.* I, *cap.* VII, 5, dixerat. Nulla autem pulchrior atque felicior eſt uictoria, quam incruenta; ubi hoſtes ſine pugna et ſanguine, uel ſolo armorum terrore, uel auctoritate Imperatoris, inducti, ſponte ſe dedunt. Sic Scipionem belli terrore plurima peregiſſe, narrat Liuius, *lib.* XXIX. Sic Plinius *Paneg. cap.* XIV, 1, laudem hanc tribuit Traiano, cum dicit, eum *Germanici nomen iam tum meruiſſe, cum ferociam ſuperbiamque barbarorum, ex proximo auditus, magno terrore cohibuerit, Rhenumque et Euphratem admiratione famae ſuae coniunxerit.* Idem Plinius, *lib.* II, *epiſt.* 7: *Spurinna*, inquit, *Bructerum Regem ui et armis induxit in regnum, oſtentatoque bello, ferociſſimam gentem, quod eſt pulcherrimum uictoriae genus, terrore perdomuit.* S.

V, 4. *Francos ad petendam pacem cum Rege uenientes, Parthumque* etc.) De his iam locutus eſt Mamertinus, *paneg.* I, *cap.* X, 3, ſeqq. Meminit ibidem etiam munerum, ſed a Perſarum Rege acceptorum; prout et *cap.* IX, n. 2, *Perſica dona* uocat. Tunc uero Perſiae et Parthiae regna erant coniuncta. *Franci* erant Germani, qui tunc non ſolum Galliam, ſed etiam cum Saxonibus mare, infeſtabant, teſte Eutropio, *lib.* IX, *cap.* 13; et *lib.* X, *cap.* 3. S.

VI, 1. *quanta eſt)* Verbum ſubſtantiuum, *eſt*, quod in quibusdam libris excuſis omiſſum fuit, reſtituimus ex Codice noſtro, et libris Gudianis,

tas? quos aris, ſimulacris, templis, donariis, ueſtris denique nominibus adſcriptis, adiunctis imaginibus, ornaſtis, ſanctioresque feciſtis exem-

dianis; cum ſatis commodam hic ſedem habeat, et iam a Cuſpiniano fuerit expreſſum. S.

VI, 1. *donariis,*) *Donaria*, quae tum ex uoti publici, aut priuati, obligatione, tum ex liberalitate, diis offerebantur, erant uaria. Solenne autem praecipue fuit, ſi quando ingens periculum, aut laborem grauiorem, praeuiderent, uota diis ſuis praeſidibus nuncupare, quae poſtea periculo, aut labore, defuncti, ſoluere dicebantur. Potiſſimum tamen *donaria* audiebant, quae uel uſibus ſacris conuenirent, uel ornamento et honori deorum in templis, aut alibi, locarentur; ſiue paterae eſſent, ſiue uaſa ſummorum artificum, clypei, ueſtes, coronae ex auro et gemmis, tabulae uotiuae, aut alia huius generis. Quod argumentum egregie illuſtrauit Iac. Philippus Thomaſinus, *libro de donariis et tabellis uotiuis.* S.

VI, 1. *ueſtris denique nominibus adſcriptis,*) Diſputant, an et quomodo hi Imperatores *nomina ſua adſcripſerint?* Cellario tradente, non templis, nec deorum ſimulacris, ſed donariis ſuis, Imperatores nomina adſcripſerunt ſua. Sed quidni etiam templis et ſimulacris deorum, more aliorum Imperatorum, ſi qua ex uoto condidere? Quidam, notante Grutero, arbitrati ſunt, ipſos Imperatores appoſuiſſe diis nomen Auguſti, uti adhuc obſeruamus monimenta *Ioui Auguſto, Marti Auguſto, Iunoni Auguſtae, Mineruae Auguſtae*, atque aliis, inſcripta. Ea enim apud ueteres paganos adulationum fatuitas inualuerat, ut putarint, deorum ſuorum honores augeri et quaſi conſecrari, adiectione cognominis *Auguſti.* Iacobus de la Baune exiſtimat, Imperatores hos *Iouii* et *Herculii* nomen ſuis donis adſcripſiſſe, ad maiorem deorum uenerationem. Rectius Gruterus cenſuit, eos non niſi ſimpliciter ſua nomina, Diocletiani et Maximiani, adſcripſiſſe. Et teſtatur id, praeter alia, monimentum, quod Aquileiae aſſeruatur, et cuius hanc breuem inſcriptionem affert Muratorius, in *Nouo Theſauro Inſcriptionum ueterum*, T. I, *pag.* XXV, 2:

DEO SOLI
DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS
INVICTI AVGG.

S.

2 exemplo ueſtrae uenerationis. Nunc enim uere homines intelligunt, quaenam poteſtas deorum,
3 cum tam impenſe colantur a uobis. Deinde, id quod maxime deorum immortalium cum religione coniunctum eſt, quanta uosmet inuicem pietate colitis! Quae ulla umquam uidere ſaecula talem in ſumma poteſtate concordiam? Qui germani geminiue fratres indiuiſo patrimonio tam aequa-

VI, 2. *quaenam poteſtas deorum,)* Nondum ſatis ſanus eſt hic locus. Primae editiones, et adhuc anno 1642, Pariſienſis, pro, *quaenam*, prodidere, *ac;* quam lectionem etiam noſter exhibet Codex. Senſerat uero iam Rhenanus, hic latere ulcus; unde ad oram libri ſui ſcripſerat: *Forſitan legendum*, quaenam poteſtas, *uel* quaenam magnitudo, *ſeu* ſublimitas, *ac* poteſtas. Quam annotationem etiam H. Stephanus ad marginem ſui libri tranſtulit. Vtcunque eſt, per particulam, *ac*, lacuna quaedam indicatur; quam ſine ope Codicum certo redintegrare non poſſumus. Expleuit interim eam ex illa ipſa Rhenani, uel Langii, coniectura, Iacobus de la Baune, dimiſſa particula, *ac*, et ex aduerſo adſcita uoce, *quaenam;* quam etiam Cellarius et Patarol adſciuere, et nos in praeſenti etiam admittimus, cum ſententiam Mamertini ſic ſatis ſuſtineat. S.

VI, 3. *Qui germani geminiue fratres)* Germani fratres, quaſi eodem germine nati; proprie qui ex eodem patre et matre ſunt procreati; quamquam etiam uterini, et ex ſolo patre geniti, aliquando ſic dicantur. *Gemini* autem, ſiue *gemelli*, duo fratres uno partu editi. Neque tamen iſti germani, ac ne quidem gemini, tam concorditer ſemper uiuunt, quin a ſe inuicem diſſentiant, aut in ipſam hoſtilitatem erumpant; quod uel Romuli et Remi, fratrum geminorum, exemplo conſtat. At Diocletianus et Maximianus, quamuis non natura, ſed ſaltem dignitate, fratres, omnium concordiſſime inter ſe uixiſſe dicuntur. De tali concordia fratrum etiam Gruterus ex Iuſtino notauit exemplum, Artemenis et Xerxis, *lib.* II, *cap.* 10: *Tanto moderatius tum fratres inter ſe regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.* Ceterum, Quinctilianus, *inſtit. orat. lib.* IX, *cap.*

aequabiliter utuntur, quam uos orbe Romano? Ex quo profecto manifeſtum eſt, ceterorum hominum animas eſſe humiles et caducas; ueſtras uero caeleſtes et ſempiternas. Obtrectant ſibi inuicem artifices operum ſordidorum: eſt inter aliquos

cap. 4, tradidit, *quaedam ordine permutato fieri ſuperuacua, ut fratres gemini: nam, ſi praeceſſerint, gemini; fratres addere, non eſſe neceſſe.* Sed haec obſeruatio non eſt perpetua; neque enim ſolum Mamertinus, ſed et Plautus, Cicero, et Liuius, eius nullam habuere rationem: quod commentatores iam pluribus exemplis ad citatum Quinctiliani locum obſeruarunt. S.

VI, 3. *aequabiliter)* Puteolanus, Rhenanus, Nauius, Stephani, Liuineius, edidere, *aequaliter;* Cuſpinianus, et recentiores, habent, *aequabiliter;* quibus accedit etiam Codex noſter, et uterque liber Gudianus. Vtroque aduerbio, fere ſub eadem notione, identidem utitur Cicero. u. g. *pro Flacco, cap.* 36: *Communem hereditatem, quae aequaliter ad utrumque lege uenisſet, conceſſit adoleſcenti, propinquo ſuo.* Idem, *lib.* II *de offic. cap.* 11: *Ille autem, qui archipirata dicitur, niſi aequabiliter praedam diſpertiat, aut interficitur a ſuis, aut relinquitur.* Magis tamen nunc nobis placet *aequabiliter;* quod hoc loco notat, *pari aequanimitate, aequo animo;* unde et ipſe Mamertinus mox, § 6, dicit: *Vobis — tam facili aequanimitate ſunt communia.* Talis aequus animus non ſemper aequalitatem arithmeticam, ſed magis geometricam, reſpicit. Hinc Plinius, *lib.* VIII, *epiſt.* 2: *Erat expeditum, omnibus remittere aequaliter; ſed non ſatis aequum.* Ita etiam *aequabilis praedae partitio,* cuius meminit Cicero, *lib.* II *de offic. cap.* 11, non ſemper reſpicit *aequales* partes; ſed et pro proportione laborum et periculorum *aequas,* ſiue *aequabiliter* diuiſas. S.

VI, 5. *Obtrectant ſibi inuicem)* i. e. aemuli ſunt, et inuident detrahuntque ſibi inuicem. Suetonius, in *Tiberio, cap.* 52: Tiberius *Germanico usque adeo obtrectauit, ut et praeclara facta eius pro ſuperuacuis eleuarit.* Nepos III, I, 1: Ariſtides et Themiſtocles *obtrectarunt inter ſe.* Tacitus, *de cauſſis corruptae eloquentiae, cap.* XV, 8, uerbum hoc cum caſu accuſandi coniunxit: *Qui inuicem ſe obtrectauerunt; et ſuperſunt aliqua epiſtolis eorum inſerta.*

aliquos etiam canorae uocis inuidia; nihil denique tam uile, tamque uulgare, cuius participes malignis aemulationis ſtimulis uacent: ueſter uero immortalis animus omnibus opibus, omnique
6 fortuna, atque ipſo eſt maior imperio. Vobis Rhenus, et Iſter, et Nilus, et cum gemino Tigris

inſerta, ex quibus mutua malignitas detegitur; non eſt cratorum uitium, ſed hominum. Mamertinum autem ſequentes Heſiodi uerſus prae oculis habuiſſe, iam alii notarunt:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

h. e. interprete Nic. Valla:

Inuidet aut figulus figulo, uel egenus egeno;
Siue faber fabro, dulcisque poeta poetae. S.

VI, 5. *aemulationis ſtimulis*) In Puteolani, Rhenani, Nauii, et H. Stephani, libris, pro *ſtimulis* perperam expreſſum eſt, *ſtipulis*. Melius Cuſpinianus, Liuineius, et recentiores, prodidere, *ſtimulis*; quae lectio etiam Codicis noſtri et utriusque libri Gudiani auctoritate comprobatur. *Stimuli* autem proprie dicebantur aculei, et fuſtes cuſpidati; quibus boues et equi incitarentur; cuiusmodi aculeorum figuram exhibet Philippus Rubenius, *Elector. lib.* I, *cap.* 30. Deinde *ſtimuli* per translationem dicuntur quaeuis incitamenta et irritamenta. Silius Ital. *lib.* VII, *u.* 512: *Patrum Saturnia mentes Inuidiae ſtimulo fodit, et popularibus auris.* S.

VI, 5. *omnibus opibus,*) Quidam libri habent, *omnibus operibus;* non prorſus inconcinne: ſed melior, et cum ſequentibus uerbis, *fortuna, imperio*, conuenientior, iſta, quam propoſuimus, lectio nobis uiſa eſt; cum hanc dudum Puteolanus, Cuſpinianus, Nauius, Liuineius, H. Stephanus, et Gruterus, euulgarint, et noſter nunc quoque confirmet Codex. S.

VI, 6. *cum gemino Tigris Euphrate,*) Tigris et Euphrates ſunt duo fluuii maiores Armeniae maioris, qui in ſinum Perſicum exeunt. *Geminum*, putat Patarol, a Mamertino uocari *Euphratem*, quod cum Tigri ſe commiſceat, prope

gris Euphrate, et uterque, qua Solem accipit et reddit, oceanus, et quidquid eſt inter iſta terrarum et litorum, tam facili ſunt aequani-

prope Cteſiphontem; inde cum eodem in Perſicum ſinum elabatur: ſeu quod ex duobus fluuiis concurrentibus coaleſcat. Cellarius ad explicandum hunc Mamertini locum iſta Plinii maioris uerba, ex *lib. V, cap.* 24, affert: *Scinditur Euphrates a Zeugmate octoginta tribus millibus paſſuum circa uicum Maſſicen; et parte laeua in Meſopotamiam uadit per ipſam Seleuciam, circa eam praefluenti infuſus Tigri; dexteriore autem alueo Babylonem, quondam Chaldaeae caput, petit, mediamque permeans, diſtrahitur in paludes.* Plura de his fluuiis tradit *lib. III Geogr. antiq. cap. XI.* S.

VI, 6. *uterque, qua Solem accipit et reddit, oceanus,*) Scilicet, qua Oceanus accipit ſolem, eſt occiduus; qua reddit, eſt Eous Oceanus. Hic locus diu cubuit in morbo; cum pro duabus uocibus, *qua ſolem*, ubique legeretur, *qualem.* Cui uitio medelam afferre Liuineius eſt conatus, ſed ita, ut nimis audacter plures ſimul uoces mutarit. Effinxit enim inde: *quam late cedit et redit Oceanus.* i. e. aeſtuat, παραφρασικῶς. Propius rem acu tetigit Gruterus, qui ſola uoce, *qualem*, rurſus in duas diducta, procudit, *qua lucem*; quamuis hanc emendationem nondum receperit in contextum; recepit adeo primus Cellarius, et hunc ſecutus eſt Patarol. Sic luculenta hinc euadit ſententia. Nobis tamen uiſum eſt, eadem manente ſententia, probabilius ex calamo Mamertini fluxiſſe, *ſolem*, quam *lucem*: cum prior ſyllaba uocis, *ſolem*, forte in uetuſtis membranis obſoleta non ſatis agnoſci potuerit a librario; aut cum ex uoce diuiſa prior ſyllaba, *ſo*, in fine uerſus antecedentis relicta, ab eodem oculis praeterita fuerit; unde ex *qua* et *lem*, natum eſt illud, *qualem.* Sic uero Mamertinus deſcripſit orientem et occidentem, ut fere idem dixerit, quod Eumenius, in *paneg. ad Conſtantium Caeſarem, cap. IIII: Saluti gentium — prouidetis, qua dies oritur, et praeteritur, et conditur.* Licet enim totus terrarum orbis mari circumfundatur; ueteres tamen Oceanum potiſſimum diuiſerunt in *orientalem*, ſiue *Eoum*; et *occiduum*, ſiue *Atlanticum*; uti Eumenio l. c. dicitur *orbis duplici diſcretus Oceano.* Quid autem frequentius occurrit

apud

quanimitate communia, quantum ſibi gaudent
7 eſſe communem oculi diem. Ita duplices uobis diuinae potentiae fructus pietas ueſtra largitur, et ſuo uterque fruitur, et conſortis imperio.

VII. Laurea illa, deuictis accolentibus Syriam

apud poetas, quam ſolem, ſi occidat, dici, *immergi mari, deſcendere in undas, tingi oceano;* at, ſin oriatur, dici *reuocare equos e gurgite uaſto, ſe tollere ab undis*, et quae ſunt longe plures huius generis formulae. S.

VI, 6. *quantum ſibi gaudent eſſe communem oculi diem.*) Liuineius hariolatus eſt, pro *quantum* fortaſſe legendum, *quam;* ut magis congruat cum antecedente particula, *tam facili.* Atque, en, hanc ſcripturam euidenter exhibet Codex noſter, *quam ſibi gaudent.* Nondum tamen nobiscum conſtitutum habemus, exturbare lectionem ubique uulgatam; cum eiusdem loquendi rationis exempla etiam alibi occurrant. Confer uerba Iuſtini, in *nota* p. 156. allata. Illud adhuc monendum, in his uerbis a Cuſpiniano praetermiſſam eſſe uocem, *oculi;* quam tamen utique requirere uidetur uerbum antecedens, *gaudent.* S.

VI, 7. *et ſuo uterque fruitur, et conſortis imperio.*) Similes fere argutias notauimus ad panegyricum Plinii, *cap.* XCI, 7, *pag.* 469. Sic ipſe Plinius, l. c. de ſuo et collegae ſui, Tertulli, conſulatu: *Vterque collegae conſulatu, tanquam iterum ſuo, gaudet. — nos duos conſulatus accipimus ſimul, alterque in altero conſules, ſed iterum et pariter ſumus.* i. e. Vterque gaudet fruiturque non tantum conſulatu ſibi delato; ſed etiam gaudet ac fruitur conſulatu collegae, haud ſecus ac ſuo, eoque quaſi iterum ſibi delato. S.

VII, 1. *Laurea illa,*) Vt Mamertinus oſtendat, quanta concordia ſit inter Diocletianum et Maximianum, nunc commemorat, utrosque etiam uictorias ſuas habere communes, et Maximianum quidem Diocletiani, Diocletianum uero Maximiani, uictoriis gaudere. Ad Diocletiani uictorias refert uictos Syros, Raetos, et Sarmatas; ad Maximianum, uictos caeſosque Cauiones, Erulos, et Francos piratas. De ſingulis Mamertinus iam in primo panegyrico, et in ſuperioribus

riam nationibus, et illa Raetica, et illa Sarmatica, te, Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare. Itidem hic gens Cauionum Erulorum- 2

L que

bus ſecundi panegyrici partibus egit, u. g. de *Syria*, *paneg.* I, *cap.* VII, 5; de *Raetia*, *paneg.* I, *cap.* VIIII, 1; ad quem locum recte obſeruauit Cellarius, manifeſto Raeticam uictoriam ibi adſcribi Diocletiano, contra plurium ſententiam, qui, *panegyrici* I *caput* VIIII interpretantes, illam Maximiano uindicatum eant. De *Sarmatia* non nihil annotauimus, *not.* ad cap IV. 4. S.

VII. 1. *accolentibus Syriam natiónibus*,) Participium, *accolentibus*, in duas uoces, *ac colentibus*, diuiſum, perperam euulgarunt Rhenanus, Duacenſis, et H. Stephanus. Rectius id exprimunt ſcripti excuſique libri. Verbum autem *accolere*, i. e. iuxta habitare, admittit cum caſum tertium, tum quartum. Priſcianus, *lib.* XVIII, *pag.* 1203: Noſtri quoque, inquit: *Accolunt fluuium, et fluuio.* Cicero, *in ſomnio Scipionis*, *cap.* 5: *Ea gens, quae illum locum accolit.* S.

VII, 1. *te fecerunt pio gaudio triumphare.*) i. e. effecerunt, ut tu pio gaudio triumphares. Hoc loco *facere* pro efficere, aut in cauſſa eſſe, ponitur, et cum infinitiuo coniungitur, rariore quidem, ſed tamen non prorſus inſolenti, loquendi formula. Virgilius, *lib.* II *Aen. u.* 538: *Quinti coram me cernere letbum Feciſti.* Palladius, *in Aprili*, *cap.* VIII, 3: *Ita ſingulae apes ſubinde demiſſae te facient usque ad locum examinis peruenire.* Conf. Pareus, in *Lexico critico*, *pag.* 462. S.

VII, 2. *Itidem hic gens*) Nunc Mamertinus recenſet uictorias Maximiani, quae tamen etiam ex uoto et cum gaudio Diocletiani euenerint, adeoque comparat uictorias Diocletiani in oriente reportatas cum Maximiani uictoriis in Germania relatis. In altero Gudii libro, e quodam codice MS. particulae, *itidem*, non male adiicitur copula, *que*. At ibidem pariter, atque in noſtro codice, praeter neceſſitatem, *hic*, in *haec*, mutatum deprehenditur. Eſt enim, *hic*, hoc loco aduerbium, i. e. in hac Germaniae uicinia. Mamertinus enim tunc Treuiris orationem hanc habuit. Nihili uero eſt, quod Puteolanus, Rhenanus, et alii quidam, pro uoce *gens*, prodidere, *genus*. S.

VII, 2. *gens Cauionum Eru-*

que deleta, transrhenana uictoria, et domitis oppreſſa Francis bella piratica, Diocletianum uo-
3 torum compotem reddiderunt. Diuidere inter uos dii immortales ſua beneficia non poſſunt.
4 Obſtupeſcerent certe omnes homines admiratione ueſtri, etiam ſi uos idem parens, eademque mater, ad iſtam concordiam naturae legibus
5 imbuiſſent. At enim, quanto eſt admirabilius, uel pulchrius, quod uos caſtra, quod praelia, quod pares uictoriae, fecere fratres? Dum uirtuti-

Erulorumque) Varie ſcribuntur haec nomina: *Cabionum, Caybonum, Chaibonum*, ac male in codice noſtro, et Cuſpiniani editione, *Carbonum*. Perperam etiam Puteolanus et Nauius, pro *Erulorum*, edidere, *Herculeorum*; melius Rhenanus, et alii, *Herulorum*. De *Cauionibus* et *Erulis*, iam egimus ad Mamertini panegyricum I, *cap. V*, 2. S.

VII, 2. *transrhenana uictoria*,) Cuſpinianus et Rhenanus his uocibus praepoſuere copulam, *et*; ſed minus commode, ac ſine auctoritate codicum ueterum; eſt enim caſus ſextus. Pro *transrhenana*, codex noſter, itemque alius a Gudio notatus, habent, *trans Rhenum*. Sed idem Mamertinus etiam infra ſcripſit, *cap.* XVI, 1: *Sarmaticas ueſtras, et Raeticas, et Transrhenanas expeditiones*. S.

VII, 2. *domitis oppreſſa Francis bella*) De *Francis* iam ſupra not. ad *cap. V*, 5. non nihil expoſuimus. S.

VII, 4. *etiam ſi uos idem*) Particulae, *etiam*, et *ſi*, hoc loco elegantius uidentur diuidendae, prout ſic diuiſae in codice noſtro, item et in Cuſpiniani et Rhenani libris, leguntur. Ita et Cicero eas diuiſit, u. g. *lib.* VII *ad Attic. epiſt. 7*: *Ego bonos uiros, aut eos, quicunque dicuntur boni, ſequar, etiam ſi ruant*. S.

VII, 4. *imbuiſſent.*) Codex MS. in altero Gudii libro habet, *imbuiſſet*; ſed perinde eſt. S.

VII, 5. *quanto hoc eſt admirabilius*,) Verbum ſubſtantiuum, *eſt*, exprimunt quidam codices MSS. item in excuſis Puteolanus, Cuſpinianus, Rhenanus, Nauius, Liuineius: alii omittunt; et poterat ſine damno abeſſe. S.

VII, 5. *uos caſtra*,) Vterque Imperator, ſub Probo, Caro, et Aureliano, ſimul meruerat. B.

tutibus ueſtris fauetis, dum pulcherrima inuicem facta laudatis, dum ad ſummum fortunae faſtigium pari gradu tenditis; diuerſum ſanguinem affectibus miſcuiſtis. Non fortuita in uobis eſt 6
germanitas, ſed electa. Notum eſt, ſaepe eisdem parentibus natos, eſſe diſſimiles: certiſſimae fraternitatis eſt usque ad imperium ſimilitudo; quae nae etiam interuallum ueſtrae uincit aetatis,

VII, 5. *ſanguinem affectibus miſcuiſtis.*) h. e. mutua beneuolentia atque amore diuerſum ſanguinem temperaſtis, coniunxiſtisque, ut quaſi ex eodem ſanguine ſati fratres nunc uideamini. S.

VII, 6. *Non fortuita in uobis eſt germanitas,*) i. e. non caſu extitit ueſtra fraternitas, ſiue fraterna aequalitas, a *germine* ſic dicta, quaſi eiusdem germinis et ſtirpis fraternitas ac ſimilitudo. Feſtus: *Germanitas,* inquit, *eſt coniunctio inter germanos, qui ſunt uelut eadem ſtirpe geniti.* Hac uoce et ipſe utitur Cicero, *pro Ligario, cap. XI: Si fraterne, ſi pie, ſi cum dolore faciunt; moueant te horum lacrymae, moueat pietas, moueat germanitas.* Germanitas autem *electa* dicitur certo iudicio ſingularique animorum conſenſione inita atque conſtituta. Vbi nunc legimus, *in uobis eſt germanitas;* ibi, teſte altero Gudii libro, praepoſitionem, *in,* codex quidam MS. ſatis commode omiſit. Sed uide, quem deformierem defectum in hoc loco habeat codex noſter MS. itemque alii quidam codices, in utroque Gudii libro notati; cum, praetermiſſis tredecim uocibus, ibi haec ſaltem uerba legantur: *Non fortuita in uobis eſt germanitas, usque ad imperium ſimilitudo.* Quae lacuna in Putęolani ἐκδόσει tam callida arte oblita eſt, ut uix acute uidentibus appareat. Ibi enim haec legimus: *Non fortuita in uobis eſt germanitatis usque ad imperium ſimilitudo.* Quam lectionem ſecuti ſunt, Rhenanus, Nauius, H. Stephanus. Sed integriorem locum iam exhibuit Cuſpinianus; quem deinceps etiam Liuincius, Gruterus, et alii, ſunt amplexi. *Similitudo* autem animorum morumque *usque ad imperium,* eſt, quae etiam in ſummo imperio communiter retinetur, eaque dicitur indicium certiſſimae fraternitatis. S.

VII, 6. *quae nae etiam interuallum ueſtrae uincit aetatis,*)

et seniorem iunioremque caritate mutua reddit aequales: ut iam illud falso dictum sit, NON DELECTARE SOCIETATEM RERVM, NISI
7 INTER PARES ANNOS. Intelligimus enim, sacratissimi Imperatores, geminum uobis, quamuis dispares sitis aetatibus, inesse consensum: neque tu illi uideris promtior, neque tibi ille cunctatior; sed inuicem uosmet imitamini, inuicem

tis,) i. e. quae similitudo profecto etiam interuallum, siue discrimen, aetatis uestrae uincit, et tollit, adeoque facit, ut, quamuis alter sit senior, alter iunior, nihilo minus tamen per mutuum amorem aequales, atque aetate pares, uideamini. Vulgo in scriptis excusisque libris pro *nae*, legimus, *ne:* sed iam Liuineius ex Caroli Langii monitu ueriorem lectionem in margine editionis suae annotauit; quae lectio similiter Patarolo, in *notis*, probatur. Ita uero etiam alibi istas particulas, *nae* et *ne*, non raro inter se permiscri, docuimus in commentario ad panegyricum Plinii, Cap. LXX, 9. Non est ergo, quod pro, *quae ne etiam*, assumamus, *quin etiam;* quod Rhenanus, nescimus unde, adscripsit orae libri sui. Neque attinet, a Valent. Acidalio particulam, *ne*, prorsus abiici, quae saltem in *nae* commutanda. Mire uero hunc locum aliquando sic reformare cogitauit Gruterus: *quae ut etiam interuallum uestrae uniat aetatis;* quanquam deinceps, improbata illa reformatione, ipse fassus sit, ignotum sibi sensum esse istorum Mamertini uerborum. S.

VII, 6. NON DELECTARE SOCIETATEM etc.) Codex noster in his uerbis uarietatem haud spernendam profert: *Non delectari societate rerum, nisi pares annos.* Quanquam uero eandem lectionem Claud. Puteanus, teste uariarum lectionum libello, etiam in uetere Codice animaduerterit; ac praeterea Liuineius testetur, in uerbis, *nisi inter pares annos*, praepositionem, *inter*, etiam abesse a codice Bertiniano; nondum tamen audemus a uulgata, eaque omnibus ceteris libris confirmata, lectione recedere. Ceterum huc pertinet prouerbium Graecorum, a Liuineio notatum: ἥλιξ ἥλικα τέρπει. S.

VII, 7. *ille cunctatior;*) Liuineius ex uetere suo codice,

cem ueſtros affectatis annos. Sic uos fertis quaſi ambo iuniores, ambo ſeniores. Neuter plus ſuis

 mori-

dice, et Bertiniano, in ora libri annotauit: *ille cunctantior.* Atque ita uulgo legitur apud Suetonium, in *Caeſare, c.* LX: *ad dimicandum cunctantior factus eſt;* quanquam et ibi, teſte Burmanno, meliores libri, *cunctatior*, et *contatior*, habeant. Retinemus uulgatam lectionem, quae in ceteris libris exprimitur. Sic enim etiam Plinius loquitur, *lib. II, epiſt. 16: Cunctatior fortaſſe et cautior eſſem.* Idem, *lib. IX, epiſt.* 13: *Erat enim* Corellius *cunctatior cautiorque.* Bene iſta quaſi ſynonyma coniunguntur; quia cautiores non ſtatim aggrediuntur negotium, de quo deliberandum eſt; ſed quaſi morantur, et cuncta antea expendunt, aut, quod Verrius ex nautico uſu dictum putat, quaſi *conto* pertentant, cognoſcuntque aquae altitudinem. Vnde alii malunt ſcribere *contari*, quam *cunctari.* Conf. Seruius ad Virgil. *lib. VIII Aeneid.* 388. Eſt uero potiſſimum ſenum, *cunctari*; utpote quos diuturna experientia reddit cautiores, et prouidentiores. S.

VII, 7. *affectatis annos.*) Verbum, *affectare*, pertinet ad μεσα, ſiue *media et communia.* Aliquando enim ſimpliciter ſignificat, intendere, ſtudioſe quaerere, et appetere. Id ſi ſit naturae et rationi conuenienter, in laude ponitur, prout Cornelius Nepos, in *Attico, cap. XIII*, dixit, Atticum *omni diligentia munditiem non affluentem affectaſſe*, i. e. ſtudioſum fuiſſe munditiei non affluentis. Conf. notam noſtram ad Panegyricum Plinii, *cap. XX, 2, pag.* 45. Cum quadam autem reprehenſione is dicitur aliquid *affectare*, qui nimis ambitioſo et ſolicito ſtudio quaerit, aut per ſimulationem accerſit, quod aſſequi nequeat, refragante natura. Vnde Quinctilianus, *lib. I inſtit. orat. cap. 6: Nihil*, inquit, *eſt odioſius affectatione.* Hoc loco Diocletianus et Maximianus, Imperatores, cum laude dicuntur *inuicem ſuos affectare annos*, i. e. alter alterius aetatis mores ſtudioſe imitari, atque ſimiles referre: cum alioqui ſenior alter, alter iunior eſſet. S.

VII, 7. *Sic uos fertis quaſi ambo iuniores, ambo ſeniores.*) In Puteolani, Culpiniani, Nauii, H. Stephani, Liuineii, Gruteri, Puteani, et Iac. de la Baune, libris legimus: *Sic uos eſtis iuniores, ambo ſeniores.* De qua lectione recte iudicat Gruterus in notis: *Non ſatisfacit auribus illud*

moribus fauet: uterque ſe uult hoc eſſe, quod frater eſt.

VIII.

illud, uos: *mallem, transformaretur in* ambo, *legereturque:* ſic ambo eſtis iuniores, ambo ſeniores. Quam lectionem Cellarius et Patarol adoptarunt: quamquam nec male reſcribendum cenſuerit Acidalius: *Sic uobis eſtis iuniores ambo, ambo ſeniores.* Sed non opus eſt ſola coniectura; cum pleniorem uiuidioremque lectionem probet codex noſter, quam alius etiam codex MS. in utroque Gudii libro annotatus confirmat, et quam in contextu exhibemus. *Sic uos fertis quaſi ambo iuniores*, i. e. ſic uos geritis oſtenditisque ambo quaſi iuniores, nempe alter, Maximianus, aetate; alter, Diocletianus, imitatione Maximiani; et uiciſſim ſeniores. Ita nempe etiam apud alios ſcriptores inuenimus, *ferre ſe*, dici pro gerere et oſtendere ſe. u. g. apud Ciceronem Coelius, *epiſt. 4, lib. VIII. ad famil.* ait: *Vt ſe fert ipſe*, i. e. qualem ſe gerit oſtenditque ipſe. Sic et Tacitus, I. *Annal. cap.* 21, *ferre ſe conſulem*; et *lib. XII Annal. cap.* 37, *ferre ſe ſocium imperii*; i. e. gerere ſe tanquam conſulem, tanquam ſocium imperii. Suetonius, in *Auguſto, cap.* 32: *Graſſatorum plurimi palam ſe ferebant ſuccincti ferro.* Virgilius, *lib. XI Aeneid. u.* 779: *Captiuo ſiue ut ſe ferret in auro uenatrix.* Idem, *lib. IX Aen. u.* 597: *Ibat, et ingentem ſeſe clamore ferebat*, i. e. gerebat ſe tanquam ingentem. Immo, *ſe ferre*, ſiue *ferri aliquo*, etiam dici aliquando ſolet pro *ire, incedere, procedere.* Virgilius, *lib. II Aen. u.* 503: *Talis erat Dido; talem ſe laeta ferebat*, i. e. incedebat, *per medios.* Idem, *lib. I Aen. u.* 314: *Cui mater media ſeſe tulit obuia ſilua.* i. e. obuiam iuit in media ſilua. Florus, *lib. III, cap.* 3: *Tripertito agmine per Alpes ferebantur.* i. e. procedebant. Poſſis hanc notionem ad hunc ipſum quoque locum commode transferre, ut Mamertinus dixerit: *Vos fertis*, i. e. inceditis, *ambo iuniores, ambo ſeniores.* Inceſſu enim potiſſimum diſtinguitur aetas; cum iuniores promtiore et alacriore, ſeniores grauiore, utantur. Sed in hac parte laudis Mamertinus non niſi argutias rhetoricas captare uidetur. S.

, VII, 7. *uterque ſe uult hoc eſſe*,) Credas, pronomen, *ſe*, hic abundare. Mamertinus enim recte dicere potuiſſet: *Vterque uult hoc eſſe*; prout Martialis, *lib. X, epigr.* 47, dixit: *Quod fis, eſſe uelis*,

VIII. Inde igitur proxime illa impatientia ueſtrae pietatis erupit; quod uos nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum, nulla tempeſtatis aſperitas, retinere, aut morari, potuit, quo minus ad conſpectum ueſtri peruolaretis.

lis, nihilque malis. Neque enim Martialis neceſſe habuit dicere: *Quod ſis, te eſſe uelis.* Nihil tamen mutamus; cum eodem modo etiam loquatur Plinius, *lib. X epiſt.* 3: *Malui, hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus eſſem et ſecurus, et felix.* S.

VIII, 1. *illa impatientia ueſtrae pietatis erupit;*) i. e. ille uehemens ardor mutui amoris ueſtri quaſi cum impetu quodam ſe exeruit. Ita Mamertinus etiam ſupra, *cap. IIII*, 1, dixit, *pro amoris impatientia.* Ita et ipſe Cicero coniunxit, *efferueſcere* et *erumpere*, *orat. de prouinc. conſul. cap. IIII*: *Totum Pontum armatum, efferueſcentem in Aſiam atque erumpentem — ſuſtinerent.* Quondam hic locus ualde corruptus fuit. In ipſo Codice noſtro ſic legitur: *ille in praeſentia ueſtrae pietatis erupit.* Quam lectionem etiam Gudius ex alio codice annotauit. Puteolanus, Rhenanus, Nauius, H. Stephanus, Liuineius, Riuinus, habent: *ille impatientiam ueſtrae pietatis irrupit.* Melius Cuſpinianus, Gruterus, et recentiores: *illa impatientia ueſtrae pietatis irrupit.* Maluimus tamen pro uerbo, *irrupit*, reponere, *erupit*; cum hoc in noſtro codice, et utroque Gudii libro, deprehendatur. S.

VIII, 1. *aut morari,*) Liuineius teſtatur, haec uerba abeſſe a ſuo codice uetere; ut ſic quaſi ex gloſſa in alios libros transiiſſe uideantur. Tuemur tamen lectionem uulgatam, cum et ipſe Cicero ſimilia coniungat, *lib. XII, epiſt.* 15, *ad famil. detinuerunt nos et demorati ſunt.* S.

VIII, 1. *peruolaretis.*) Liuineius exiſtimauit, reſcribendum eſſe, *prouolaretis.* Quod et in priore Gudii libro annotatum eſt; ſed, quamuis praepoſitiones *per* et *pro* ex ſcribendi compendio frequenter confundantur; retinemus tamen uulgatam lectionem, quam expreſſis literis etiam tuetur noſtri Codicis MS. ſuffragium. Sic etiam Ciceroni uſitatum eſt hoc uerbum. u. g. in *Somnio Scipionis*, *cap. IX*: *Sunt autem optimae curae de ſalute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus uelocius in*

hanc

2 Neque enim illud progreſſio fuit, nec itineris
confectio, nec ſolitis adminiculis uſa propera-
3 tio. Quid ſimile concitus eques, aut ueliuola
nauis?

hanc ſedem et domum ſuam peruolabit. Et *pro Sext. Roſcio Amer. cap. VII: Cum poſt horam primam noctis occiſus eſſet Sex. Roſcius, primo diluculo nuntius hic Ameriam uenit: decem horis nocturnis, ſex et quinquaginta millia paſſuum ciſiis* (i. e. genere uehiculi Gallici) *peruolauit.* Adde Ouidium, *lib. II Faſtor. u. 251: Coruus et aërium peruolat altus iter.* Sed neque ulla opus eſt mutatione, quod in proximis uerbis, pro numero ſingulari, *itineris*, codex noſter, aliique quidam Gudiani, habent in numero multitudinis, *itinerum.* S.

VIII, 3. *Quid ſimile concitus eques,)* i. e. *Quid ſimile* huic incredibili celeritati ueſtrae habet, ſiue facit, *concitus eques, aut ueliuola*, h. e. quaſi uelis uolans, *nauis*? Hic locus mire deprauatus adhuc iacuit. Puteolanus, Cuſpinianus, H. Stephanus, ediderant: *Quod ſimili concitu eques.* Vitioſius Nauius: *Quod ſimili concutu eques.* Acidalius, et alii quidam, putarunt, legendum: *quo ſimili concitu eques.* Iacobus de la Baune et Patarol, ſecuti coniecturam Caroli Langii, dedere: *Quis ſimili concitu eques.* Cellarius: *Quid ſimili concitu eques.* Noſter ſtomachus non ſatis concoquere potuit illud ſubſtantiuum *concitu*, cuius uſum fruſtra quaeſieris extra hunc Mamertini locum: at participium, *concitus*, pro *concitatus*, eſt uſitatiſſimum. Conſuluimus ergo codicem noſtrum, in quo haec uerba ſine compendio ſcripta offendimus: *Quid ſimili concitus eques, aut ueliuola nauis?* Eadem uerba Gudius ex alio codice MS. adſcripſit alteri libro. Etiam Liuineius pro *quo;* uel *quod*, uel *quis*, ex ſuo uetere codice annotauit, *quid.* Vna ergo literula *i* in *e* mutata, pro *ſimili*, auſi reponere, *ſimile*, genuinam, ac certe congruentem lectionem reddidimus Mamertino; prout hanc lectionem etiam Grutero in mentem ueniſſe, animaduertimus. Eiusdem generis formulae etiam alibi occurrunt. u. g. apud auctorem incertum VIII Panegyrici, Conſtantino Aug. dicti, *cap.* XIII, 5: *Quid ſimile fabulae ferunt?* Lat. Pacatus, *cap.* XXXIII, 3: *Quid in ceteris ſaltem ſimile deprehendimus?* Ipſe Cicero: *lib.* II *de diuinat. cap.* XXX:

Poſtre-

nauis? Diuinus quidam impetus fuit, quo repente in eundem locum ab utroque ſolis aduerſo fine ueniſtis: ipſos ſiquidem, quos praemiſeratis, nuntios reliquiſtis; ipſam, quae uos conata eſt praeuenire, famam praeuertiſtis, ut, abſque pauciſſimis, qui uobis comites haerere potuerunt, ceteri homines fortaſſe crediderint, quod ita dignum eſt maieſtate ueſtra, diurna uobis et nocturna curricula utraque mundi lumina commodaſſe. Sed remoueamus iſtinc fabulas imperitorum; uerum loquamur. Veſtra uobis pietas, ſacratiſſimi 4

Poſtremo, quid ſimile habet paſſer annis? Equidem in Mamertino eſt ἐλλείψις, ubi intelligas, uel *habet*, uel *facit*, uel *eſt*. At quid frequentius ἐλλείψει in interrogatione, et admiratione? Ipſe Mamertinus, *cap. proximo* VIIII, 1: *Sed qua tandem uice temporum? quo tempeſtatis habitu?* ſcilicet, acceleraſtis, ſiue peruecti eſtis ad uos. S.

VIII, 3. *ab utroque ſolis aduerſo fine)* i. e. ab oriente et occidente: ab oriente uenit Diocletianus, ab occidente Maximianus. S.

VIII, 3. *quos praemiſeratis,)* Perperam edidit Liuineius: *Quos promiſeratis.* S.

VIII, 3. *absque pauciſſimis,)* i. e. exceptis pauciſſimis, ſiue praeter pauciſſimos. Sic enim, *absque*, illo aeuo eſt adhibitum. Vide *Cur. poſterior. cap. 6.* C.

VIII. 3. *quod ita dignum eſt m. u.)* Pro particula, *ita*, Liuineius in Bertiniano codice inuenit pronomen, *id*. In noſtro codice neque *ita*, neque *id*, deprehendimus: ſaluam tamen relinquimus lectionem ex tot aliis libris uulgatam. Pronius uero ex noſtro codice arripuimus uerbum ſubſtantiuum, *eſt*; cuius locum ad hunc usque diem copula, *et*, in plurimis libris occupauerat; quamuis uerbum, *eſt*, iam etiam Cuſpinianus euulgarit. Sed non audimus Acidalium, qui pro, *fabulas imperitorum*, reſcribere maluit, *fabulas, Imperator*. S.

VIII, 3. *utraque mundi lumina)* i. e. Solem et Lunam; quorum illum quadrigis,

Imperatores, uolucres dedit curſus. Etenim, cum nihil ſit animo uelociùs, uos, quorum igneae immortalesque mentes minime ſentiunt corporis moras, peruecti eſtis ad uos mutua deſiderii celeritate.

IX. Sed qua tandem uice temporum? quo tempeſtatis habitu? nempe hieme ſaeuiſſima, et in his quoque regionibus inuſitata: cum agros glacies, glaciem niues, premerent, caelo pariter ac terris uniformibus: cumque ipſi anhelitus homi-

drigis, hanc bigis, uehi, fabulati Poetae. Pat.

VIII, 5. *corporis moras,*) Noſter codex, et Cuſpinianus, numero multitudinis habent, *corporum moras.* S.

VIII, 5. *ad uos*) Hucusque in omnibus libris excuſis legimus, *ad nos.* Verum, cum Diocletianus ex Aſia, et Maximianus, e Galliis, feſtinatiſſimis itineribus, in Italiam ſe conferrent, non tam ut populos tunc inuiſerent, quam ut ipſi *mutua deſiderii celeritate*, congrederentur, de rebus arduis deliberaturi; nihil dubitauimus, pro uoce, *nos*, reponere, *uos:* maxime, cùm hoc pronomen ſecundae perſonae non ſolum in codice noſtro inuenerimus; ſed idem etiam Liuineius in duobus codicibus MSS. neque minus Gudius in aliis, obſeruarint. S.

IX, 1. *qua uice temporum?*) Vt Horatius, *lib. I. od. IV: Soluitur acris hiems, grata uice ueris et Fauoni.* C.

IX, 1. *cum agros glacies, glaciem niues, premerent,*) Obſcuratus eſt hic locus in quibusdam antiquis libris. In ipſo codice noſtro, et altero Gudii libro, ſcriptum eſt: *cum algor, glacies, niues, premerent.* Quam lectionem non eiiceremus, ſi uox, *agros*, uel poſt particulam, *cum;* uel poſt uerbum, *premerent*, adeſſet. Nec ſanus eſt hic locus in libris antiquitus impreſſis. Puteolanus, Rhenanus, Nauius, H. et P. Stephani, ac Liuineius, edidere: *cum algor, glacies, glacies niuem, premerent.* Sed ueriorem lectionem, quam et nos exhibemus, iam primus prodidit Cuſpinianus; quem et recentiores ſunt ſecuti. S.

IX, 1. *caelo pariter ac terris*

hominum circa ſua ora concreti rigore caneſcerent. Adeo, ut res eſt, aduerſus inclementiam 2 locorum ac ſiderum ueſtrae uos maieſtatis potentia tuebatur, et, ceteris hominibus atque regionibus ui frigorum adſtrictis et oppreſſis, uos ſolos aurae lenes, uernique flatus, et, diductis nubibus,

terris uniformibus:) h.e. cum caelum pariter et terra niue candida ubique albeſcerent. B.

Vocabulo, *uniformis*, iam etiam auctor *dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae* uſus eſt, *cap.* 32. S.

IX, 2. *ut res eſt,*) Frequens panegyriſtis formula, qua ſtatum praeſentem ſignificant, aut approbant. Eumenius, *de reſtaur. ſchol. cap. XVIII*, 4: *Adeo, ut res eſt, aurea illa ſaecula, quae non diu quondam Saturno Rege uiguerunt, nunc aeternis auſpiciis Iouis et Herculis renaſcuntur.* Incertus auctor *panegyr. Maximiano et Conſtantino dicti, cap. IV*, 1: *cap. IX*, 2; et *cap. XIII*, 2; et ſoli *Conſtantino, cap. XVI*, 5; item Eumenius, in *paneg. Conſtantii Caeſaris, cap. VI*, 4, et *c. VIII*, 3. Haec Cellarius; quae uero teſtimonia etiam annotauit Liuineius. Ita autem etiam Cicero fere ſimiliter loquitur. u. g. *lib. V, epiſt.* 11: *Si uero improbus, ut eſt, duces eum captiuum.* Idem, *lib. XIII, epiſt. VII*, 4: *Et primum uelim exiſtimes, quod res eſt,* etc. i. e. quod uere ita ſe habet. Et Terentius, *Adelph. A. II, Sc. I: Id quod res eſt,* i. e. quod uerum eſt. S.

IX, 2. *inclementiam locorum*) Perperam Puteolanus et Nauius edidere: *clementia locorum.* Nec placet Liuineii, *clementiam.* Rectius Cuſpinianus, Rhenanus, et alii ſequentes, emulgauere, *inclementiam*; quam lectionem etiam confirmat codex noſter. *Inclementia* hoc loco μετα-φορικῶς dicitur aſperitas, iniquitas, rigor, et horror *locorum atque ſiderum*; ſicut ex aduerſo dicitur, *caeli, aeſtatis, hiemis, clementia,* etc. S.

IX, 2. *aurae lenes, — — et diductis nubibus,*) Non probamus, *aurae leues*; quod legitur in Puteolani, Rhenani, Nauii, et H. Stephani, libris impreſſis: multo aptius ſcriptum eſt in codice noſtro, *aurae lenes*; quam lectionem etiam cetera exemplaria excuſa produnt. *Aurae lenes* et *placidae* opponuntur *acribus* et *aſperis.* Etiam, *diductis nubibus*, melius eſt, quam *deductis nubibus*; quam poſteriorem lectionem Puteolanus, Nauius,

bibus, ad itinera ueſtra directi ſolis radii ſeque-
3 bantur. Tanta facilitate, illa, quae tunc aliis fo-
rent inacceſſibilia, ſuperaſtis, atque inde Iulias,
hinc Cottias Alpes, quaſi relictas aeſtu arenas
paten-

Nauius, et alii quidam, eulgarunt. *Deducere*, eſt de loco ad alium locum aliquem ducere; at *diducere*, eſt coniunctas res uel homines diuidere, diſtrahere, diſpellere; quod magis huic loco congruit; ubi etiam iam Cuſpinianus edidit, *diductis*: quamquam non neſciamus, librarios frequenter confudiſſe, *lenis*, et *leuis*; item, *deducere*, et *diducere*. Ad hunc locum haec commentatur Gruterus: Duo codices, *diductis*; quod et probatur Puteano, firmabatque iſto Ciceronis in Arati Phaenomena: *Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem coeperit, et ſubitis auris diduxerit Ara.* S.

IX, 3. *Tanta facilitate,*) Pro *facilitate* in non paucis libris editum erat, *felicitate*; ſed in noſtro codice ſcripta eſt lectio uerior; de qua haec Gruterus: Eieci illud, *felicitate*; quod diceretur, reperiri alterum in codicibus binis, eſſetque huic loco conuenientius. Annotauerat uero hanc ipſam lectionem iam Liuineius e codice uetere, et e Cuſpiniani editione. S.

IX, 3. *forent inacceſſibilia,*) Vox, *inacceſſibilis*, ignota fuit melioribus ſaeculis linguae Latinae; uſurpata tamen inuenitur a ſcriptoribus eccleſiaſticis. Sic interpres uulgatus, isque Latinus, I, *ad Timoth. VI*, 16: *Et lucem inhabitat inacceſſibilem*: qui tamen, Iob. XXXIX, 31, melius: *In praeruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Immo et auctor incertus Paneg. Maximiano et Conſtantino dicti, *cap. VIII*, ait: *inacceſſis* (non, *inacceſſibilibus*) *montium iugis.* Et Latinus Pacatus, Paneg. *c. XXII*, 2: *gentes aeternis ardoribus inacceſſas.* Iam enim, *inacceſſus, a, um*, probatis auctoribus dicitur is, qui accedi non poteſt, aut non debet. Sic Plinius, *Paneg. XXXXIX*, 3: *Haec arx inacceſſa; hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere.* Ad quem locum adire licet noſtram noſtram. Conferatur et Seruius ad Virgil. *lib. VIII Aen. u.* 195: *Facies, quam dira tegebat Solis inacceſſam radiis*; ubi ait: *Inacceſſus* eſt participium ſine uerbi origine. *Inaccedor* enim non dicimus. Ita uero etiam dicitur *illaudatus*, *inuictus*, etc. S.

IX, 3. *inde Iulias, hinc Cottias*

patentium litorum, transcurriſtis. Eant nunc rerum ueterum praedicatores, et Hannibalem illum multis laboribus, magnaque exercitus ſui diminutione, Alpes penetraſſe mirentur! Vos, in-

Cottias Alpes,) Diocletianus per Iulias Alpes ex Pannonia; Maximianus per Cottias ex Gallia, in Italiam ad Mediolanenſe colloquium conuenerunt. *cap.* XI. C.

IX, 4. *Eant nunc rerum ueterum praedicatores,*) Ineſt in his uerbis quaedam figura παθητική, qua aliquando ad reprehendendum, aut refutandum, cum conceſſione εἰρωνικῇ, utuntur oratores et poetae. Similiter Latinus Pacatus, *Paneg. cap. XVII, 1: Eat nunc ſui oſtentatrix uetuſtas, et illa innumeris literarum uulgata monimentis iactet exempla! Pirithoi fidem praedicet,* etc. Incertus auctor paneg. Conſtantino Aug. dicti, *cap. XXIII, 1: Ite nunc omnes, ſi placet, barbarae nationes, et exitiales uobis mouete conatus: habetis exemplum.* Petronius, *cap. 115: Ite nunc mortales, et magnis cogitationibus pectora implete!* Virgilius, *lib. VIII Aen. u. 634: I, uerbis uirtutem illude ſuperbis!* Propertius, *lib. VIII, eleg. XVIII, u. 17: Inunc, tolle animos, et tecum finge triumphos!* Ouidius, *Epiſt. Heroid. IV. u. 127: I nunc; tolle animos, et fortia facta recenſe!* Idem, *lib. I Amor. eleg. VII, u. 35: I nunc, magnificos uictor molire triumphos!* S.

IX, 4. *et Hannibalem — — Alpes penetraſſe mirentur!*) Iter Hannibalis per Alpes, praeter ceteros, deſcribit Liuius, *lib. XXI, cap. 35*; atque idem, *cap. 38*, miratur, ambigi, quanam Alpes tranſierit Hannibal: aitque, homines uulgo credere, transgreſſum Pennino, atque inde nomen iugo Alpium inditum; Coelium uero, per Cremonis iugum, dicere tranſiiſſe. Apud eundem Liuium, *lib. XXI, cap. 41*, teſtatur Scipio, Hannibalem ſe tuliſſe *aemulum itinerum Herculis.* Inde et Silius, *lib. IV Punicorum*, ab initio, Hannibalem ob tranſitum per Alpes Herculi aequat: *Fama per Auſoniae turbatas ſpargitur urbes, Nubiferos montes et ſaxa minantia coelo Accepiſſe iugum, Poenosque per inuia uectos: Aemulaque Herculei iactantem facta laboris Deſcendiſſe ducem.* Sicut autem ueteres Hannibalem, propter illum tranſitum per Alpes, aequarunt Herculi;

inuictiſſimi Imperatores, prope ſoli Alpium uias, hibernis niuibus obſtructas, diuinis ueſtigiis aperuiſtis; ut quondam Hercules per eadem illa culmina Iberiae ſpolia incomitatus abduxit.

X. Tum, ſi fortunae cauſſaeque Hannibalis ac

li; ita hoc loco Mamertinus ex eadem cauſſa Maximianum Imperatorem aequat, immo praefert, utrisque. S.

IX, 5. *ut quondam Hercules)* Vulgo quidem mythogi et hiſtoriae auctores iſtum Herculis per Alpes tranſitum memorant; et Silius etiam, *lib. III. u.* 496, ita canit: *Primus inexpertas adiit Tirynthius arces; ſcindentem nubes, frangentemque ardua montis ſpectarunt ſuperi.* etc. Ille ipſe tamen Herculis tranſitus a Liuio, *lib. V, cap.* 34, *fabulis* annumeratur. Conf. Cluerius, *lib. I Ital. Antiq. cap. I.* S.

IX, 5. *Iberiae ſpolia incomitatus abduxit.)* Illa *ſpolia* fuere boues, quos ex Iberia, ſiue Hiſpania, abegiſſe dicitur Hercules. Qua de re Iuſtinus, *lib. XXXXIV, cap.* 4, haec breuiter refert: *In alia parte Hiſpaniae, et quae ex inſulis conſtat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli laetitia eſt, ut, niſi abſtinentia interpellata ſagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quae illis temporibus ſolae opes habebantur, tantae famae fuere, ut Herculem ex Aſia praedae magnitudine illexerint.* De Geryone Seruius ad Virgilium, *lib. VII Aen. u.* 662: *Geryones,* inquit, *Rex fuit Hiſpaniae, qui ideo trimembris fingitur, quia tribus inſulis praefuit, quae adiacent Hiſpaniae: Balearicae maiori, et minori, et Ebuſae.* Ceterum, pro ſequente uocabulo, *incomitatus,* codex noſter habet ſimplex, *comitatus;* ſed perperam. Ideo enim Diocletianus et Maximianus comparantur cum Hercule; quia, uti Hercules incomitatus per Alpes abduxit boues; ita hi Imperatores prope ſoli Alpium uias aperuiſſe perhibentur. Vocabulo autem, *incomitatus,* ipſe uſus eſt Cicero, *lib. I de orat. cap.* 55. S.

X, 1. *Tum, ſi fortunae* etc.) Particula, *Tum,* hic poni uidetur pro, *Praeterea.* In codice noſtro et altero Gudii libro, non *tum,* ſed *tamen,* legitur; quae lectio non parum nobis arridet, ſi per colon a ſuperiore ſententia diſtinguatur. Potuit uero ex *tam.* per compendium pro *tamen* ſcripto illud uulgatum, *tum,* facile

naſci.

ac ueſtrorum itinerum comparentur, quanto haec ueſtra itinera diis hominibusque acceptiora ſunt? quanto laude ac ſempiterna memoria digniora? Tunc, Poeno ex ſummis Alpibus uiſo, Italia contremuit, ſtatim pecu agroque deſerto, omnes familiae

naſci. Inde uero haec ſententia exiſtit: Domitianus quidem et Maximianus aequarant Herculem tranſitu per Alpes: *tamen*, ex reſpectu fortunae cauſſaeque, itinera iſtorum Imperatorum multo habebantur digniora laude. S.

X, 1. *quanto haec ueſtra itinera* etc.) Haec lectio prodita eſt a Cuſpiniano, atque annotata etiam in Gudii libro priore; quae mire nobis placet: neque enim repetitio illa uocabuli, *itinera*, abundare, ſed orationem potius ornare, multoque clariorem reddere, uidetur. S.

X, 1. *quanto laude — digniora?)* Recte, *quanto*, non *quanta*; quia cum *digniora* componitur. C.

Interim, *quanta*, legitur in noſtro codice, idem et in Puteolani, Rhenani, Nauii, et H. Stephani, libris. S.

X, 2. *Tunc, Poeno ex ſummis* etc.) *Poenus* per ἀντονομασίαν ponitur pro duce Poenorum, ſiue Carthaginienſium, Hannibale. Ita uulgatum illud: *Hannibal ad portas*! exprimit Latinus Pacatus, in *paneg. cap.* XXXXVI. 3; *Portis imminens Poenus*. Carthaginienſes enim *Poeni*, quaſi *Phoeni* dicti, quia originem duxere a Phoenicibus. In quibusdam ſcriptis impreſſisque libris pro *Poeno* mendoſe poſitum eſt *poenae*; noſter autem codex recte tuetur receptam lectionem. S.

X, 2. *pecu agroque deſerto,*) Verba haec uarie ſcripta et excuſa inueniuntur. Puteolanus, Cuſpinianus, Rhenanus, Nauius, Lſuineius et Paulus Stephanus, edidere: *pecua agrique deſerta*. Henr. Stephanus, Duacenſis, Gruterus, Puteanus, Patarol: *Paſcua agrique deſerta*. Ad quem locum Patarol haec annotauit: *Retinui, quod erat in editione Pariſienſi, A.* 1655. *In aliis eſt* Pecua, *non male; ſcimus enim, ueteres, quod modo* pecus, pecudis, *dicimus*, hoc pecus, haec pecua, *plurale dixiſſe. Vide plura apud Priſcianum, lib.* VI. *Hinc Papinio, Sylv. lib. III, carm.* 3, *dictum:* Pecuaria culta Galeſi. Iac. de

miliac rusticanae siluas et ferarum cubilia petiue-
3 re. Quo nuntio accepto, omnibus oppidis ma-
tres Italae pensa e manibus abiecerunt, paruos li-
beros abreptos ad templa traxerunt: ibi aedes sa-
cras

de la Baune et Cellarius prodidere: *pascua agrique deserti.* In nostro codice, et altero Gudii libro, legimus: *pecu agroque deserto.* Atque ita etiam Puteanus ex uestigiis ueteris codicis legendum censuit. Non indignam horum codicum auctoritatem iudicauimus, cui locum daremus: sic enim sequentia uerba aptius cohaerent, nec desideratur copula, *et.* Nec est, cur uox, *pecu*, nobis scrupulum moueat; cum ea sit indeclinabilis in singulari; in plurali faciat, *pecua*, *pecuum*, *pecubus*; qua uoce Plautus, Cato, Varro, Lucretius, Liuius, Solinus, Apuleius, et alii, sunt usi. S.

X, 2, *siluas et ferarum cubilia*) Puteolanus, Rhenanus, Nauius. et Duacensis, (ita uoco editorem anonymum *Latino - Atticorum Oratorum*, siue *Panegyricorum diuersorum, cum ueterum, tum recentiorum scriptorum, Duaci in officina typographica Baltazaris Belleri* MDXCV impressorum, 8.) pro casu quarto, *siluas*, euulgarunt casum secundum, *siluarum;* sed Cuspinianus, ceterique rectius habent, *siluas*: cui lectioni etiam codicum scriptorum auctoritas suffragatur. S.

X, 3. *matres Italae pensa e manibus abiecerunt,*) Codex noster pro uoce, *Italae*, habet *Italiae;* deinde praepositionem, *e*, omittit; quam etiam aliquot antiquiores libri excusi omisere. Possit ita scribi legique; sed utrobique nihil mutandum censemus. S.

X, 3. *liberos abreptos)* Liuineius in margine libri sui coniecit, fortasse legendum esse, *liberos arreptos;* et hanc ipsam scripturam Gudius in priore libro, nescimus unde, annotauit. *Liberi abrepti* alioqui dicuntur, qui ui quadam e parentum sinu complexuue ab aliis auferuntur. Cicero, *lib. I in Verrem*, cap. 3: *Qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.* Hic uero Mamertinus loquitur de matribus, quae, pensis e manibus abiectis, prae metu, e terra, uel aliunde, subito *arriperent liberos*, ut eos gestarent, uel secum deducerent in templa, ad opem deorum implorandam. Ad quem ritum respexit Statius, *lib. X Theb. u.* 50. seqq. *At procul Argolici supplex in margine templi Coetus, et ad patrias fusae*

cras paſſo capillo ſuo quaeque uerrebat; uario planctu ploratuque futuris cladibus omina dabant; Thraſymenum et Cannas dolore praeſago praecinebant. Nunc autem, ut primum ex utris- 4

M que

fuſae Pelopides arus Sceptriferae Iunonis opem, reditumque ſuorum, Expoſcunt, pictasque fores, et frigida uultu Saxa terunt, paruosque docent procumbere natos. Malimus igitur hic recipere, *arreptos*, niſi diſſenſus omnium librorum uulgatorum, et ipſius codicis noſtri, obſtaret. Nullius autem pretii uarietas eſt, quando Nauius et Liuineius non, *paruos*, ſed *paucos*, *liberos*, edidere. S.

X, 3. *aedes ſacras paſſo capillo ſuo quaeque uerrebat;)* Mos matronarum, in magnis malis aras crinibus uerrere. Liuius, III, 7: *Stratae paſſim matres crinibus templa uerrentes, ueniam irarum caeleſtium, finemque peſti, expoſcunt.* Silius VI, *u.* 560: *Aſt aliae laceris canentes crinibus alta Verrunt tecta deum.* Cellarius. Alia huius ritus exempla doctiſſimus Drakenborchius annotauit ad citatum Silii locum. u. g. ex Liuio, *lib.* XXVI, *cap.* 9: *Ploratus mulierum non ex priuatis ſolum domibus exaudiebatur; ſed undique matronae, in publicum effuſae, circa Deum delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras uerrentes.* Conferatur Barthius, *lib.* XXXXVI *Adverſar.* et Turnebus, XXIX, 30. In codice noſtro, pro uoce, *paſſos*, legimus, *ſparſos*, non quidem incommode: retinemus tamen uulgatam uocem, cum ea in eodem ritu deſcribendo etiam uſus ſit Liuius. Contra uero ex noſtro codice in proximis uerbis adſciuimus uocem, *uario*, quae abeſt ab aliis libris; a Liuineio tamen etiam e codice Bertinienſi in margine annotatur. In uerbis, *quaeque uerrebat*, optaremus, ut, abiecto pronomine, *queque*, legeretur, *uerrebant*. S.

X, 3. *omina dabant;)* Ita recte, et ſuffragio codicum ueterum, et ſententiae oratoris congruenter, legimus; cum Puteolanus, Nauius, et adhuc Patarol, perperam euulgarint, *omnia dabant*. S.

X, 3. *praecinebant.)* i.e. quaſi praedicebant et uaticinabantur. Vulgo editum eſt, *praecanebant*; ſed ſequimur ſcripturam codicis noſtri, et Gudii, et Puteolani. Sunt quidem, qui, *praecinere*, et *praecanere*, ita diſtinguenda putent, ut illud ad rem muſicam, hoc ad diuinationem et uaticinia, referatur; ſed illa diffe-

que Alpium iugis ueſtrum numen effulſit, tota Italia clarior lux diffuſa, omnibus, qui ſuſpexerant, aequa admiratio atque dubitatio iniecta, qui-

differentia eſt nihili. Certe enim, uti uerbum ſimplex, *canere*, ita et compoſitum, *praecinere*, ſecundum optimos libros, ſine diſcrimine ſcripturae utroque modo accipitur. Sic, ſi mufici praeeunt cum fidibus, aut praemoderantur ac praemonſtrant modulos, item et ipſae fides dicuntur *prnecinere*. Cicero, *lib. IV Tuſcul. diſp. cap. 2: Nec uero illud non eruditorum temporum argumentum eſt, quod et deorum puluinaribus et epulis magiſtratuum fides praecinunt*. Nec minus dii et uates, qui futura praedicunt, dicuntur *praevinere*. Cicero, *de Haruſpic. reſp. cap. 10: Quis hoc tam nouo tantoque motu non magnum aliquid deos Populo Romano praemonſtrare et praecinere fateatur?* S.

X, 4. *ut primum ex utrisque Alpium iugis)* i. e. Cottiis et Iuliis. Codex autem noſter pro, *ut primum*, habet, *ut proximum*; ſed non ſatis apte. S.

X, 4. *omnibus, qui ſuſpexerant,)* Verbum, *ſuſpicere*, hoc loco proprie de iis dicitur, qui alte ſpectarant, et ſurſum ad montes, unde ueniebant iſti Principes, oculos extulerant. Sic Cicero, *de Haruſp. reſp. cap. 9: Quis eſt tam uecors, qui, cum ſuſpexerit in caelum, deos eſſe non ſentiat?* S.

X, 4. *aequa admiratio atque dubitatio iniecta,)* Vox, *aequa*, in codice noſtro omiſſa eſt, et forte non magnopere deſideraretur, niſi in plurimis libris extaret. Liuineius in ora libri ſui notauit, pro ea in uetere codice legi, *atque*; at fortaſſe legi debere, *aeque*. Nos retinemus lectionem in omnibus reliquis libris uulgatam, et ſic interpretamur: *par*, ſiue *aequalis*, et *aeque magna*, admiratio atque dubitatio etc. Sic Terentius, *Eunuch.* I, II, 12: *utinam eſſet mihi pars aequa* (i. e. aequalis, ſiue aeque magna) *amoris tecum, aut pariter fieret*, etc. Sic et Silio, *lib.* III, *u.* 192, *non aequae Arcti* uocantur, i. e. non aeque magnae. Ad quem locum uide Cl. Drakenborchium. Cum autem in pluribus libris antehac legeretur, *inuecta*; placuit nobis *iniecta*; quod diſerte exprimit codex noſter; quod ſimiliter Liuineius in ſuo uetere, et Bertinienſi codice, atque Puteanus in alio, inuenerant. Praeterea et Acidalius in notis ſuis ſic iuſſerat legi;

quam

quinam de illis montium uerticibus orirentur? an his gradibus in terras caelo deſcenderent? Vt uero propius propiusque coepti eſtis agnoſci; omnes agri oppleti, non hominibus modo ad uiſendum procurrentibus, ſed etiam pecudum gregibus remota paſcua, et nemora linquentibus:

quam denique lectionem iam Iacobus de la Baune, et Cellarius, exhibuerunt. Sic uero et Cicero loquitur, *pro Cluentio, cap.* 28. *Hic tum iniectus eſt hominibus ſcrupulus, et quaedam dubitatio, quidnam eſſet actum?* Superſedemus plures huius generis formulas referre. S.

X, 4. *quinam de illis)* Vulgo proditum eſt, *et quinam* etc. Hinc Langius, Liuineius, Gruterus, Baunius, et Cellarius, efficiendum cenſuere, *ecquinam.* Sic etiam, *et quis*, atque *ecquis*, ſaepius alibi promiſcue dici, oſtendimus ad Panegyricum Plinii, *cap.* XXXXIX, 3. et LIV, 1. At, quoniam illud, *quinam* ſimpliciter poſitum in codice noſtro, et altero Gudii libro, idque *et*, in ſimili formula a Cicerone, *pro Cluentio; cap.* 28, omiſſum eſt; nunc etiam praetermittendum exiſtimauimus. Non uero nullius momenti ſuſpicio eſt Gruteri, qui putauit, in particula, *de*, latere nomen, *dei*, ſiue *dii*, ita, ut maluerit legere, *quinam dei illis montium uerticibus orirentur?* qui enim credebantur iſtis gradibus *in terras caelo deſcendere*, non potuere non *dii* exiſtimari. Grammatici autem plerique tradunt, *dei* et *dii*, in numero multitudinis utroque modo dici. S.

X, 5. *propius propiusque)* Infra c. 16, 3. *longius longiusque.* Simili modo *Ouid. Her.* 2, 129. *minus et minus utilis adſto, Virg. Aen.* 12, 406 ſq. *ſaeuus campis magis ac magis horror Crebeſcit.* Sic iunguntur quoque adiectiua, comparatiui gradus. v. ad *Tibull.* 1, 8, 64. *Scaliger*, qui Graecanicam eſſe locutionem docet. cf. *Vechner. Hellenol.* L. 2. c. 13. et quos laudat *Heuſing.* n.n.) Solent etiam aduerbia poſitiui gradus, intendendae ſignificationis cauſſa, ſic geminari. *Ouid. Her.* 1, 41. *o nimium, nimiumque oblite tuorum. Idem Met.* 2, 178 ſqq. *Vt uero ſummo deſpexit ab aethere terras Infelix Phäethon, penitus penitusque patentes, Palluit.* et *Met.* 4, 325. *Sed longe cunctis longeque potentior illis. Apul. Met.* 5.

concurſare inter ſe agricolae, nuntiare ignotis uiſa, arae incendi, tura poni, uina libari, uictimae caedi,

5. pag. 167. *Elmenh. Viam, — — diu diuque cogitatam monſtrabimus tibi.* Infra, *Mamertin. Paneg.* X. c. 21, 4. *Sed multo, multoque nunc facilior eſt ratio honorum petendorum.* Iaeg.

X, 5. *concurſare. inter ſe*) Tritum eſt, *concurſare*, hoc loco per uſitatam enallagen dici, pro *concurſabant*. Idem etiam de ſequentium uerborum *infinitiuis* eſt ſtatuendum. S.

X, 5. *nuntiare ignotis uiſa,*) Olim ubique legebatur, *totis*: at in hac uoce ulcus uetus latet, cui remouendo nulli codices ſcripti, neque libri excuſi, qui nobis hucusque innotuere, ſufficiunt. Valent. Acidalius ad hunc locum haec commentatus eſt: *Poſſis interpretari*, totis, omnibus; ut apud *Apuleium aliquoties. Sed mihi placeat, magis ſcribi*, nuntiare totis uicis: *Siue etiam diſtinctionem mutari:* concurſare inter ſe agricolae, nuntiare; totis uicis arae incendi. Hactenus Acidalius. At Liuineius in ora libri ſui annotauit, pro *totis* forte legendum, *notis*. Quae uox tunc demum locum habere poſſe uidetur, ſi *noti* pro *amicis* ponantur, uti apud Catullum, LXXX, 4. Verum magis placet prior Acidalii coniectura: nuntiare *totis uicis;* dummodo huic coniecturae adſtipulentur ueteres quidam codices. Etenim, quod Cellarius ait, Acidalio uideri potuit, *uicis*, excidiſſe, quod propter inſequentem uocem, *uiſa*, iisdem fere apicibus conſtantem, probabilius eſt, quaſi pro una perperam repetita eum habuiſſe, qui deſcripſit. Nobis in mentem uenit, pro *totis* primum fuiſſe ſcriptum, *ignotis*, i. e. ignaris et neſciis. Quam huius uocis notionem cum ignorarent, aut priores literas obſoleſcentes forte non animaduerterent rudes librarii, primum repoſuere, *notis;* ſed et cum hanc ſententiae panegyriſtae minus congruentem putarent alii, interim hinc effinxere, *totis*. Apprime autem huic loco conuenit, *ignotis:* quoniam, *ignotus*, uulgo quidem paſſiue dicitur, *incognitus*, ſeu, qui aliis non eſt notus; nihilo minus tamen etiam a probatis linguae Latinae auctoribus aliquando *actiue* is dicitur *ignotus*, qui non nouit, et qui rerum eſt ignarus. Sic Phaedrus, *lib. I, fab. XI: Virtutis expers, uerbis iactans gloriam*, IGNOTOS (i. e. ignaros) *fallit, notis eſt deriſui.* Quinctilianus, *declam. VI,*

eaedi, cuncta gaudio calere, cuncta plauſibus tripudiare; diis immortalibus laudes gratesque cantari; non opinione traditus, ſed conſpicuus et praeſens Iupiter cominus inuocari; non aduena, ſed Imperator Hercules adorari.

XI. Quid illud, dii boni! quale pietas ueſtra ſpectaculum dedit, eum in Mediolanenſi palatio admiſſis, qui ſacros uultus adoraturi erant,

VI, cap. 2: Ne quis tamen erret ignotus, non eſt filii mei nouerca, ſed mater. Ad quem locum uide ſis Burmannum. Immo ipſe Cicero, *lib. V ad famil. epiſt. XII.* 22: Illi artifices corporis *ſimulacra ignotis nota faciebant.* Vbi, Manutio interprete, Cicero poſuit, *ignotis*, non pro iis, qui ignorarentur, ſed qui ignorarent. Verum, quamuis et haec coniectura noſtra expectet ſuffragium codicis antiqui; interim tamen eam, tanquam innoxiam, admiſimus. S.

X, 5. *cuncta gaudio calere,*) Quid ſi legas, *ſalire?* Cicero tamen, V *Philippica: Calebant interiore aedium parte.* Et III *in Verrem:* poſtea quam ſatis *calere res Rubrio uiſa eſt.* Demoſthenes περὶ παραπρεσβείας dixit, διαθερμαίνεσθαι. Et Portius Latro in Catilinam: *Iudices, quorum aures caluerunt aſſiduitate paene quotidiana.* P. Faber Santorianus, in notis editioni Puteani adiectis. S.

X, 5. *non opinione traditus,*) Fictos et commentitios deos opponit praeſentibus et conſpicuis Auguſtis. C.

Non Iupiter ille, qui deorum Rex eſſe per traditionem perhibetur; ſed Diocletianus Iouius, Imperator, inuocatur: Patarol. Pro *inuocatur*, Liuineius e codice Bertinienſi annotauit, *aduocatur.* Vtrumque uerbum recte ad dei cultum refertur; ſed non eſt, cur uulgatam lectionem reiiciamus. S.

X, 5. *non aduena, ſed Imperator Hercules*) i. e. non peregrinus et fabuloſus Hercules, ſed uerus Imperator, Maximianus Herculeus, adoratur. Hercules enim, praeter tot alia cognomina, propter crebras peregrinationes etiam *aduena* et *uagus* cognominatus eſt. S.

XI, 1. *in Mediolanenſi palatio admiſſis,*) Codex noſter habet, *palatium*; unde putes,

conſpecti eſtis ambo, et conſuetudinem ſimplicis uenerationis geminato numine repente turbaſtis!
2 Nemo ordinem numinum ſolita ſecutus eſt diſciplina; omnes adorandi mora reſtiterunt, duplicato pietatis

putes, fortaſſe legendum eſſe? *in Mediolanenſe palatium admiſſis.* Sed nihil innouamus. Firmicus Maternus: *Aut fient*, inquit, *domus regiae ianitores, uel tale illis officium deputabitur, ut iis in palatio admiſſis uel ſalutandi officia credantur.* Non temere quiuis ad Principes admittebantur; hinc, inter officia palatina, ſiue aulica, extitit *officium admiſſionis*, manaruntque *admiſſionales, magiſter admiſſionum*, et *admiſſionum proximi*; de quibus plura annotarunt Lipſius ad Tacitum, *lib.* VI *Annal. cap.* 9; Gutherius, *de officiis domus auguſtae, lib.* III, *cap.* 11; et Bulenger, *de Imperatore Rom. lib.* II, *cap.* 22. *Palatium* uero pro domo regia poni, obuium eſt: nam, ſecundum Dionem Caſſium, *lib.* LIII, *pag.* 507, iam domus Romuli *Palatium* dicebatur a monte Palatino, in quo eſſet aedificata. Imperatorum aeuo, ubicunque Imperator habitabat etiam extra Romam, locus ille *palatium* dici coepit, docente eodem Dione Caſſio, l. c. Cuius generis multa palatia recenſet Fritſchius, in *comment. ad leg. un. Cod. de Palat. et domibus dominicis, cap.* 4. S.

XI, 1. *conſuetudinem ſimplicis uenerationis geminato numine repente turbaſtis!*) Hinc intelligimus, uti deorum cultores ſingulos deos ad aras, ipſis proprias, uenerati ſunt; ita plerumque ſingulis Auguſtis quemuis admiſſum ſigillatim praeſtitiſſe cultum ſuum: quam conſuetudinem ſimplicis uenerationis tunc turbaſſe, aut impediiſſe, dicuntur Imperatores, Diocletianus et Maximianus, cum ambo ſimul ſe Mediolanenſibus adeuntibus obtuliſſent. S.

XI, 2. *Nemo ordinem numinum ſolita ſecutus eſt diſciplina;*) In duobus Auguſtis uenerandis is ordo ex more obſeruatus uidetur, ut prius Auguſtum ſeniorem, deinde Auguſtum iuniorem, aut Caeſarem, ſi hic adeſſet, uenerarentur admiſſi: quam uero diſciplinam tunc, prae gaudio, et nimio cultus teſtandi ſtudio, a nemine ſeruatam eſſe, innuit Mamertinus. S.

XI, 2. *reſtiterunt, duplicato pietatis officio contumaces.*) h. e. Subſtiterunt perſeueran-

pietatis officio contumaces. Atque haec quidem 3
uelut interioribus ſacrariis operta ueneratio eorum modo animos obſtupefecerat, quibus aditum ueſtri dabant ordines dignitatis. Vt uero limine egreſſi per mediam urbem ſimul uehebamini, tecta ipſa ſe, ut audio, paene commouerunt; omnibus uiris, feminis, paruulis, ſenibus, aut per fores in publicum proruentibus, aut per ſuperiora

 aedium

uerantes; quia utrumque Imperatorem ſimul adorantes finem non faciebant; ab hoc ad illum, ab illo ad hunc, ſe conuertentes. C.

Verbum, *reſiſtere*, hocloco, pro *conſiſtere*, ſeu *ſubſiſtere*, et *remorari*, ponitur. Qua notione etiam uſus eſt Plinius, *cap. XXI*, 3: *Iam te prouidentia deorum primum in locum prouexerat; tu adhuc in ſecundo reſiſtere, atque etiam ſeneſcere, optabas.* Similiter Iul. Caeſar, *de bello ciuili, lib. II, cap.* 35: *Ille ſaepius appellatus adſpexit, ac reſtitit, et, quis eſſet, aut quid uellet, quaeſiuit.* Sic et uox, *contumaces*, hic in laude ponitur, quaſi perſeuerantes, cultumque diutius ac cum παρρησια erga Imperatores continuantes. Pariter Quinctiliano, *declam.* II, 5, dicitur *innocentiae contumacia*, quae nempe non a ſuperbia, aut contemtu ſuperioris, ſed fiduciae amorisque magnitudine, ducitur. S.

XI, 3. *quibus aditum ueſtri dabant ordines dignitatis.*) i. e. quibus ſcilicet in dignitate, ſiue urbana, ſiue militari, conſtitutis permiſſum erat ingredi in palatium, et adire Imperatores. *Pat.*

Non enim, quod iam diximus, cuiuis temere licuit adire Principes in palatio; ſed Principes alias conſtituerant quaſi certos gradus eorum amicorum et clientum, quos admitterent, qui in primas, et ſecundas, tertiasque admiſſiones, digererentur. De quo more ſui aeui queritur Seneca, *lib. VI de benefic. cap.* 33. S.

XI, 3. *tecta ipſa ſe, ut audio, paene commouerunt*;) Eodem fere modo locutus eſt auctor incertus panegyrici Conſtantino Aug. dicti, *cap.* 19: *Tecta ipſa, ut audio, commoueri, et altitudo culminum uidebatur attolli, quacunque numen tuum tardo molimine currus inueheretur.* etc. S.

XI, 3. *per ſuperiora aedium*

4 aedium limina imminentibus. Clamare omnes prae gaudio, iam ſine metu ueſtri, et palam manu demonſtrare: VIDES DIOCLETIANVM? MAXIMIANVM VIDES? AMBO SVNT; PARITER SVNT: QVAM IVNCTIM SEDENT!

dium limina) Quae hic *limina*? An, *culmina*? Acidalius. Forte, *lumina*? i. e. feneſtras, συνεκδοχικῶς. Liuineius in margine libri. *Miror, cur iſtud alii mutent in* lumina? *Alterum et iucundius eſt, et huic loco aptius. Si momenta rationum ualent, illud,* lumina, *uix toleret animus poetice poſitum.* G.

Limina tuetur Gruterus, per epitheton, *ſuperiora*, ſatis ab infimo limine diſtincta. C.

Scilicet exiſtimarat Acidalius, *limina* duntaxat in inferiore parte aedium habere locum: cum tamen et *interiora* eſſent *limina*; Virgil. *lib. IV Aen. u.* 645; et *alta*; Idem *lib. XI Aen. u.* 235: cum ueteres etiam in ſolaria, et pergulas, per limina ingrederentur. S.

XI, 4. *MAXIMIANVM VIDES?*) Nonnulli libri ita haec uerba prodidere: *Vides Diocletianum Maximianumque? Vides?* Sed ſequimur ſcripturam codicum ueterum; quam etiam probauit Gruterus: eſt enim pro ratione abrupte loquentium aptior. S.

XI, 4. *PARITER SVNT;*) i. e. una ſunt. Sic Sigonius, *lib. I de occidentali imperio, pag.* 16, cum hunc Mamertini locum excitat, neſcio, utrum ex uetere codice, an ex ingenio, haec uerba refert: *Ambo ſunt; una ſunt.* Ita et Cicero, *lib. VII ad Attic. epiſt.* 10: *Si in Italia Pompeius conſiſtit, erimus una.* Sed, tacentibus noſtris codicibus, tuemur lectionem uulgatam, cum etiam Quinctilianus, *Declam.* V, 3, ita ſcripſerit: *Viſus ſum mihi magis habiturus utrumque filium mecum, ſi pariter eſſent.* S.

XI, 4. *QVAM IVNCTIM SEDENT!*) Puteolanus, Rhenanus, Nauius, Duacenſis, et H. Stephanus, euulgarunt: *Quam inuicti ſedent!* Noſter codex, et alter Gudii liber, et Cuſpiniani editio, exhibent: *Quam iuncti ſedent!* Etiam Acidalius monuit: *lege*, quam iuncti ſedent, *ut ſupra*, iunctis, *pro* inuictis. Praeterea, teſte Grutero, Bongarſius et Puteanus, hic maluerunt, *iuncti*: at uero *iunctim*, quod notauit Liuineius, diſerte nidulatur in codice Bertinienſi; quod huic loco aeque conuenit. Itaque hoc iam prodidere Gruterus, Pariſienſes, Cel-

DENT! QVAM CONCORDITER COLLOQVVNTVR! QVAM CITO TRANSEVNT! Nemo ſtudio ſuo par fuit oculis ad intuendum: dumque uos alterna cupiditate mirantur, neutrum ſatis uidere potuerunt.

XII. Ipſa etiam gentium domina, Roma, im-

M 5 modi-

Cellarius, et Patarol; idque bene: quia ſic Mamertinus pariter loquitur per aduerbium, *quam iunctim ſedent*; ac mox in ſequentibus, *quam concorditer colloquuntur*. Neque eſt, quod hoc aduerbium putemus prorſus inuſitatum. Certe Suetonius, in *Tiberio*, *cap.* 9: *Magiſtratus et maturius inchoauit, et paene iunctim percurrit quaeſturam, praeturam, conſulatum.* Gellius, *lib. XII*, *cap.* 8: *Fors fuit, ut apud eandem menſam duo illi, P. Africanus ſuperior, et Tib. Gracchus, iunctim locarentur.* S.

XI, 4. *QVAM CONCORDITER COLLOQVVNTVR.*) Vulgo editum eſt, *eloquuntur*. Inde quidam, ad priorem Mamertini panegyricum, *cap. IX*, etiam comprobant illud, *eloquium*; pro quo uero alii codices habent, *colloquium*, alii, *obſequium*. Nos hic amplexi ſumus, *colloquuntur*; quoniam hoc uerbum in codice noſtro diſerte exprimitur, idemque in utroque Gudii libro deprehendimus, atque e codice Bertinienſi annotauit Liuincius, laudauitque Puteanus. Praeterea ipſe Mamertinus mox *quotidiana* horum Imperatorum *colloquia* memorat. S.

XI, 5. *Nemo ſtudio ſuo par fuit oculis ad intuendum:*) i. e. ſecundum Baunium, nemo pro deſiderio ſuo, ſatis uos intueri potuit. Mire placet coniectura Liuineii, qui haud paullo concinnius e ueſtigiis ſcriptae lectionis ſuſpicatus eſt, legendum eſſe: *nemo ſtudio, nemo par fuit oculis ad intuendum*; quanquam neſciamus, an hanc coniecturam ſatis adiuuet pronomen, *ſuo*, in Liuineii codice uetere omiſſum? Nondum adeo audemus, damnare lectionem uulgatam; quae nihilo minus ita explicari poſſit: nemo omni ſtudio conatuque ſuo par fuit ſuffecitque oculis ad intuendum. Sic fere Cicero, *lib. III in Verrem*, *cap. IX*: *Fingite uobis, ſi poteſtis, aliquem, qui in omnibus iſtis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe poſſit.* S.

XII, 1. *gentium domina,*) Martialis, *lib.* XII, *epigr.* 8: *Terra-*

modico propinquitatis ueſtrae elata gaudio, uosque e ſpeculis ſuorum montium proſpicere conata, quo ſe uultibus ueſtris propius expleret, ad intuendum cominus, quantum potuit, acceſſit.
2 Lumina ſiquidem ſenatus ſui miſit, beatiſſimae illi per eos dies Mediolanenſium ciuitati ſimilitudinem, maieſtatis ſuae libenter impertiens, ut ibi tunc eſſe ſedes imperii uideretur, quo uterque uene-

Terrarum dea gentiumque Róma. C.

Mendum eſt, cum in antiquis quibusdam editionibus legitur, *in modico*, pro *immodico*. S.

XII, 1. *uosque e ſpeculis*) Cellarius, pro, *uosque*, edidit, *usque*: perplacet haec uarietas; ſed, cum in omnibus libris ante Cellarium excuſis, qui nobis innotuere, et in codice noſtro MS. uulgata lectio inueniatur, eaque locum habere poſſit, nullam huius mutandae neceſſitatem uidemus; maxime cum conſtet, Cellarium haud uſum eſſe codice MS. Mamertini. S.

XII, 2. *Lumina ſenatus ſui*) i. e. Senatores praecipuos; niſi mauis intelligere Conſules. *Pat.*

Sic etiam Cicero, III *Catil. cap.* 10, inſignes clarosque uiros reipublicae uocauit *lumina ciuitatis*. S.

XII, 2. *ciuitati ſimilitudinem maieſtatis ſuae impertiens,*) i. e. Roma, gentium domina, miſit ad uos Mediolanum praecipuos quosdam ſenatores; cum illi Mediolanenſium ciuitati ſimilitudinem maieſtatis ſuae non inuideret, ſed indulgeret potius, et impertiret, ut et ibi propter aduentum et praeſentiam Imperatorum tunc ſedes imperii eſſe uideretur. Paria dixit Mamertinus, in *panegyr.* I, *cap.* XIV, 3, de ciuitate Treuerorum, ubi tunc Maximianus ſe tenebat: *Interim tamen te, gentium domina, quoniam hunc optatiſſimum Principem in Galliis ſuis retinet ratio reipublicae, quaeſumus, ſi fieri poteſt, ne huic inuideas ciuitati* (Treuerorum,) *cui nunc ille ſimilitudinem maieſtatis tuae confert, natalem tuum diem celebrando in ea, conſuetudine magnificentiae tibi debitae.* S.

XII, 2. *ibi tunc eſſe ſedes imperii uideretur,*) Nam ibi Roma, ubi Imperator eſt: quod Pompeianus Commodo in Pannonia dixit, ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅτου ποτ' ἂν βασιλεὺς ᾖ. Herodianus I, 6. C.

uenerat Imperator. Interim tamen, dum mihi 3
ante oculos pono quotidiana ueſtra colloquia,
coniunctas in omni ſermone dexteras, ioca ſe-
riaque communicata, obtutu mutuo transacta
conuiuia; illa me cogitatio ſubit, quanam animi
magnitudine ad reuiſendos exercitus ueſtros diſ-
ceſſeritis, pietatemque ueſtram utilitate reipu-
blicae uiceritis. Qui tunc ueſtri ſenſus fuere? 4
qui uultus? quam impatientes ad diſſimulandum
indi-

XII, 3. *ioca ſeriaque communicata,*) Sic ſumma amicitia et familiaritas deſcribitur. Cicer. *lib. II de finibus, cap. 26: Quicum ioca, ſeria, ut dicitur; quicum arcana; quicum occulta omnia.* Quinctilianus, *declam.* CCCVII: *Amicus illi fuiſti: cum illo tibi ſeria ac ioci.* Plinius, *lib. II epiſt. 13: Cum hoc ſeria, cum hoc iocos, miſcui; quid enim aut illo fidelius amico; aut ſodale iucundius.* At uide, quid monſtri ex his uerbis effinxerint librarii in codice noſtro: *O Caeſareaque;* quaſi legere debeamus, *omnia Caeſareaque communicata.* Non difficulter tamen ueſtigia quaedam uulgatae lectionis in his animaduertes. S.

XII, 3. *transacta conuiuia;*) In noſtro codice, et, notante Liuineio, in duobus aliis, exaratum eſt, *transacta connubia;* quod quidam ad connubia Caeſarum referendum putarunt; ſed bene idem Liuineius, in notis: *Scio,* inquit, *Diocletianum creato a ſe Caeſari Galerio Maximiano Armentario filiam ſuam Galeriam; Maximianum A. Conſtantio, itidem ſuo Caeſari, Theodoram priuignam, in matrimonium collocaſſe; ſed non haec ſunt huius temporis et congreſſus. Itaque* connubia *damno.* S.

XII, 3. *pietatemque ueſtram utilitate reipublicae uiceritis.*) i. e. amorem mutuum et deſiderium una uiuendi poſthabueritis utilitati publicae, ita, ut fructu diutini congreſſus ueſtri et ſuauiſſimae conſuetudinis aliquandiu carere, quam curam utilitatis publicae ſeponere, malueritis. S.

XII, 4. *quam impatientes ad diſſimulandum* etc.) Perperam in quibusdam libris legitur, *patientes*, pro, *impatientes.* Oculi autem *impatientes ad diſſimulandum indicium perturbationis*, dicuntur, qui, quamuis uelint, aut debeant, non tamen,

prae

indicium perturbationis oculi? Reſpexiſtis profecto ſaepius: neque haec de uobis uana finguntur. Talia uobis dediſtis omina, cito ad conſpectum mutuum reuerſuri.

XIII. Facilis eſt mihi tranſitus, ſacratiſſimi Imperatores, ab hac pietatis ueſtrae laude ad praedicationem felicitatis. Hoc enim ipſum felicitatis eſt, quod, ut conſpicere uos inuicem complectique poſſitis, in manu ueſtra eſt. Solem ipſum, lunamque cernimus, quia totius mundi funguntur offi-

prae affectus magnitudine, poſſunt diſſimulare atque occultare mentis triſtioris argumentum, ac perturbationem animi, ex diſceſſu ortam; utpote quam, crebro reſpectantes, ſiue retro inuicem ſpectantes, facile prodant. Nam, quod Cicero ait, *lib.* I *de legibus*, *cap.* 9: *Oculi nimis arguti*, (i. e. prope loquaces, ut digiti arguti,) *quemadmodum animo affecti ſimus, loquuntur.* Atque idem, *lib.* III *de legibus*, *cap.* 59: *Imago animi uultus eſt; indices oculi: nam haec eſt una pars corporis, quae, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes et communicationes poſſit efficere.* etc. S.

XII, 4. *Talia uobis dediſtis omina,*) i. e. tales uobis dediſtis ſignificationes, et certa animi indicia. Perperam quidam ediderunt, *omnia*; cuiusmodi confuſionis horum uocabulorum non pauca conſtant exempla. S.

XIII, 2. *quia totius mundi funguntur officiis,*) Credimus, Mamertinum uoluiſſe dicere, ſolem et lunam toti mundo miniſtrare, et ſua praeſtare officia; prout Propertius, *lib. II eleg. XXII*, 435, dixit: *caelo modo ſol, modo luna, miniſtrat*; contra Ouidius, in fabula Phaethontis, *lib. II Metam. u.* 385: *Sol negat officium mundo.* Verum, ſic quodammodo obſcurius loquitur Mamertinus, cum luculentius dicturus uideatur: *quia per totum mundum, ſiue erga mundum, ſuis funguntur officiis*; niſi putes, Mamertinum ἑνικῶς, et mundum habere pro deo, cuius uicibus et partibus funguntur ſol et luna; uti Plinius maior, *lib. II hiſt. nat. cap. VI.* dixit, *Solem mundi eſſe totius animum ac planius mentem, hunc principale naturae regimen ac numen credere decere.* Seneca ad Marciam, *cap.*

officiis, non nisi post multa saecula certa lege temporum conuenire: uestra tam libera est et beata maiestas, ut in summis rebus generis humani nihil uobis necesse sit, nisi uestrae parere pietati. Ceterum, si quis ad humana respiciat, quanto magis magnitudo uestrae felicitatis appareat? Homi- 3

cap. 18, dicit, *mundum indefatigata caelestium officia uoluere*. Ceterum Liuineius pro particula, *quia*, forte pronomen, *qui*, reponendum putauit; sed nulla opus est correctione; cum Mamertinus his uerbis rationem reddere uoluisse uideatur, cur sol et luna non nisi post multa saecula conueniant. S.

XIII, 2. *post multa saecula — — conuenire*:) Lunam et solem interdum conuenire oportet; siquidem lunae orbis solarem intersecat in duobus punctis, quae lunae nodi appellantur; tuncque est eclipsis solis, cum luna in iis punctis inuenitur. Quia autem illa ipsa puncta sunt mobilia, raro fit, ut in eodem caeli puncto haec duo sidera conueniant. B.

Ergo Mamertinus, quantum iudicare possumus, uel non nisi accuratissimam Solis et Lunae conuentionem in alterutro nodorum, quae omnino rarissime accidit, in animo habuit, tanquam legum astronomicarum peritus; uel curriculum alicuius anni maioris respexit; de cuiusmodi *annis magnis* uaria tradidit Censorinus, *de die natali, cap. XVIII.* u. g. *Est praeterea annus, quem Aristoteles maximum potius, quam magnum, appellat; quem Solis, Lunae, uagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur.* S.

XIII, 2. *uestra tam libera* etc.) Quidam libri habent, *tamen*, ita quidem, ut uel excludant illud sequens, *tam*, uel utramque particulam coniungant: *uestra tamen tam libera* etc. uerum, cum *tamen* ortum uideatur ex *tam*, illud *tamen* haud inuiti dimittimus. S.

XIII, 2. *nisi uestrae parere pietati.*) i. e. uestra tam libera est maiestas, ut nihil uobis necessarium sit, nisi obsequi instinctui pietatis uestrae, et amoris mutui. S.

XIII, 3. *appareat?*) Malimus legere, *apparet*; nisi, *appareat*, per *modum potentialem*, qui cum interrogatione coniunctus aliquid futuri sapit, explicetur, *apparere queat.* S.

Homines priuatis rebus intenti ita plerumque propriis difficultatibus implicantur, ut omnino uacent aditu ſuorum. Vos, tanta reipublicae adminiſtratione

XIII, 3. *ut omnino uacent aditu ſuorum.*) Hanc lectionem omnes editores, qui nobis innotuere, hucusque excudendam curarunt, praeter unum Cellarium. Ea uero ſatis congruit ſententiae oratoris, ſi uerbum quidem, *uacare*, pro *carere*, accipias, uti e. g. Liuius dixit, *armis et milite uacare*. Id uero Mamertinus uoluit dicere: Priuati homines rebus ſuis intenti plerumque tot tantisque negotiis et difficultatibus impediuntur, ut, dum nolunt rei ſuae familiari aliquid impendii afferre, *uacent*, i. e. *careant*, aditu amicorum ſuorum, eosque occupati non facile admittant: Vos Imperatores e contrario, inter incredibiles imperii curas atque expeditiones, tantum animis ac fortuna ualetis, ut in unum conuenire poſſitis, nihilo minus orbe ſecuro, et ſine detrimento reipublicae. Primus, ſaltem in notis, hanc lectionem in dubium uocare auſus eſt Valent. Acidalius, qui aduerbium negandi his uerbis ita inſerendum exiſtimauit: *ut omnino non uacent aditu ſuorum.* Gruterus, pariter in *notis*, de hac correctione ita ſentit: *Immo contra ſit: occupati non admittimus promiſcue omnes. An fuit primitus:* ut minime uacent aditu. At Gruterus fortaſſe ſcribere uoluit, aut certe debuit: *aut maxime uacent aditu ſuorum.* Cellarius uero primus in contextum recepit Acidalii coniecturam: *ut omnino non uacent aditu ſuorum.* Verum haec lectio locum habere non poteſt, niſi quis ſtatuat, uerbum, *uacare*, tunc poni pro *nauare*, ſiue *operam dare*, adeoque ſic caſum ſextum nominis, *aditu*, in tertium, *aditui*, mutandum eſſe. Vtcunque uero eſt, particula negandi, *non*, nullius antiquioris codicis ſuffragio adiuuatur. Vnde et Patarol recte retinuit lectionem uulgatam; quam etiam in codice MS. diui Marci inuenit. Sed reticere non poſſumus, in noſtro codice aliam uarietatem, eamque primo adſpectu ſatis monſtroſam, deprehendi, in qua tamen uerior lectio latere poſſe uideatur. Legimus enim ibi: *ut omnia euocarent aditu ſuorum.* Quam lectionem etiam Liuineius e codice Bertinienſi, et Gudius in altero libro, neque minus Claud. Puteanus, annotarunt. Inter quos Puteanus e ueſtigiis huius corruptae ſcripturae ſic legit: ut *omni aeuo careant aditu*

miniſtratione ſuſcepta, quos huc atque illuc tot urbes, tot caſtra, tot limites, tot circumiecta Romano imperio flumina, montes, litora, uocant, tantum animis ac fortuna ualetis, ut in unum conuenire poſſitis, nihilo minus orbe ſecuro. Neque enim pars ulla terrarum maieſtatis ueſtrae potentia caret, etiam cum ipſi abeſſe uideamini.

XIV. Ne tantulum quidem barbarae nationes audent animos attollere, quod uos in interiorem

aditu ſuorum. Illud, *omni aeuo*, minus placet; potuit enim ex uoce, *omnino*, naſci, ſi rudis librarius ultimam ſyllabam *no*, pro *uo*, habuit, eamque ſequenti uerbo aptauit. Nos itaque potius ex illa deprauata ſcriptura haec eruamus uerba: *ut omnino careant aditu ſuorum.* Ille uero *carere aditu aliorum* recte dici poteſt, qui non facile poteſt, aut ſe non patitur, adiri: prout dixit Ouidius, *lib. III Metam. u. 225: Ea turba cupidine praedae Per rupes, ſcopulosque, adituque carentia ſaxa; Qua uia difficilis, quaque eſt uia nulla, feruntur.* Hinc uero intelligimus, huius pariter, atque uulgatae, lectionis, unam eandemque eſſe ſententiam, adeo, ut difficilis ſit optio, utra, tanquam prima et genuina, ſit aſſumenda: cum alterutra non niſi ex gloſſa extitiſſe uideatur, quando uel ſupra uocem, *careat*, in ſpatio interlineari, *uacet*; uel ſupra uocem *uacet*, ſcriptum fuit *careat*. Nobis arrideret, *careat*; niſi uerbo, *uacet*, auctoritas plurium librorum faueret. S.

XIII, 5. *maieſtatis ueſtrae potentia*) Haec lectio omnibus libris uulgata: at in noſtro codice pro *potentia*, expreſſis ſingulis literis, ſcriptum eſt, *praeſentia.* Quod nomen, prope abfuit, quin arripuerimus. In altero Gudii libro ex alio quodam codice MS. per compendium ſcripturae cum ſuperiore lineola annotatum eſt, *phtia*; ex quo facile intelliges, unde contigerit, ut in alios libros, *potentia*, in alios, *praeſentia*, manarit. S.

XIV, 1. *in interiorem imperii ueſtri ſinum ſeceſſeritis;*) Vulgo editum eſt: *in interiora imperii ueſtri ſeceſſeritis.* Recte ferri poſſit haec lectio, prout et Curtius, *lib.* IV, *cap.* IX, 1. de Dario dixit: *an interiora regni ſui peteret.* Sed orator

rem imperii uestri sinum seceſſeritis; quin immo ipsi magis in uobis fiduciam pertimeſcunt, quod
2 se contemni sentiunt, cum relinquuntur. Itaque illud, quod de Ioue uestro cecinit poëta Romanus, PLENA IOVIS OMNIA ESSE; id scilicet animo contemplatus, quamquam ipse Iupiter summum caeli uerticem teneat, supra nubila, supraque uentos, sedens in luce perpetua, numen tamen eius ac mentem toto infusam esse mundo;

orator etiam recte dicere potuit: *in interiorem imperii uestri sinum.* Sic ipse Cicero, *de prouinciis consular. cap. 2: Theſſalonicenſes, poſiti in gremio imperii noſtri, relinquere oppidum, et arcem munire, coguntur.* Idem, *in Piſonem, cap. 37: Aetolia, quae procul a barbaris disiuncta gentibus, in ſinu pacis poſita, medio fere Graeciae gremio continetur.* Et *pro Coelio, cap. 14: cum Q. Metellus abſtraheretur e ſinu gremioque patriae* etc. Sic Italia recte dicitur Mamertino *interior ſinus imperii*, quo ex limitibus Imperii, quibus praecerant, tunc conuenerant Diocletianus et Maximianus. Hanc autem lectionem nobis ſuggeſſit codex noſter; quam etiam in Bertinienſi codice obſeruarat Liuineius, et ex alio iam edidit Cuſpinianus. S.

XIV, 2. *cecinit poëta Romanus,*) Scilicet Virgilius; *Eclog. III, u. 60: Iouis omnia plena.* S.

XIV, 2. *mentem toto infuſam eſſe mundo;*) Haec itidem ex Virgilio hauſiſſe uidetur Mamertinus. *Lib.* enim VI *Aen. u. 726: Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus Mens agitat molem, et magno ſe corpore miſcet.* At rectius, ſecundum hunc poëtam, dicturus fuiſſet orator: *mentem* (nempe Iouis,) *per totum infuſam eſſe mundum.* Aut, prout loquitur Cicero, *lib. I de diuin. cap. 52: Vis quaedam ſentiens, quae eſt toto confuſa mundo.* Idem, *lib. I de natura deor. cap. XI: Quomodo porro deus iſte, ſi nihil eſſet, niſi animus, aut infixus, aut infuſus eſſet in mundo?* Schonhouius ferre non potuit uulgatam lectionem, *toto infuſam mundo*, opinatus, reſcribendum, *toti infuſam mundo.* Atque sane ita haec uerba edidit Cuſpinianus. Sed nolumus reiicere uulgatam lectionem, rati, *toto mundo*, non esse caſum tertium,

mundo; id nunc ego de utroque ueſtrum audeo praedicare: ubicumque ſitis, in unum licet palatium conceſſeritis, diuinitatem ueſtram ubique uerſari, omnes terras, omniaque maria plena eſſe ueſtri. Quid enim mirum, ſi, cum poſſit hic mundus Iouis eſſe plenus, poſſit et Herculis? 3 4

XV. Admonet me et temporis et loci ratio, et maieſtatis tuae reuerentia, ut finem dicendi faciam; quamquam de felicitate ueſtra tam pauca dixerim, et tam multa reſtent. Sed, ecce, ſuggerunt: 2

tium, ſed ſextum; atque aeque ita dici poſſe, ac Mamertinus ſupra, *cap.* X, 4: *tota Italia clarior lux diffuſa.* Eodem prorſus modo locutus eſt auctor incertus panegyrici Conſtantino Aug. dicti, *cap.* XXVI. ubi alloquitur Iouem: *Siue in te quaedam uis mensque diuina eſt, qua toto infuſus mundo omnibus miſcearis elementis* etc. S.

XIV, 4. *cum poſſit hic mundus Iouis eſſe plenus, poſſit et Herculis?*) Vide, quanta haec adulatio! Vult dicere, uti mundus ſit plenus maieſtate et diuinitate Dioclctiani Iouii, ad inſtar ipſius Iouis; ita eum etiam plenum eſſe poſſe eadem maieſtate Maximiani Herculei, ad inſtar Herculis. S.

XV, 2. *Sed, ecce, ſuggerunt:*) Haec ſana eſt lectio, quae in codice noſtro diſerte, et integris literis, ſic exprimitur. Antehac in omnibus editis exemplaribus, praeter Baunii et Pataroli libros, legebatur: *Spiritum ecce ſuggerunt.* Verum audiamus Liuineium, quomodo ex inertia librariorum orta ſit haec corruptela. *Mirum*, inquit, *et inſolens mendum; ſed admirationem ſuſtulit, quod pro uoce* ſpiritum *in codice Bertinienſi offendi,* S3. *compendio ſcriptum*, (i. e. Sed) *Cui ſcripturae admodum uicina, quam in ueteribus libris obſerues,* Sp3. *id* ſpiritum *ualet. Mox*, ſuggerunt, *utcunque excuſari poſſit, et* auditores *ſubaudiri, ut Grammatici loquuntur; mihi tamen* ſuggeritur *placet. Infra mox:* Illud uero, non ſuggeratur licet, dicam, *et quae ſequuntur.* Quae poſterius Liuineius addit de uerbo, *ſuggeritur*, haec ei condonamus. Retinemus, *ſuggerunt:* nam eadem ellipſis hic locum habere poteſt, quae obſer-

runt: adhuc potes dicere de ſalubritate temporum, et fertilitate terrarum! Reuera enim, ſacratiſſimi Imperatores, ſcimus omnes, ante, quam uos
3 ſalutem reipublicae reddideritis, quanta frugum inopia, quanta funerum copia fuerit, fame paſſim morbisque graſſantibus. Vt uero lucem gentibus extuliſtis, exinde ſalutares ſpiritus iugiter manant. Nullus ager fallit agricolam, niſi quod ſpem
4 ubertate ſuperat. Hominum aetates et numerus augen-

obſeruatur in uerbis, *aiunt, dicunt, ferunt, perhibent*; ſcil. homines, alii, quidam, auditores, etc. *Suggerere* autem hoc loco eſt, commonefacere, ſeu facere, ut alicui ueniat alicuius rei in mentem, ſeu ſubiicere alicui aliquid in memoriam. Sic Cicero, *lib. II de finibus cap. 14: Si memoria forte defecerit, tuum eſt, ut ſuggeras.* Ceterum pro, *Sed ecce ſuggerunt*, Patarol. edidit: *Et ecce ſuggerunt*; quod inuenit in codice MS. *Diui Marci.* Satis omnino bene: nos tamen interim fauemus ſcripturae codicis noſtri, et indicio Liuineii; cum inprimis etiam in utroque libro Gudii, *Sed* pro *Et*, ac *Spiritum*, annotatum animaduertamus. S.

XV, 2. *adhuc potes*) Hoc *potes*, loco uulgati, *poteſt*, adſciuimus e codice noſtro; quanquam id etiam prodiderint Baunius et Patarolus, idemque proferat Liuineius, et prior Gudii liber. S.

XV, 3. *Reuera enim,*) Particulam, *enim*, habet noſter codex, et quidam alii, haud ſecus, ac in numero multitudinis, *ſacratiſſimi Imperatores*, S.

XV, 3. *reddideritis,*) Aliquot libri et codices ſcripti habent, *redderetis.* Aliquanto inferius, pro, *copia fuit*, olim ſcriptum fuiſſe, *copia fuerit*, arbitramur. S.

XV, 3. *Vt uero lucem gentibus extuliſtis,*) Quaſi ex caelo, ut ſidera, nouam lucem atque felicitatem extuliſtis, et in alto conſtituiſtis gentibus, imperium ſuſcipiendo. C.

XV, 4. *Hominum aetates et numerus augentur.*) Sunt, qui ſolicitent nomen, *aetates.* Rhenanus putat, forſan legendum, *aetas et res.* Sed de augmento rerum mox agit Mamertinus; qui de induſtria numero multitudinis, *aetates*, uſus eſſe uidetur, ut ſignificaret, horum Imperatorum aeuo plures homines, et ſenes,

augentur. Rumpunt horrea conditae meſſes, et tamen cultura duplicatur. Vbi ſiluae fuere, iam ſeges eſt: metendo et uindemiando deficimus.

XVI. Illud uero, non ſuggeratur licet, quoquo modo dicam, antequam deſinam: tantam eſſe imperii ueſtri felicitatem, ut undique ſe barbarae nationes uiciſſim lacerent et excidant; alternis dimicationibus et inſidiis clades ſuas duplicent et inſtaurent; Sarmaticas ueſtras, et Raeticas, et Transrhenanas, expeditiones, furore percitae in ſe imitentur. Sancte Iupiter, et Hercules bo- 2
ne, tandem bella ciuilia ad gentes illa ueſania dignas tranſtuliſtis, omnemque illam rabiem extra

ſenes, et uegetos, et adoleſcentes, uiuere. Pro, *augentur*, quidam libri habent, *augetur*. S.

XV, 4. *metendo et uindemiando deficimus.*) i. e. tot frugibus metendis, et uindemiandis uuis, non ſufficimus, nimio labore defeſſi. Vulgo editum eſt, *defecimus*; ſed Puteanus teſtatus eſt, ſe in uetere codice legiſſe, *deficimus*; idemque tempus huius uerbi etiam Gudius ex alio codice annotauit. S.

XVI, 1. *Illud uero, non ſuggeratur licet, quoquo modo dicam,*) Intermedia uerba quodammodo tranſpoſita offendit Liuineius in ueteribus ſchedis Car. Langii, *licet non ſuggeratur*. i. e. Illud uero licet mihi non aliorum hominum monitu ſuppeditetur, aut in memoriam ſubiiciatur, quomodocunque tamen dicam. Pro, *quoquo modo*, non nulli libri habent, *quomodo*, aut prorſus utrumque omittunt. At particula, *quomodo*, uix locum habere poteſt, niſi per interrogationem pronuntietur. Bene Gruterus: *Suſtulerim interrogatoriam notam, geminatoque*, quo, reſcripſerim: — *licet, quoquo modo dicam, antequam deſinam.* S.

XVI, 2. *gentes illa ueſania dignas)* Rectius et argutius pronomen, *illa*, admittitur, ut referatur ad nomen, *ueſania*; quam, *illas*, quaſi ad *gentes* pertineret, quod antehac uulgo legebatur. *Illa*, Liuineius e coniectura; Gudius in utroque libro e co-

cibus

terminos huius Imperii in terras hostium distuli-
3 stis. Etenim, quod ait ille Romani carminis primus auctor: a sole exoriente ad usque Maeotis paludes; id nunc longius longiusque protendere licet, si quis hostilem in mutua clade uesaniam toto orbe percenseat. Etenim ab ipso solis
4 ortu

dicibus MSS. annotauit, atque iam Cellarius et Patarol euulgarunt. Gruterus ad h.l. *Belle Liuineius*, illa; *et sic ante ipsum coniecerat item sagacissimus Puteanus.* S.

XVI, 3. *Romani carminis primus auctor:*) i. e. Ennius; cuius hos uersus Hier. Columna in *Ennii fragmentis*, *pag.* 163, refert, tanquam epigramma in Scipionis Africani tumulum: *A sole exoriente supra Maeoti paludes, Nemo est, qui facteis me aequiparare queat.* Eosdem uersus excitauit Cicero, *lib.* V *Tuscul. disput. cap.* 7. *Maeotis* habet in casu secundo *Maeotidis*, et *Maeotis*; hoc loco per archaismum poeticum, *Maeoti*; neque opus est, ut cum non nullis legamus, *Maeotidas.* In editionibus antiquis errore ridiculo excusum est: *Romani criminis auctor.* S.

XVI, 3. *ad usque*) F. usque ad. *Liuin.*

XVI, 3. *longius longiusque protendere*) Contrarium supra: *propius propiusque.* De hoc elegantissimo loquendi modo uidendus Ian. Guilielmus, in Quaestion. Plautinis. *C. Rittershusius.*

XVI, 3. *si quis hostilem in mutua clade uesaniam toto orbe percenseat.*) Videtur legendum Puteano, *in mutuas clades*; non male. Hanc uarietatem etiam Gudius in libro primo annotauit. S.

XVI, 4. *ab ipso solis ortu non modo, ac citra Maeotin, sub extrema septemtrionis plaga,*) Codex noster, pro *ac*, habet *hac*, ex errore librarii: quanquam illud, *hac*, olim omnes ediderunt, praeter Patarolum, qui, cum animaduerteret, *hac*, haud congruere huic loco, illud prorsus praetermisit, et ex Liuinei coniectura pro *citra*, recepit, *circa.* Nos autem, pro *hac*, ex Duacensi editione reponimus, *ac*; et ex omnium ceterorum librorum consensu, *citra*, retinemus: quoniam id pro, *supra*, quod in ipsius Ennii uersu est, positum, ac, secundum structuram grammaticam ista uerba ita ordinanda esse, existima-

ortu non modo, ac citra Maeotin, ſub extrema

 ſeptem-

mamus: *Etenim, non modo ab ipſo ſolis ortu, ac citra Maeotin*, etc. At neque illud reticemus, in noſtro codice legi: *Etenim in ipſo ſolis ortu*: quam lectionem Gudius quoque aliunde libro alteri alleuit. S.

XVI, 4. *Etenim ab ipſo ſolis — Danubius euoluit,*) Locus uexatus, et a Schwarzio, ut mihi quidem uidetur, non ſatis recte explicatus. Adſentior ei de mutatione τοῦ *hac* in *ac*: qua ratione autem *citra* poſitum eſſe poſſit pro *ſupra*, non intelligo: dicendum potius fuiſſet *ultra Maeotin*. Nec illud nos turbet, quod orator ſubiicit, *ſub extrema ſeptemtrionis plaga*. Quis enim neſcit, Naſonem u. g. de terra Tomitana, aliosque Romanos de regionibus hisce ita eſſe locutos, quaſi Maenalis urſa proxime eas adſpiceret? Non inſerenda eſt igitur copula *et*, ſed *qua feruidum caput Danubius euoluit*, haec uerba referenda ſunt ad *extremam ſeptemtrionis plagam*, ut ita gentes, oſtia Danubii accolentes, deſignentur. *Caput* enim hic pro *oſtio* poſitum eſſe puto, ut in Caeſ. B. G. 4, 10. Rhenus multis *capitibus* in Oceanum influere dicitur. Si *caput* h. l. *fontem* Danubii ſignificaret, non uideo, quomodo Mamertinus potuiſſet dicere, omnes ſub his plagis populos, *quibus numquam contigit eſſe Romanis*, ruere in ſanguinem ſuum. Rauricis enim, aliisque circum Abnobam montem populis iam pridem Romanis eſſe contigerat. *Iaeg.*

XVI, 4. *ſub extrema ſeptemtrionis plaga,*) Non capio. Nam Danubius oritur in parte quin immo Meridionali Germaniae, ex monte ſcilicet Abnoba, ac Silua Nigra in Sueuia: inde quidem poſtquam Auſtriae Viennam alluerit, in Septemtrionem fertur per Hungariam, ſed et rurſum in meridiem labitur, ac uerſus ortum tandem in Euxinum Pontum ad Beſſarabiam effluit per ſex oſtia. Non igitur ſub extrema ſeptemtrionis plaga Danubius eſt; ſed ita non rigoroſe a noſtro dictum erediderim. *Patarol.*

Auſi huius loci interpretationem leui adminiculo adiuuare, ante uerba, *qua feruidum caput*, copulam, *et*, poſuimus, quae facile excidere potuit; hac uero reſtituta, *Danubius* non neceſſario ad extremam ſeptemtrionis plagam referendus eſt; ſed Mamertinus ſaltem dicere uidetur, inter alios etiam populos originem Danubii accolentes in ſanguinem ſuum ruiſſe. S.

ſeptemtrionis plaga, qua feruidum caput Danubius euoluit, quaque horridus ſecat Albis Germaniam; ſed etiam ſub ipſo lucis occaſu, qua Tingitano litori Calpetani montis obuium latus in mediterraneos ſinus admittit oceanum, ruunt omnes

XVI, 4. *qua feruidum caput Danubius euoluit,*) Alias, *caput*, fons eſt fluminis. Quid uero Danubii fons commune cum Maeoti habet, cuius oſtiis potius haec palus eſt propinquior? Sit *caput* ergo uis ac copia aquarum; interpretorque *euoluit*, per oſtia effundit. Sic Plinius, *lib. IV, cap.* 12, *ſect.* 24: *Danubius in Pontum uaſtis ſex fluminibus euoluitur.* Virgilius, *Aeneid. V, uerſ.* 807: — — *reperire uiam, atque euoluere poſſet in mare ſe Xanthus.* Hucusque Cellarius. Sed, quid opus eſt ambagibus? Verba haec: *qua feruidum caput Danubius euoluit*, breuiter ſic explico: qua, ſiue qua ex parte, Danubius oritur. Etſi enim alibi fluuii dicuntur ſe euoluere, i. e. influere, in mare: cum tamen uerbum, *euoluere*, proprie et generatim dicatur de loco uoluere; quid mirum, ſi et Danubius, orions ex fonte, dicatur *caput euoluere*, ſiue *exſerere*, et *profluere*? Nihil uero aliud Mamertinus in hac tota lectione dixit, quam tantam eſſe imperii Diocletiani et Maximiani felicitatem, ut exterae barbaraeque gentes, non modo in oriente, ac citra Maeotin ſub extrema ſeptemtrionis plaga, et ad originem Danubii, et circa Albim in Germania, habitantes; ſed etiam in occidente Hiſpaniam Africamque accolentes, ciuilibus bellis in ſe inuicem faeuiant. S.

XVI, 4. *Albis*) In codice noſtro ſcribitur *Alba*. S.

Quod et Liuineius in ueteri ſuo codice et Bertinienſi inuenit. *Lag.*

XVI, 4. *Tingitano litori Calpetani montis obuium latus*) Antehac in omnibus libris legimus: *qua Tingitanum litus Calpetano monti obuium latus in mediterraneos ſinus admittit Oceanum.* Sed tunc naſcies, quid cum uoce, *latus*, facias, niſi eam in aduerbium, *latius*, conuertas. Adſciui igitur eam ſcripturam, quam Gudius e codicibus MSS. in utroque libro annotauit; et quam etiam confirmat codex noſter, niſi quod in nomine *Calpetani* uitium admittat. Ibi enim ſcriptum eſt: *ſed etiam ſub ipſo ſolis occaſu, qua Tingitano litori Scalpitani montis obuium latus in mediterraneos ſinus admittit oceanum.* S.

omnes in ſanguinem ſuum populi, quibus numquam contigit eſſe Romanis, obſtinataeque feritatis poenas nunc ſponte perſoluunt.

XVII. Furit in uiſcera gens effrena Maurorum; Gothi Burgundios penitus exſcindunt.

XVII, 1. *gens effrena Maurorum;*) Codex noſtet habet, *Gens effera*: non quidem male; ſed nondum tamen abiicienda eſt lectio uulgata. Virgilius, *lib.* III *Georg. u.* 382: *Gens effrena uirûm.* i. e. Seruio interprete, *ſaeua, rectorem recuſans.* *Mauri*, (unde nomen Germanicum, *die Mohren,*) populi, qui Africam incoluere, cum in Mauritania Caeſarienſi, uerſus meridiem, tum in Mauritania Tingitana, uerſus occidentem. S.

XVII, 1. *Gothi Burgundios penitus exſcindunt.*) Hi Burgundii Hadriano Valeſio, *lib. I Rerum Franc. p.* 50, diuerſi fuiſſe uidentur a Burgundionibus Germanis, Galliae inuaſoribus: gens uidelicet Scythica, trans Danubium in Sarmatia Europaea ſedem habens, *Vrugundi* a Zoſimo dicti, *lib.* I *cap.* 27 et 31; ideoque, qui ſequuntur *Alamani*, corruptum uocabulum eſſe ratus, in *Alanos* uult conuerſos. C.

Idem Valeſius tradit ad Ammianum Marcellinum, *lib.* XXVIII, *cap.* V, ubi, dum attigit hunc locum, notauit, Mamertinum *Burgundiones* a *Burgundiis* aperte diſtinxiſſe: hos, quos Gothi exſciderint, et pro quibus uictis in Scythia armati fuerint Alani, dictos eſſe *Burgundios*; eos uero, qui Alamanorum agros occuparint, audiiſſe *Burgundiones*; atque adeo Mamertinum diſtinctis locis de his populis diſtinctis egiſſe. Non caret omni ueriſimilitudine haec ſententia; neque incredibile eſt, *Gothos*, ſiue *Gothos*, ſiue *Gotunos*, quos pro uno populo habet Cluuerius, *lib.* III *Antiqu. Germ. cap.* 34; et quorum antiquae fuere ſedes in ſeptemtrionis regionibus, Gothia cumprimis et Scandinauia, non ſolum in Pannoniam, Moeſiam, et Daciam, ac tandem in ipſam Italiam, Galliam, et Hiſpaniam, ſe diffudiſſe; ſed ex parte etiam ſupra Maeotin ad Tanaim usque proceſſiſſe, ubi *Alani*, priusquam, relicto Tanai, ad Danubium diſceſſerant, ſedes ſuas habuere: quia, teſte Ioſepho, *lib.* VII *de bello Iudaico*, *cap.* 29, Alanorum natio

Rurſum pro uictis armantur Alamani; itemque Theruingi, pars alia Gothorum, adiuncta manu

natio Scythae fuere, iuxtá flumen Tanain et Maeotin lacum habitantes. At enimuero, illud diſcrimen inter *Burgundios* et *Burgundiones* neutiquam eſt perpetuum, cum utroque nomine promiſcue deſignetur idem Germaniae populus, ex Vindilorum, ſiue Vandalorum, ſanguine ortus, a *Burgis*, ſiue praeſidiariorum caſtris, appellatus, Alamanis confinis, et poſtea in Gallias infuſus. Immo fieri potuit, ut ab initio etiam hoc loco apud Mamertinum, nomen *Burgundiones* extiterit, quod uero per compendium ſcriptum, *Burgundiõs*, librarii deinceps in *Burgundios*, et *Burgundos*, mutauere. Nomen autem *Alanorum* nullus prorſus liber hoc loco exhibet; ſed *Alamani*, ſiue *Alemanni*, ubique leguntur, qui tunc pro uictis *Burgundiis* armati fuiſſe, ſiue iis opem tuliſſe, dicuntur. Neque obſcurum eſt, *Burgundionibus Germanis* uicinos fuiſſe *Alamanos*. Inde enim Marcellinus, l. c. dixit, *Burgundios, ſalinarum finiumque cauſſa Alamanis ſaepe iurgaſſe;* et *lib.* XVIII, *cap.* 2, ait, *terminales lapides Alamanorum et Burgundiorum confinia diſtinxiſſe.* Quae cum ita ſint, Valeſii coniectura atque emendatione dimiſſa, aut certe ſuſpenſa, retinemus lectionem uulgatam. Bene Beatus Rhenanus, *lib. I rerum German. p.* 41, ubi narrat, Alemannos in Germania inter Moenum, Rhenum, et Danubium, iuxta ſiluam Martianam nouas ſedes fixiſſe: *Argumento nobis eſt*, inquit, *etiam Alemannos a ſeptemtrione ueniſſe; quod, cum Gothi Burgundiones adhuc in ſuis ſedibus agentes exſcinderent, Alemanni profligatos reſtituere uoluerunt, non hoc facturi, niſi aliquid uel amicitiae, uel foederis, inter ipſos interceſſiſſet, ex ueterum fortaſſis ſedium uicinia.* Ceterum, pro *exſcindunt*, non nulli libri habent, *excidunt*. S. XVII, 1. *Theruingi, pars alia Gothorum,*) Difficile eſt, harum omnium gentium, quas commemorat Mamertinus, origines ſedesque ſatis demonſtrare. Recte animaduertit Barthius, *lib.* VI *Adüerſar. cap.* 29, in crebris migrationibus populorum iſtorum ſeptemtrionalium, cum quique, aut familia, aut incolae antea unius loci, iunctim mearint, nomina ſingularia ſibi a fortibus facinoribus, aut ſpecie agminis, aliaue de cauſſa, impoſuiſſe, quae poſtmodum ſeruarint nepotes. *Theruingi,*

in

nu Thaifalorum, aduerſum Vandalos Gipedesque

con-

in codice noſtro *Teruingi;* in libris impreſſis Puteolani, Cuſpiniani, Nauii, et Gruteri, *Teruigi;* apud Henr. Stephanum, *Teruigii*, ſcribuntur. Per hos populos Barthius l.c. intelligit *Thuringos*, quaſi a *theur Theuringos* dictos, i.e. caros, et propter fortitudinem pretioſos ac glorioſos. Eos ex Gothis ortos eſſe, indicat Mamertinus, cui dicuntur *pars alia Gothorum;* ubi uox, *pars*, perperam omiſſa eſt in Cuſpiniani editione. S.

XVII, 1. *adiuncta manu Thaifalorum,*) Iſtos, de quibus diximus, *Theruingos*, undecunque demum nomen inuenerint, non ſolum Mamertinus, ſed etiam Eutropius, *lib.* VIII, *cap.* 2, coniungit cum *Thaifalis*. *Daciam*, inquit, *Decebalo uicto, ſubegit Traianus, prouincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc* Taiphali, *et Victophali*, et Theruingi, *habent*. Ex quibus uerbis colligimus, *Theruingos* et *Thaiphalos*, poſt Traiani tempora circa Daciam, inter Danubium ac Sarmatas regionem, loca finitima coluiſſe. *Thaiphalos* Ammianus Marcellinus, *lib.* XVII, *cap.* 31, cum Moeſia, Daciae proxima, coniungit. Atque idem, *lib.* XXXI, *cap.* 9, narrat, Gothorum optimatem, Farnobium, duxiſſe *Taifalos*, nuper in ſocietatem adhibitos. Aurel. Victor, in *Epitome, cap.* XXXXVII, tradit, *Gothos Taiphalosque*, ſub Gratiano Imperatore, Thraciam Daciamque, tanquam *genitales terras*, poſſediſſe. Zoſimus, *lib.* II, *cap.* 31, *Thaiphalos* uocauit *Scythicam nationem*. Atque idem, *lib.* IIII, *cap.* 25, refert, tunc ingentes copias Transiſtrianorum Scytharum, Gothorum nempe, et *Taiphalorum*, et aliarum gentium, Iſtrum transieciſſe, Thraciamque occupaſſe. Vbi non tam Scythia Aſiatica, quam Moeſiaca, eſt intelligenda; dum poſteriorum Imperatorum temporibus pars inferioris Moeſiae Scythia eſt dicta, et prouinciis Thraciae annumerata. Vid. Cellar. *Geograph. antiq.* T. I, p. 570, et 593. Nomen, *Taiphali*, uarie ſcribitur, u. g. *Thaiphali*, *Taifali*, *Taifoli*. Barthius, l. c. nihil dubitat, quin et haec gens fuerit Germana, eiusque nomen malorum geniorum Germano nomini (*Teuffel*) originem debeat: quod uidelicet non aliter hoſtibus tractandis ſaeuire conſueti, uel iactationis loco uideri uoluerint, quam cacodaemones ueri. Neque nobis id mirum uideri poteſt, ſi recogitemus, quae apud Rhenanum, *lib.* I *rerum Germ. pag.* 41, legimus. *Noſtra aetate*, inquit, *militum manus*

in

2 concurrunt. Ipſos Perſas, ipſumque Regem, adſcitis Sacis, et Rufiis, et Gelis, petit frater Ormies,

in inferiori Germania ſe Diabolos *appellarunt, ad incutiendum terrorem iis, aduerſum quos mittebantur. Veſtes erant nigrae, haſtae nigrae, uultus ipſi nihilo candidiores.S.*

XVII, 1. *Thaifalorum,)* Si nomen mali daemonis germanicum originem debet (ut certe uidetur,)graeco,latinoque *diabolus*, non facile cuiquam probabitur Barthii notatio. Vix enim credibile eſt, illis iam temporibus uocem *diabolus*, quae cum Chriſtianae demum religionis notitia ad Germanos potuit peruenire, ita cognitam, uſuque tritam fuiſſe, ut tota gens aliqua eam ſibi, ut proprium nomen, adſciſceret. Parilis fortaſſe eſt originationis τὸ *Thaifali* cum *Victofalis, Oſtfalis, Weſtfalis.* *Iaeg.*

XVII, 1. *Vandalos Gipedesque)* Vandalos in Germania ad Codanum ſinum ponunt, unde per uarias terras uagati ſunt. *Gipedae*, ſeu *Gepidae*, Γηπαίδες, Procopio, *Vandal.* I, 2, gens Gothica, quae cum Gothis deinde Daciam ueterem inſedit; inde *Gepidiam* Iornandi dictam, *rerum Get. cap.* 12; cui populus *Gepidae* nominantur. C.

Vandalos, ſiue *Vindilos*, inter prima et uetuſtiſſima Germanorum genera recenſet, et originem Gothorum atque Burgundionum ad ſtirpem Vandalicam refert Plinius, *lib.* IIII, *cap.* 28. Vulgo creduntur ſic appellati quaſi *Wandler*, h.e. migrantes. Hos *Bandalos* in hoc Mamertini loco Nauius expreſſit; librarius autem in noſtro codice ſcripſit *Blandalos*. Quod ad *Gipedes* attinet, etiam Iornandes, *cap.* 17, eos pro Gothorum conſanguineis habet. Iſidorus, *lib.* VIIII *orig. pag.* 1042; *Gipedes*, inquit, *pedeſtri praelio magis, quam equeſtri, ſunt uſi, et ex hac cauſſa ita uocati.* Nomen ergo Germanicum nobis uidetur, a uerbo adhuc uſitato, *gehen*, ire, et a Celtica uoce, *ped*, uel *pedd*, i. e. pes, *bein;* unde uetus uerbum, *pedden*, i. e. pedibus ire, incedere, in quo etymo non paucae linguae colludunt. Nos hodie huiusmodi milites non uocamus *Beingaenger;* ſed uſitatius, *Fusgaenger.* Iſtorum *Gipedum* regnum temporibus Iuſtini Imperatoris interiiſſe, docet ill. Maſcouius, *lib.* XIIII, *cap.* 3. *von den Geſchichten der Teutſchen.* S.

XVII, 2. *Sacis, et Ruffis, et Gellis,)* Ignota nomina, praeter *Sacarum*, quos Scythas fuiſſe, Mela, *lib.* III. *cap.* VII,

mies, nec reſpicit, uel pro maieſtate quaſi Regem, uel pro pietate quaſi fratrem. Burgundiones 3

VII, tradit. Coluiſſe poſt mare Caſpium dicuntur. C.

Fuere Aſiae populi, qui et ipſi mutua clade ſe attriuerunt. *Sacci* ſcribuntur in codice noſtro, et primis editionibus; alibi *Saci*. Mela, l. c. ubi deſcribit Oceanum Eoum et Indiam: *Scythae*, inquit, *Androphagi et Sacae, diſtincti regione, quia feris ſcatet, inhabitabili*. Plura de *Sacis* collegit Cellarius, *Geogr. antiq. T. I, pag.* 838, *ſeqq.* S.

XVII, 2. *Ruffis et Gellis*,) Feliciter haec emendauit Cruſius, in Probabil. crit. legens: *Rufiis et Gelis*. De Rufiis v. Moyſ. Armen. de Gelis uero, Hyrcaniae populo, Stephan. in v. Γελυς et Dionyſ. in periegeſi v. 1019, atque in eum locum Euſtath. cf. Sammlungen von P. F. *Suhm*, Koppenh. 1771. ubi *Gelos* uel *Gellos* eam regionem, quae nunc dicitur *Ghilan*, incoluiſſe, Caduſiis permixtos fuiſſe, et ſatis diu, ſc. ad tempora usque regum Parthorum libertate uſos eſſe, oſtenditur. *Iaeg.*

XVII, 2. *Ormies*,) Videtur *Ormisda* Eutropii eſſe, *lib.* VIIII, *cap.* 25. Adde ibi Paeanium, ſect. 6. C.

Scilicet Eutropius, l. c. refert, Galerium Maximianum, (qui uero nondum tunc Caeſar adoptatus erat, cum Mamertinus hunc panegyricum recitaret,) cum Narſeo, Ormisdae et Saporis auo, in Armenia maiori pugnaſſe, ſucceſſu ingenti; caſtra eius diripuiſſe, et uxores, ſorores, liberos, et infinitam Perſarum nobilitatem, cepiſſe. Sed intricatior eſt iſtarum rerum hiſtoria, quam ut luculenter poſſit explicari. Interim *Narſes*, ſeu Narſeus, ab anno Chriſti 285 dicitur fuiſſe Rex Perſarum; cui ſucceſſit A. 301 *Hormisdas* II; et A. 309 *Sapores* II. Potuit ergo et alius *Hormies*, ſiue *Ormies*, dictus, cum fratre, Rege Perſarum, infeſte contendere. Equidem Zoſimus, *lib.* III, *cap.* 13, et Amm. Marcellinus, *lib.* XVI, *cap.* 10, commemorant aliquem *Hormisdam*, natione Perſam, *Saporis*, Regis Perſarum fratrem, uel ſecundum Zonaram, Narſei filium, qui a fratre affectus iniuriis ad Conſtantium Imperatorem confugerit; ſed neſcio, an hic ad iſta tempora, quibus Mamertinus hanc orationem habuit, commode referri poſſit? S.

XVII, 3. *Burgundiones Alamanorum agros occupauere*,) Sub initium huius capitis dixerat Mamertinus, *Alamanos*

nes Alamanorum agros occupauere, ſed ſua quo-
4 que clade quaeſitos. Alamani terras amiſere, ſed repetunt. O magnam uim numinis ueſtri! Non iſtae modo aliaeque gentes, uiribus armisque terribiles, fiducia inſtructae ad perniciem immanitatis utuntur; ſed etiam Blemyes illi, ut audio, leui-

manos Burgundiis a Gothis ui oppreſſis auxilio uenire uoluiſſe: nunc ait, *Burgundiones*, (ſi hi iidem ſunt, qui *Burgundii*,) occupaſſe *Alamanorum* agros, quos tamen repetant *Alamani*. Ita ſcilicet Germanae iſtae nationes de ſedibus inter ſe acriter diſceptarunt, facile ex amicitia ad hoſtilitatem prolapſae. Vero ſimile autem eſt, ut ait Rhenanus, cum a Gothis eiecti Burgundii in Germania ſedis inopes uagarentur, eos ad Alamanos, tanquam amicos, conceſſiſſe; ſed cum Alamani gentem potentem recipere noluerint, Burgundiones ui et ferro in Alamaniam, non tamen ſine ſanguine et damno ſuo, irrupiſſe, et aliquandiu illic conſediſſe, usque dum poſtea in Sequanos transierint. S.

XVII, 3. *ſed ſua quoque clade quaeſitos.*) Sic recte haec uerba diſtinguuntur; cum primi editores, Puteolanus, Cuſpinianus, Rhenanus, Nauius, ea obſcurius ita edidiſſent: *Sed ſua quoque clade quaeſitas Alamani* (quidam habent, *Alamania*) *terras amiſere, ſed repetunt.* Nec ſatisfacit Sigonius, qui haec ultima uerba ſic reſcripſit: —— *quaeſitas Alamani terras amiſere quas repetunt.* S.

XVII, 4. *fiducia inſtructae ad perniciem immanitatis utuntur*;) Liuineius, qui participium, *inſtructae*, retulit ad nomen antecedens, *gentes*, maluit pro, *utuntur*, legere, *uertuntur*; quoniam e compendio ſcripturae, *vtuntur*, natum ſit, *utuntur*; idemque *immanitatem* per *Barbariam*, i. e. barbaros populos, interpretatus eſt. Sed nobis nulla mutatione opus eſſe uidetur, ſi participium, *inſtructae*, referamus ad nomen *immanitatis*, atque omnia iſta uerba hunc in modum grammatice ordinemus ac conſtruamus: *Non modo iſtae aliaeque gentes, terribiles uiribus armisque, utuntur fiducia immanitatis inſtructae ad perniciem; ſed etiam Blemyes —— quaerunt arma* etc. S.

XVII, 4. *Blemyes —— leuibus non adſueti ſagittis,*) Blemyes, ſiue Blemmyes, Blemyi, et Blemiae, ab Aegypto uerſus Auſtrum Aethiopibus

leuibus non adſueti ſagittis, aduerſus Aethiopas quaerunt, quae non habent, arma, et paene nudis odiis praelia internecina committunt.

XVIII. Iam de perduellibus ultionem, non armis, non exercitu, capitis, ſicut hucusque feciſtis: iam, inquam, fortunatiſſimi Imperatores, felici-

pibus contermini, ad Nilum ſedes habuere. De hiſce mentionem faciunt Strabo, *lib.* XVII; Mela, *lib.* I, *cap.* 4; Plinius, *lib.* V, *cap.* 8; et Zoſimus, *lib.* I, *cap.* 71. *Patar.*

Etiam Ammianus Marcellinus, *lib.* XIIII, *cap.* 5, *confinia Blemmyarum* ad Nili cataractas ponit; ad quem locum, ſi lubet, uide Valeſium, in notis; ubi praeterea excitantur Dionyſius, *de ſitu orbis*; Procopius, *lib.* I *de bello Perſico*, *cap.* 19; Claudianus de Nilo; Nonnus *lib.* XVII, in fine; quibus addatur Vopiſcus, in *Aureliano*, *cap.* 33, et in *Probo*, *cap.* 17. Illud uero adhuc notandum eſt, hucusque in omnibus exemplaribus haec uerba ita euulgata eſſe: *leuibus modo adſueti ſagittis.* Quae particula, *modo*, mihi mox ſuſpecta uiſa eſt: primum, quia in eadem περιόδῳ parum concinne bis occurrit; deinde, ſi Blemyes iam antea adſueti fuiſſent *leuibus ſagittis*, nulla nobis appareret ratio, cur arma quaeſierint aduerſus Aethiopas, qui potiſſimum ſagittis uſi ſunt; et cur denique Blemyes paene *nudis odiis* praelia commiſiſſe dicantur, quaſi ſagittae nullum iis uſum in *belli* praebere potuiſſent. Ideo uero *nudis odiis* praelia commiſiſſe dicuntur, quia armis aliis deſtituti, non niſi proprie loquendo *manum* cum hoſte *conſeruiſſe* uidentur; quod et antiquiſſimum et acerrimum pugnae genus fuit. Itaque nihil dubitauimus, pro *modo*, particulam negandi, *non*, ex codice noſtro amplecti, tanquam huic loco ſatis congruentem. S.

XVII, 4. *quaerunt, quae non habent, arma,)* Codex noſter, et uetus Liuineii, haec quodammodo transponunt: *quaerunt arma, quae non habent.* S.

XVIII, 1. *fortunatiſſimi Imperatores,)* Codex noſter habet, *fortiſſimi Imperatores.* Quae lectio tunc uidetur huic loco congruere, ſi reſpiciamus uerbum, *uincitis.* Contra, *fortunatiſſimi* dicendi ſunt Imperatores, ſi hoc ἐπίθετον ad *felicitatem* referamus. Interim ſequimur lectionem uulgatam. S.

2 felicitatem uincitis ſoli. Et quid umquam Romani Principes de felicitate ſua praedicari laetius audierunt, quam cum diceretur, hoſtes quieſcere, otio-
3 ſos eſſe, pacem colere? At enim quanto hoc eſt laetabilius ac melius, quod de proſperitate ſaeculi ueſtri certatim omnium hominum ore circumfertur: barbari ad arma concurrunt; ſed inuicem dimi-

XVIII, 2. *Et quid*) In antiquis libris male editum eſt, *Et quod*. Retinemus editorum recentiorum lectionem, quam etiam firmat codex noſter. *Et quid*, hic ponitur pro, *Ecquid*, cum quadam admiratione loquentis. Ita, praeter alios, loquitur Plinius, *paneg. cap.* LIIII, 1: *Et quis iam locus miſerae adulationis manebat ignarus?* S.

XVIII, 2. *otioſos eſſe*,) Puteolanus, Cuſpinianus, Rhenanus, Duacenſis, et Liuineius, euulgarunt, *occiſos eſſe*; at codex noſter, et Bertinienſis, et uetus Liuineii, atque alii libri excuſi, inter uerba, *quieſcere*, et *pacem colere*, melius, nili fallimur, interponunt, *otioſos eſſe*. S.

XVIII, 3. *laetabilius ac melius*,) In codice noſtro, et utroque Gudii libro pro, *laetabilius*, i. e. laetitia dignius, legitur, *laudabilius*; ſed nobis magis probatur uulgata lectio. Vocis iſtius uſum neque ipſe refugit Cicero, *lib.* IIII *Tuſcul. diſput. cap.* 17: *Is eſt ſapiens, quem quaerimus, is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad efferendum, uideri poteſt.* S.

XVIII, 3. *barbari ad arma concurrunt*;) Mira corruptela foedauit in hoc loco libros antiquiores, et ipſum quoque codicem noſtrum. Puteolanus, Rhenanus, Duacenſis, Henricus Stephanus, Liuineius, edidere: — *omnium hominum circumfert Barbaria? Darnia, ſed inuicem dimicaturi uicerunt barbari* etc. Codex noſter habet: *Omnium hominum circumfert barbaria damna. Sed inuicem dimicaturi uicerunt barbari.* Cuſpinianus eadem prodidit, niſi quod poſt uocem corruptam, *Darnia*, inſeruit uerbum ad ſententiam explendam neceſſarium, *concurrunt*. Teſte Lipſio, *lib.* I *epiſtol. quaeſt. epiſt.* XXII, Diuaeus ex ueſtigiis Viennenſis libri reſtituit ueriorem lectionem. Sed et Liuineius, in *notis*, haec breuiter commentatur: *Sententia foede corrupta, quae in L.* (i. e. in Caroli Langii ſchedis) *integra. Sic igitur ibi ſcri-*

dimicaturi! Vicere barbari; ſed conſanguineos ſuos! Tam innumeros uobis, tam nouos, ex omni hoſtium genere ſucceſſus fortuna ſuppeditat, ut iam mihi neceſſe ſit, illa, quae ab initio ſeparaueram, rurſus hic communi laude coniungere, dum tantorum euentuum quaero rationem: FELICITATEM iſtam, optimi Imperatores, PIETATE meruiſtis!

XIX. Optime igitur, quantum arbitror, ſacratiſſime Imperator, haec potiſſima elegi, quae gemi-

ſcribitur: — hominum ore circumfertur: Barbari ad arma concurrunt, ſed inuicem dimicaturi. Vicere barbari, *etc.* Reſtitutam igitur hanc lectionem aſciuerunt Gruterus, Puteanus, de la Baune, Cellarius, et Patarol. Facile autem in ipſis mendis animaduertas ueſtigia melioris lectionis. Inepti enim librarii omnium maxime corrupere has uoces: *barbari ad arma concurrunt.* Primo enim diuiſere praepoſitionem, *ad;* cuius priorem literam, *a*, agglutinauere antecedenti uoci, *barbari;* unde prodiit, *barbaria;* alteram literam, *d*, retulere ad ſequentem uocem, *arma*, in qua literam, *m*, pro *n* et *i*, habuere, unde extitit, *Darnia;* quae uox nihili eſt. At librarius noſtri codicis in eadem uoce, *arma*, duas literas, *rm*, pro *mn*, habuit, atque inde, aſſumta litera *d*, ex *ad*, effinxit, *damna.* Verbum, *concurrunt*, omnes ueteres libri, praeter Cuſpiniani ἔκδοσιν, neſcio, qua ex cauſſa, omiſere. Denique inepta etiam interpunctione ſententiam Mamertini adhuc multo magis obſcurarunt. S.

XVIII, 4. *quae ab initio ſeparaueram,*) Scilicet Mamertinus, *cap.* VI, conſtituerat, de Diocletiani et Maximiani, cum *pietate*, tum *felicitate*, diſtincte et ſeorſum differere; quarum laudum partes nunc coniungit. S.

XVIII, 4. *communi laude*) Recte ſic ſcriptum eſt in codice noſtro: unde omnino confirmatur recentiorum editionum lectio; cum in antiquioribus perperam euulgatum eſſet, *communium laude.* S.

XIX, 1. *Optime igitur, quantum arbitror, ſacratiſſime Imperator,*) Hanc collocationem uerborum ex noſtro codice, et altero Gudii libro, admiſimus; cum uulgo editum eſſet: *Optime igitur, ſacra-*

2 gemino natali tuo praedicarem. Etenim ceterae uirtutes et bona cetera proceſſu aetatis eueniunt: fortitudo annis accedentibus roboratur; continentia diſciplinae praeceptis traditur; iuſtitia cognitione iuris addiſcitur; ipſa denique illa, quae uidetur omnium rerum domina eſſe, ſapientia, perſpectis hominum moribus, et exploratis rerum docetur euentis: ſolae cum naſcentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas; naturalia ſunt enim
3 animorum bona, et praemia fatorum. Gemini ergo natales pias uobis mentes et imperatorias tribue-

ſacratiſſime Imperator, quantum arbitror, etc. S.

XIX, 1. *gemino natali tuo*) Cuſpinianus reſcripſit: *genuino natali tuo;* ſed ſaluam putamus lectionem uulgatam. Vtique, quod iam in prolegom. ad hunc paneg. §. VI. oſtendi, de natali uitae Maximiani loquitur Mamertinus; ſed oratorie uocat *geminum natalem;* quia, licet tunc, cum hic panegyricus recitaretur, unius ſaltem Imperatoris, nempe Maximiani, incidiſſet natalis proprius, is tamen ſimul tanquam natalis etiam alterius Imperatoris, Diocletiani, ad declarandam utrorumque concordiam, celebraretur. S. [Delendum τὸ *tuo*, uel reſtituendum *ueſtro* iudicat Pagius, Diſſ. hypat. p. 29. quem uide. *Iaeg.*]

XIX, 2. *iuſtitia cognitione iuris addiſcitur;*) Puteolanus, Naulius, Rhenanus, Duacenſis, Liuineius, pro uerbo, *addiſcitur*, prodidere, *adſcitur:* non prorſus incommode: praeſtare tamen nobis uiſa eſt lectio Cuſpiniani, et recentium editorum, quam confirmat auctoritas noſtri codicis; quamque ipſe Liuineius ex Bertinienſi, et ſuo uetere codice, in margine libri ſui annotauit. S.

XIX, 2. *perſpectis hominum moribus,*) τὸ *hominum* ex coniectura Liuineii in textum recepit Cellarius et Pat. Mſ. et edd. quos inſpexi, habent *omnium*; ſolita permutatione. *Iaeg.*

XIX, 2. *cum naſcentibus pariter oriuntur*) Exinde cognoſcitur, et ex iis, quae mox ſequuntur, *naſcentes uos*, non poſſe panegyricum hunc de die natali Imperii intelligi. C.

tribuere fortunas; atque inde ſanctitatis ueſtrae, omniumque ſucceſſuum manat exordium, quod naſcentes uos ad opem generis humani bona fidera et amica uiderunt: quae uobis concordiam ſempiternam, et ueſtrorum generum caritatem, et fouendae reipublicae ſtudia conciliant, itemque, praeter uictorias toto orbe terrarum partas, etiam naualia tropaea promittunt; ut, poſt bella Punica, poſt Aſiae, Syriaeque Reges, Romani Roſtra

XIX, 3. *ad opem generis humani*) Habet quidem noſter codex, habuit etiam Bertinienſis, *ad opes g. h.* ſed quid neceſſe eſt, cur lectionem nulgatam reiiciamus? S.

XIX, 4. *naualia tropaea promittunt;*) Ex nauali bello aduerſus piratas, Britannico mari a Conſtantio Caeſare, auſpiciis Maximiani, Auguſti, geſto: de quo Eumenius, in panegyrico Conſtantii. C.

Equidem orator claſſi Romanae aduerſus Carauſium felicem egreſſum expeditionemque ominabatur; ſed ſpei uotisque minus reſpondit euentus: dum Carauſius, bello nauali ſuperior, Maximiani claſſe partim capta, partim aduerſa tempeſtate disiecta, A. C. 290, nihilominus pacem, et Auguſti honorem titulumque, quem ambierat, obtinuit. De cuius claſſis apparatu conferatur Mamertinus, *panegyrico I Maximiano Aug. dicto*, cap. XII. S.

XIX, 5. *Romani Roſtra campi*) Mamertinus aut prorſus κατεχρηστικῶς loquitur, dum *Roſtra* iſta ait poſita fuiſſe in *campo Romano*; aut, quod probabilius eſt, prorſus ignorauit uerum Roſtrorum illorum ſitum, cum Rhetor ille Gallicus fortaſſe nunquam uiderit Romam. *Roſtra* illa fuere in *foro Romano*, ubi adhuc A. Chr. 356, *Conſtantius Auguſtus*, referente Ammiano Marcellino, *lib.* XVI, *cap.* X, *Romam ingreſſus, Imperii uirtutumque omnium larem, cum ueniſſet ad* ROSTRA, *perſpectiſſimum priſcae potentiae* FORVM *obſtupuit*. Erat ſcilicet tribunal, ſiue ſuggeſtum, in foro Romano columnis ſuperſtructum, et ab anteriore parte ROSTRIS nauium quondam captarum adornatum, in quod per gradus conſcendebant il, quibus, pro ea, quam habebant, poteſtate, conciones habere licebat. Et ille locus inde

ſtra campi nouis ornetis exuuiis, et oblitos iam Quirites in memoriam reducatis, cur ille ſollemnis
6 concionibus locus ROSTRA uocitetur. Digna enim magna certaque fiducia, digna eſt hac quoque gloria, PIETAS ueſtra, et poteſt eam praeſtare FELICITAS.

inde nomen ROSTRORVM accepit. Conferatur diſſertatio noſtra *de Roſtris fori Romani, loco concionibus ſolenni.* Haud ſecius ignorauit Mamertinus ueram iſtorum Roſtrorum originem; dum eam ad bella Punica, aut bella cum Aſiae Syriaeque Regibus geſta, refert. Tribunal autem illud concionibus ſollemne nomen *Roſtrorum* demum anno Vrbis conditae CCCCXVI retulit, cum C. Maenius in ſuo conſulatu Antium, Volſcorum urbem maritimam, expugnauit; et ex nauium captarum roſtris ſuggeſtum illius tribunalis in foro exſtructum ornauit. Id quod teſtatur Liuius, *lib.* VIII, *cap.* 14; Florus, *lib.* I, *cap.* 11; Plinius, *hiſtor. nat. lib.* XVI, *cap.* 4; et *lib.* XXXIIII, *cap.* 5. Anonymus Scholiaſtes, quem Graeuius annotauit ad Ciceronis *orationem pro lege Manilia, cap. XVIII: Primum,* inquit, *populus Romanus contra Antiates bellum geſſit, et duodecim captis nauium roſtris forum ornauit; non, ut imperiti dicunt, Carthaginienſium nauibus.* S.

XIX, 5. *nouis ornetis exuuiis,*) Antehac in omnibus huius panegyrici exemplaribus impreſſis, quae nobis innotuere, editum eſt: *Nouis ornentur iis exuuiis*; Soli Cuſpinianus et Patarolus omiſere pronomen, *iis.* Liuineius, et Acidalius, in notis, coniecere, legendum eſſe, *nouis ornetis exuuiis.* Et, ecce, hanc felicem coniecturam luculento ſuffragio corroborat codex noſter; corroborant et alii codices a Gudio obſeruati! Credas uero, Mamertinum in his uerbis Ciceronem ante oculos habuiſſe, ut qui *pro lege Manilia, cap.* 18, Roſtra iſta uocat *locum exuuiis nauticis et claſſium ſpoliis ornatum.* S.

XIX, 6. *hac quoque gloria,*) Quidam pro *hac* edidere *haec*; non nulli pronomen hoc prorſus praetermiſere. Bene ſe habet recentiorum lectio, *hac*; quae etiam conſenſu codicis noſtri adiuuatur. S.

III.

III.

EVMENII

PRO RESTAVRANDIS SCHOLIS ORATIO.

EVMENII VITA,

AVCTORE IAC. DE LA BAVNE.

Eumenius origine Graecus in Galliis natus est Augustoduni: qua in urbe, temporibus illis florentissima, et bonarum artium uelut sede, ipse pan. 3. c. 17. *natum suum, cum esset octogenario maior, quondam docuisse*, ait, *hominem Athenis ortum, Romae diu celebrem, mox in ipsa urbe perspecto et probato hominum amore doctrinae, atque huius ipsius operis ueneratione, detentum.*

Ipse cum in aula Constantii Chlori Caesaris esset magister sacrae memoriae, id est, libellis et epistolis faciendis, signandisque rescriptis praeesset, tanta cum ingenii et eloquentiae praestantia amplissimum illud palatii munus obiit, ut in Aeduensium Scholarum moderatoris demortui locum a Constantio suffectus sit. In cuius rei actis Constantius Eumenii eloquentiam et grauitatem commendat, et, geminata eius pensione, sexcena millia nummûm (hoc est 26250. libras Francicas) ei pro salario attribuit, c. 11. Quam pecuniae summam Caesari obsecutus accepit quidem, ut ipse ait, *quantum ad honorem spectabat*, ibid. eam uero ad Aeduensium Scholarum instaurationem impendendi potestatem sibi fieri, habita eam in rem hac elegantissima oratione, petiit. Numerosam sibi sobolem fuisse testatur pan. 6. c. 23. ubi conuersa ad Constantinum magnum oratione: *Maximas*, inquit, *numini tuo gratias ago, tibique, quod superest, commendo liberos meos, praecipueque illum iam summa fisci patrocinia tractantem, in quem me totum transtulit pietas . . . . Ceterum*

quod de omnibus liberis dixi, hinc est, imperator, ambitio. Praeter enim illos quinque, quos genui, etiam illos numero, quos prouexi ad tutelam fori, ad officia palatii.

Quo anno natus sit, et quo obierit, incertum est. Certe haud admodum iuuenem eum fuisse oportet anno Christi 296. tum, cum haec dicta est oratio: siquidem eius filius iam tum magistratum gerebat amplissimum. Et pan. 6. c. 1. *subitam dicendi facultatem* negat bene sibi conuenire, qui *mediae aetatis amplius non esset*. Et c. 22. optans, ut Constantinus Augustodunum aliquando ueniat: *Sed, enim*, inquit, *ista felicitas uiderit, an adhuc meae debeatur aetati.*

Quatuor ex his ueterum panegyricis Eumenio tribui solent. III. quem pro restaurandis Aeduensibus scholis Augustoduni dixit coram uiro perfectissimo, hoc est, coram Lugdunensis primae praeside, opinor Rictiouaro, ut in notis ostendo: anno 296. ut apparet ex imperatorum Caesarumque uictoriis, quae c. 21. perstringuntur, quaeque in hunc tantum annum cadere possunt, ut in imperatorum Diocletiani, et Maximiani Augg. et Constantii Caesaris uita obseruaui. IV. quem Treueris coram Constantio Caesare, ut ex paneg. c. 4. patet: *habenda est ratio temporis, Caesare stante dum loquimur.* Duobus Augustis, et Galerio Caesare absentibus, ut manifestum est ex c. 5. ubi eorum praeclare gesta perstringens: *Haec aliis*, inquit, *celebrabo temporibus, iis ipsis, qui gessere, praesentibus*, sub finem anni Christi 296. post occisum Allectum, recuperatasque Britannias, ante Lingonicam Constantii uictoriam, de qua uerbum nullum est: cum

Maxi-

Maximianus Aug. Mauros oppugnaret. Quanquam hunc nonnulli incerto auctori, et Rhenanus Mamertino aut Belgae cuipiam adscribit. Fortasse, quod huius panegyrici auctor diu se siluisse initio dicit, cum tamen Eumenius hoc ipso anno panegyricum dixerit: tum quia habitam a se coram Maximiano orationem ait, quae non exstat. Sed ut hunc et sequentes duos panegyricos Eumenio tribuam, facit et similitudo stili, et quod de institutione puerorum, et officio Palatino passim habet. VI. quem item Treueris, die eius urbis natali, anno Christi 310. coram Constantino dixit paulo post eius natales, qui, sicut est in Kalendario uetere apud Bucherium, in tertium Kal. Mart. incidebant. In fine huius orationis imperatorem inuitat, in Aeduensem urbem uenire ne grauetur. Cumque anno sequenti imperator eam urbem ingressus restitui publica aedificia iussisset, et ciues tributorum remissione subleuasset: Aeduenses ipsum Eumenium, cuius eloquentiae singulare principis beneficium acceptum referebant, statim ad imperatorem legarunt Treueros, ubi in celebri legatorum coetu, qui eo undecumque ad quinquennalia principis celebranda uenerant, Flauiensium nomine Constantino gratias acturus, VII. panegyricum habuit.

VITA EVMENII

BREVITER EXPOSITA

A

CHRIST. GOTTL. SCHWARZIO.

Eumenius Rhetor fuit Augustoduni, metropoli Aeduorum in Gallia; quae urbs eo tempore liberalium artium cultura

multum floruit. Ibidem olim et Eumenii auus docuerat, octogenario maior, homo Athenis ortus, Romaeque diu celebris. (*Vid. Eumen. orat. pro reſtaur. Scholis, cap.* 17.) Inclaruit Eumenius circa exitum ſaeculi a Chriſto nato tertii; at incertum eſt, quo ille anno natus mortuusue fuerit; quanquam ipſum ad ingraueſcentem aetatem proceſſiſſe, ex Panegyricis reliquis intelligamus. Obiit ille, in aula Conſtantii Chlori, partes ſuſtinens Magiſtri ſacrae memoriae; ſuamque dexteritatem et ingenii praeſtantiam Caeſari mirifice approbauit. Hinc et Conſtantius in litteris ad Eumenium datis, quae huius orationi pro inſtaurandis Scholis (*c.* 14.) inſertae leguntur, teſtatus eſt, ſe ipſius eloquentiam et morum grauitatem ex muneris aulici adminiſtratione compertam habere; adeoque et eundem hortatus eſt, ut, ſaluo honoris Palatini priuilegio, profeſſionem oratoriam repeteret, atque in Auguſtodunenſium ciuitate mentes adoleſcentium ad uitae melioris ſtudium excoleret, neque putaret, hoc munere partis antea honoribus aliquid derogari; cum honeſta profeſſio ornet potius omnem, quam deſtruat, dignitatem. Qua de cauſſa et duplicata penſione ſexcena millia nummûm ei a Caeſare quotannis ſunt attributa. Quam ingentem pecuniae ſummam Eumenius honoris cauſſa quidem accepit, et in accepti rationibus perſcripſit; ſed deinceps, peculiari oratione habita, a Caeſare petiit, ut ſibi liceret illud ipſum ſalarium Patriae ſuae expenſum referre, atque inſtaurandis Aeduenſium ſcholis, quas Maenianas uocat, deſtinare. Nihil attinet, hoc loco commemorare, numeroſam ſobolem fuiſſe Eumenio: in capite enim ultimo Panegyrici, quem Conſtantino Auguſto dixit, huic liberos ſuos quinque

que commendauit; quorum unus iam ſumma fiſci patrocinia tractarit. Equidem hunc Rhetorem ſibi uendicat Ciuitas Cliuienſium, qui adhuc oſtentant ſtatuam tripedaneam, quam Eumenii Rhetoris eſſe tradunt. Cuius ſtatuae imaginem non tantum apud Teſſemakerum, in Annalibus Cliuiae, et apud Friſium, in opuſculo Balduini de Calceo, c. XII; ſed etiam apud Io. Braunium, in comment. de ueſtitu Sacerdotum Hebraeorum, pag. 390, uidere licet. Cui opinioni, praeter Rhenanum et alios quosdam, inprimis fauit Pighius, in Hercule Prodicio. Sed Pighio ſe iam oppoſuit Iuſtus Lipſius, in Excurſibus ad L. III Annalium Taciti, probauitque, omnino Eumenium Rhetorem Auguſtoduni in Gallia, non uero ad Rhenum Cliuiopoli, ſtudioſam iuuentutem docuiſſe. Atque hoc uel ex ipſius Eumenii Panegyricis ſatis manifeſtum eſt; niſi forte credamus, Eumenium iam ante officium Palatinum Cliuiis inſtituendae pubi uacaſſe; poſtea uero, quam conſpicua Magiſtri memoriae dignitate functus fuerat, Auguſtoduni Profeſſoris munia obiiſſe, et ſublimioris doctrinae partes docuiſſe. Cum enim ex Conſtantii Caeſaris literis pateat, Eumenium iuſſum fuiſſe oratoriam profeſſionem repetere; facile coniici poteſt, illum iam ante ea tempora alicubi in iuuentute docenda uerſatum fuiſſe. Taceo, quod idem colligi queat ex initio eius Panegyrici, quanquam de Cliuienſium ſcholis nihil usquam memoratur. Ceterum, an illa uera ſtatua et imago Eumenii Rhetoris ſit, quam oſtentant Cliuii, iam non diſputo. Negat id Lipſius; negat idem Braunius. Hic uero, loco citato: *Perſuaſiſſimum mihi eſt*, inquit, *ſtatuam, quae Cliuiis in aula*

conſpicitur, non magis Eumenium Rhetorem, quam Nebucadnezarem, Alexandrum Magnum, aut ipſum Herculem, referre. Non enim Rhetorem, ſed militem, certiſſime exhibet. Reliquit Eumenius aliquot ingenii ſui monimenta. Ex Panegyricis ueteribus ei hodie a nonnullis quatuor; ab aliis quinque, tribui ſolent; quos Vir celeberr. Io. Albertus Fabricius, in Append. Bibl. Latinae, p. 484, recenſuit. Nec male exiſtimauit Tillemontius, T. IV Hiſt. Imperat. p. 47, intercidiſſe Panegyricum, in quo Eumenius, ut ipſe ſub auſpicium praeſentis Panegyrici innuit, Maximiani Herculei laudes prius expoſuerat. Habuit uero is hanc orationem, quam nunc damus, coram Conſtantio Chloro, quem, dicente Panegyriſta, ſtetiſſe, ex cap. IV intelligimus. Neque adfuere tunc Auguſti duo, Diocletianus et Maximianus, Caeſarque Galerius; quorum laudes ſe inpoſterum coram expoſiturum eſſe, promiſit. Occaſionem huic orationi habendae dedit uictoria Conſtantii, quam ille, occiſo Allecto, et recepta Britannia, Anno Chriſti CCXCVI, reportarat. Non autem neceſſe eſſe puto, ut ſuſpicionem Rhenani hunc ipſum Panegyricum Mamertino potius, aut Belgae cuidam, quam Eumenio, falſo attribuentis, iam refellam.

ADDENDA AD VITAM EVMENII.

De ludis Maenianis Eumenii v. *Walchium*, V. C. in Commentat. de Eloquentia Lat. uet. Germanor. pag. 17. 18. n. c. d. Ex iis, qui putant, ludos illos Cliuiae fuiſſe, citat idem Vir doctiſſimus *Lehmann.* Chron. Spir. l. 1, 25. pag. 36. ed. Francof. a. 1711. *Conring.* Antiquitatt. Academ. pag. 19. et ſuppl. XI. pag. 223. ed. Heumanni; *Hechtium*, Germ. ſacrae et litterar. part. 2. l. 2. c. 3. et *Burckhard.* de Fatis Linguae Lat. in Germ. t. 2. pag. 21. Ex iis uero, qui Eumenium, eosque ludos Auguſtodunenſium ciuitati uindicant, *Cellar.* Not. Orb. Ant. t. 1. p. 214. *Fabric.* Biblioth. Lat. Vol. 2. p. 770. et Hiſtoire litteraire de la France, t. 1. part. 2. pag. 46. quibus adde Lipſ. Excurſ. H. in L. 3. Annal. Tac. Iaeg.

SYNOPSIS

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO, *dicit, quantum sibi metum afferat loci infelicitas, tantum se dicendi causa recreari.*

DISTRIBUTIO, I. *Augustoduni scholas esse instaurandas.* II. *qua ratione id possit sine sumtu publico fieri*, c. 3.

I. PARS. *Mentem imperatorum et Caesarum esse, ut non templa modo et publica opera, sed multo magis Aeduenses scholae, Bagaudicae factionis irruptionibus collapsae, ad Gallicae nobilitatis educationem instaurentur*, c. 4. *Nullis principibus literas tantae unquam curae fuisse*, c. 5. *Intellectum illud, cum harum scholarum moderatore mortuo alterius subrogandi curam susceperunt ipsi per sese, et ad huius professionis commendationem eum elegerunt, qui officium in palatio gereret amplissimum*, c. 6. *Si ueteres ei uirtuti, cuius studio ducerentur, templa statuebant, Constantium pro suo erga literas amore has scholas erectas uelle*, c. 7. *Ab earum situ ipso probat instaurandas esse, cum, quia in media urbe, tum quia inter Apollinis templum et Mineruae*, c. 9.

II. PARS. *Sexcena millia nummûm, pro magisterii sui salario sibi a Constantio data, ad hoc opus se collaturum*, c. 11.

Sic

Sic enim digniorem se hac principis liberalitate futurum, cum eam ipsam in patriae usum contulerit: satis sibi esse ad gloriam, quod ea summa sibi decreta sit. Ita futurum, ut omnes intelligant, se non auuritia ductum ad id officium accessisse, c. 12. *Cuilibet pretio anteponere se literas, quibus Gallicae nobilitatis institutio sibi a Constantio commendatur*, c. 13. *Literae Constantii*, c. 14. *Hac Caesaris humanitate ad instaurandas scholas incitari se*, c. 15. *pecuniam illam scholis, propter quas sibi data est, libenter dare, et in quibus olim auus ipsius docuerit: uelle se imperatorum in restituendis operibus publicis pietatem, quantum fert res sua, imitari*, c. 16. *Par esse, ut non minus eloquentia, aut potius eloquentiae sacra loca reflorescant liberalitate principis, quam ceterae orbis partes*, c. 17.

IN FINE *praesidem rogat, ut ad id operam suam interponat apud imperatores et Caesares, quo possit et nouum hoc eorum in literas beneficium celebrare, et pueris eorundem uictorias, quas obiter recenset, descriptas in porticibus ostendere*, c. 20.

III. EV-

III. EVMENII
PRO RESTAVRANDIS SCHOLIS ORATIO.

Certum habeo, Vir Perfectiſſime, non quidem te, qui ſemper in omni genere dicendi maxima facultate uiguiſti, ſed circumſtantium plerosque mirari, quod ego, qui ab ineunte adoleſcentia usque in hunc diem numquam iſto in loco dixerim, et quantulumcunque illud eſt, quod labore ac diligentia uideor conſecutus, exercere priuatim, quam in foro iactare, maluerim, nunc demum, ſero quodam tirocinio, ad inſolitum mihi tribunal adſpirem: a quo ego me fateor, quam- 2
quam mihi ſedes iſta iuſtitiae et ad agendum et ad dicendum ampliſſima uideretur, diffiſum tamen

I, 1. *Vir Perfectiſſime,*) Compellat praeſidem Galliae Lugdunenſis primae, ſub quo erat Aeduenſis ditio. Nam, ut praefectus urbi Vir glorioſiſſimus dicebatur, praefecti praetorio per Illyricum Viri eminentiſſimi, Vir ſpectabilis praefectus Aegypti, Viri clariſſimi rectores prouinciarum: ſic Galliae praeſes Vir perfectiſſimus nominabatur. Videri poteſt *l. 6. Cod. de perfectiſſimatus dignitate.* Adſentior autem potius Bucherio, praeſidem illum fuiſſe Riccium, aut Riccium Varum, quem uulgo Rictiouarum appellant, quam Alfordo, qui in libro ſuo de *Lucii, Helenae et Conſtantini patria et fide* hunc praefectum fuiſſe Conſtantium Chlorum putat. Eo enim tempore, quo dicta eſt haec oratio, Conſtantium non ſenatorem, aut, ut ille ait, urbis praeſidem, ſed Caeſarem fuiſſe, liquet ex hac oratione. B.

I, 1. *iſto in loco*) i. e. in foro, ubi habita eſt haec oratio, Auguſtoduni, coram Viro Perfectiſſimo. *Id.*

I, 2. *quamquam mihi*) τὸ *mihi* omittit Cuſpinianus, Liuineius, Rh. Stephanus. *Ineg.*

I, 2. *ad agendum et ad dicendum*) *Agere* cum populo: *dicere* ad iudices v. *Gell.*

13,

tamen ingenio meo, antehac afuiſſe: et, hoc ipſo in tempore quamuis diuerſiſſimum a contentione litium genus orationis habiturum, conſcientiae trepidatione reuocari.

II. Ne quid igitur aut opinioni hominum dubium relinquam, aut interpretationi ex hac poſtulatione, quam, de reſtituendis patriae meae Maenianis, mihi ſumendam potius, quam cuiquam delegandam, putaui, maius de me aliquid, quam poſſe

13, 15. et *Ciceron.* pro L. Manil. principio, quem panegyriſta imitatus eſt. C.

I, 2. *afuiſſe,*) Acidalius et Gruterus malunt *abſtinuiſſe*. Sed nec *abfuiſſe* malum. *Id.*

Pro *abfuiſſe*, quod uulgo legitur, Liuineii cod. habet *afuiſſe*; is tamen edidit *affuiſſe*, uti etiam Cuſpinianus; quod corruptionis genus ſaepius eſt obuium. Sic Torrentius, in Horat. Sat. 1, 4, 101. teſtatur, ſe in tribus optimis codicibus *affore* ſcriptum reperiſſe, pro *afore*. *Afuiſſe* praetuli ob ea, quae monent *Cort.* ad Cic. Ep. ad div. 16, 8, 1. *Oudendorp.* ad Iul. Caeſ. de B. G. 1, 36. *Iaeg.*

II, 1. *opinioni*) Cod. Mſ. Moerl. *opinione*; mox pro *Maenianis* Cuſpinian. corrupte *Meniana*. *Id.*

II, 1. *Maenianis,*) Maeniana ſ. Meniana aedificia dicuntur, quae proiectiones quasdam habent, ſ. tigna quaedam ultra molem aedificii prominentia, ſic dicta a Maenio, qui primus hanc aedificii formam inuenit, cum ea conditione Catoni et Flacco Cenſoribus domum ſuam uendidiſſet, ut ſibi columna reſtaret, cui tectum poſtea et tabulata impoſuit. Ex illo columna Maenia appellata eſt, inquit Aſconius: (ad diuinat. in Caecil. c. 16.) Igitur probabile eſt, ſcholas Auguſtodunenſes, de quibus agit Eumenius, habuiſſe eius generis ἔξωσας. An forte ſcholae dictae ſunt *Moenianae*, quod ad moenia urbis poſitae eſſent? Certe *illae*, ut ex uariis h. orat. locis colligere eſt, *erant in ipſo tranſitu aduenientium in eam urbem, in praecipuo loco poſitae, quaſi inter ipſos oculos ciuitatis, inter Apollinis templum atque Capitolium — inde Athenarum conditrix Minerua, hinc Apollo medius Camenarum — in ipſa ciuitatis fronte, in facie, uultuque ciuitatis.* B.

poſſe me ſentio, uidear promittere: conteſtatum eſſe initio dicendi apud audientes uolo, temporarium me dicendi munus, atque id ipſum meis ſtudiis peculiariter commodare; non ad incognitam mihi ſectam forenſium patronorum, alienae laudis cupiditate, tranſire. Neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, ut neſciam, quanta ſit inter hanc aciem fori, et noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia diuerſitas. Ibi armantur ingenia, hic praeliantur. Ibi proluſio, hic pugna committitur. Hic plerumque uelut ſudibus et ſaxis, illic ſemper telis ſplendentibus dimi-

II, 3. *inter hanc aciem fori, — diuerſitas.*) Quinctilian. 12, 6, 4. *Quantum libet ſecreta ſtudia contulerint, eſt tamen proprius quidam fori profectus, alia lux, alia ueri diſcriminis facies; plusque, ſi ſepares, uſus ſine doctrina, quam citra uſum doctrina, ualeat. Ideoque nonnulli ſenes in ſchola facti ſtupent nouitate, cum in iudicia uenerunt, et omnia ſuis exercitationibus ſimilia deſiderant*, etc. Loco τοῦ *exercitia* Cod. Moerl. et Gud. II. habet *exercitatione*. *Iaeg.*

II, 4. *praeliatur.*) Sic antiquiores, itemque Patarol. Baunius cum Cellario, ſecutus Aldalii et Liuineii coniecturam, quae cod. Puteani et Gud. II. ſuffragio firmatur, habet *praeliantur*. Certum eſt quidem, neutraliter et impersonaliter hoc uerbum alias etiam, quamquam raro, adhiberi: v. Non. Marcell. c. 7. 38. et Iuſtin. 19, 1, 9. Attamen cum praecedat *ingenia armantur*, omnino etiam alterum uerbum, quod illi opponitur, melius eodem refertur. *Id.*

II, 4. *praeluſio*) *Baunius* coniicit legendum eſſe *proluſio*; quod habes in Bert. et uet. cod. Put. atque Gud. Recte. v. Gronov. ad Sen. Herc. fur. u. 222, et Schwebel. ad Veget. 1, 13. *Id.*

II, 4. *ſudibus et ſaxis,*) Sic Mſ. et edd. quos uidi, omnes. *Lipſius* Saturn. 2, 19. reſcribendum eſſe cenſet *rudibus* et *haſtis*: et ſane docet Burmann. ad Ov. Faſt. 4, 209. *ſudes* et *rudes* ſaepius permutari. Attamen, cum τὸ *hic*, aeque ac in antecedentibus, *aciem*

dimicatur. Hic ſudore et quaſi puluere ſordidus, illic inſignis ornatu laudatur orator. Vt, ſi uterque experiundi cauſa officia commutent, alium quidem tubarum ſonus et ſtrepitus armorum, alium quaedam triumphi ſcena deterreat.

III. Scio haec, inquam, Vir Perfectiſſime, neque me ſciens fallo; et idcirco tantum abeſt, ut me, relictis docendi, praecipiendique rationibus, aptum atque idoneum putem, ut hoc ipſo, quod uel uno die, atque una de re in foro dicam, ueniam magis poſſim ſperare quam gloriam. Quamquam

aciem fori indicet, ubi praeliatur et ſeria pugna committitur, *rudes*, quibus in exercitiis tantummodo et ludicris certaminibus utebantur, nullum hic locum habent. *Sudibus* et *ſaxis* dimicatum eſſe, ipſe oſtendit Lipſius, Poliorcet. L. 4. Dial. 3. et 4. *Id.*

II, 5. *alium quidem tubarum ſonus*) umbratilem et ſcholaſticum doctorem ſtrepitus forenſis ac conuicia deterreant. C.

Pro *tubarum* Gud. et Moerl. habet *turbatum*, Rh. Stephan. *turbarum*: male. *Iaeg.*

II, 5. *alium quidem triumphi deterreat.*) Locus plerisque ſuſpectus. Liuincius *quidem* tolli iubet, ex ſuperioribus perperam repetitum: *ſcena* abeſt ab editis; in Mſ. quod lac. de la Baune uidit, eſt *quaedam triumphi ſcena*. Senſus non obſcurus: forenſem oratorem uilitas triumphi et uictoriae, quae in ſcholis eſt, deterret. Plus lucri et maiorem gloriam uictor forenſis cauſſae conſequitur. Illud, ſi uera lectio, *ſcena* uocatur; ut dicuntur *ſcenici reges*. C.

Pro *deterreat*, quod in ceteris legitur, Cuſpinianus habet *deterreant*. Ea uero ſcriptura, quam nos exhibemus, nititur ſuffragio cod. uet. Puteani, nec non Moerliani. Pro *quaedam* Gud. habet quemdam. Schwarzius coniicit *theatri* l. *amphitheatri ſcena*, ubi ſc. gladiatores pugnabant. *Iaeg.*

III, 1. *hoc ipſo*) Exemplar Liuineii, Bertinienſe, ed. Cuſpiniani, et Cod. Moerl. praeferunt *hoc ipſum*; ut ita deſit *ob* uel *propter*; quae ellipſis quidem non inſolita, ſed h. l. durior uidetur. *Id.*

quam in hac oratione, Vir Perfectiſſime, loci tantummodo inſolentia, non dicendi nouitate perturber: ſiquidem id poſtulo, quod non modo contradicendo nemo audeat impedire, ſed omnes potius, quibus diuina principum liberalitas, quibus urbis iſtius reſtitutio, quibus optimarum artium celebratio grata atque iucunda eſt, ſummo gaudio et fauore ſuſcipiant, ut Maenianae illae ſcholae, quondam pulcherrimo opere et ſtudiorum frequentia celebres et illuſtres, iuxta cetera, quae inſtaurantur, opera ac templa, reparentur. Ita quantum mihi trepidationis adfert locus, tantum releuat cauſa dicendi. 3 Quam quidem ego, 4 Vir Perfectiſſime, duas in partes arbitror diuidendam; ut prius differam, quam ſit ex uſu et officio, opus illud ad priſtinam magnificentiam reformari: deinde, qua ratione id poſſit ſine ſumtu publico, ex largitione quidem principum maximorum, ſed tamen cum aliquo meo erga patriam ſtudio et amore, procedere.

IV. Ante omnia igitur, Vir Perfectiſſime, diuinae Imperatorum, Caeſarumque noſtrorum prouidentiae, ſingularique in nos beneuolentiae

III, 2. *celebres et illuſtres*,) Auguſtodunenſes ſcholae celebres erant uel Tiberii tempore, ſiquidem Tac. annal. 3, 45. dicit, *nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis ibi operatam.* Quod ad Auguſtodunenſem, non uero Auguſtociuienſem ciuitatem referri debere Lipſius in Excurſu H. ad h. l. probat multis, ualidisque rationibus contra Rhenanum. B.

III, 2. *reparentur.*) Cod. Moerl. pro hac uoce habet *reſtaurarentur*; Gud. *reſtaurentur.* *Iaeg.*

III, 4. *erga patriam ſtudio*) Cod. Moerl. poſt *patriam* inſerit *meam*; ex interpretamento. *Id.*

huius quoque operis inſtauratione parendum eſt, qui ciuitatem iſtam, et olim fraterno populi Romani nomine gloriatam, et tunc demum grauiſſima clade perculſam, cum latrocinio Bagaudicae rebellionis obſeſſa, auxilium Romani principis irrogaret, non ſolum pro admiratione meritorum, ſed etiam pro miſeratione caſuum attollere ac recreare uoluerunt, ipſamque ruinarum eius magnitudinem immortalibus liberalitatis ſuae monumentis dignam iudicauerunt, ut tanto eſſet illuſtrior gloria reſtitutorum, quanto ipſa moles reſtitutio-
2 nis immanior. Itaque maximas pecunias, et totum, ſi res poſcat, aerarium non templis modo ac

IV, 1. *fraterno populi Romani nomine*) Interpretatur Tacitus, Annal. 11, 25. ab antiquo foedere Aeduorum cum Romanis. Auguſtodurum autem ſitum in Aeduis. *Cellar.* add. Manut. ad Cicer. Epiſt. ad Att. 1, 19. *Iaeg.*

IV, 1. *Bagaudicae rebellionis*) Non Batauicae, ut Rhenano placet; (et Cuſpinianus, Liuineius, itemque Mſ. Moerl. et Gud. exhibet. *Iaeg.*) tunc enim Batauos Romanis amicos fuiſſe notum eſt; imo uarias a Francis iniurias, propterea, quod Rom. imperio fidi eſſent, accepiſſe, nedum intuliſſe Romanis. Deinde quomodo eo Batani penetraſſent? B.

De Bagaudis ſatis dictum ad Mamert. Paneg. I. Maxim. c. 4, 3. et II. Genethl. 5, 3. *Iaeg.*

IV, 1. *Romani principis*) Nempe Claudii Aug. huius nominis ſecundi, cuius opem Aedui a Bagaudis obſeſſi implorarunt. At is, Gothico bello intentus, ſuppetias eis uenire cum non potuiſſet, ipſi poſt ſeptem menſium obſidionem urbem ſuam Bagaudis, eorumque duci, cui Tetrico nomen, aperire neceſſe habuerunt. Ex quo loco colligo, Bagaudas non Maximiani primum temporibus aduerſus Romanos coniuraſſe. B.

IV, 1. *irrogaret*,) Suſpectum Bongarſio. Senſus poſtulat *imploraret, inuocaret.* C.

IV, 1. *iudicauerunt*,) Mſ. Moerl. uitioſe *uindicauerunt*. *Iaeg.*

ac locis publicis reficiendis, sed etiam priuatis domibus indulgent: nec pecunias modo, sed etiam artifices transmarinos, et ex amplissimis prouinciarum ordinibus incolas nouos, et deuotissimarum hiberna legionum, quarum inuicta robora, ne in his quidem, quae nunc cum maxime gerunt, bellis, requirunt, ut commodis nostris studio gratiae hospitalis operentur, et reſides aquas, et nouos amnes ueluti aridis fessae urbis uisceribus infundant.

V. Ex quo manifestum est, eos, qui coloniam istam tot, tantisque opibus totius imperii erigere atque animare statuerunt, uel praecipue sedem illam liberalium literarum uelle reparari,

IV, 3. *artifices transmarinos,*) Non arcessitos e Graecia, ut Lipsius putat, sed ex Britannia, ut manifestum est ex Paneg. proxime seq. Constantio Caes. recepta Britannia, dicto, c. 21, 2. B.

IV, 3. *incolas nouos,*) Eumenius, Gratiar. act. ad Constant. Flauiens. nomine c. 4. extr. *metoecos* uocat. C.

III, 3. *deuotissimarum hiberna legionum*) Imperatores in Aeduis aliquot legiones reliquerant, ut aquaeductus repararent, nouosque alueos ad commodum ciuitatis facerent. *Id.*

IV, 3. *gerunt,*) Cuspin. et Liuineius, cum Rh. St. *egent.* Acidalius malit *uigent.* Proxime loco τοῦ *requirunt,* quod ad Imperatores, Caesaresque referendum, Cod. Moerl. *requiruntur.* *Iaeg.*

IV, 3. *reſides aquas*) Forte *reduces.* *Liuin.*

IV, 3. *infundant.*) Cod. Moerl. et Guil. *refundant.* *Iaeg.*

V, 1. *coloniam*) Dubium, an Augustodunum fuerit colonia. Liuineius ad *colonos nouos* et *metoecos* refert, de quibus c. 4. praecedenti. Cl.

V, 1. *liberal. literarum*) Cod. Moerl. habet liberalium *artium*; sed margini adscripta est uox *literarum*, cui haud facile alias additum inuenitur epitheton *liberal.* cum literarum nomine solo omne fere genus artium liberalium comprehendatur. v. Ernesti Cl. Cic. v. *Literae.* *Iaeg.*

cui peculiarem frequentiam honestissimae iuuentutis, illustrato studiorum honore, prouiderint.
2 Cui enim umquam ueterum principum tantae fuit curae, ut doctrinae atque eloquentiae studia florerent, quantae his optimis et indulgentissimis
3 dominis generis humani? Quos ego quidem, quantum ad uotum, pietatemque pertinet, liberorum nostrorum parentes appellare non dubito: qui nobilissimam istam indolem Galliarum suarum, interitu summi doctoris orbatam, respicere dignati, suo potissimum iudicio praeceptorem ei moderatoremque tribuerunt, et inter illas imperatorias dispositiones, longe maioribus summae rei publicae gubernandae prouisionibus occupatas, lite-

V, 1. *peculiarem frequentiam*) τὸ *peculiarem*, quod in textu *Liuineii* et *Baunii* deest, tuentur codex membranaceus Liuineii, ipso teste, itemque apographum Bertinianse, uetus liber Puteani, editio Cuspiniani, B. Rhenani, Stephani, Grut. quibus accedit auctoritas Cod. Moerl. Acidalius legit *peculiare*; et, *interiectiuncula talis est*, inquit, *quales in Valerio aliquot notauimus et Tacito. Separetur ergo ab aliis parenthesis nota.* Quod haud facile cuiquam probabitur. *Id.*

V, 3. *Quos ego quidem, quantum ad uotum,*) Liuineius in exemplari suo membranaceo inuenit *quos ego quod ad uotum*; cui proxime accedit scriptura Moerl. et Gud. *quos ego quo ad uotum. Id.*

V, 3. *interitu summi*) Mf. Moerl. et Gud. *interitu sui. Id.*

V, 3. *dispositiones, longe maioribus summae rei publicae gubernandae*) *Longe maioribus*, quas uoces Rhenanus, Liuineius, Stephanus, Baunius, Patarol omittunt, praefert Mf. Bertinienf. editio Cuspiniani, Cod. Moerlianus. Pro *summis*, quod uulgo habetur, Liuineius in Bertinienfi apographo et ueteri codice suo inuenit *summa*; unde pronum ei fuit, coniicere *summae*; quam uocem, adductus auctoritate *Gronouii*, ad Liv. 26, 10. recipiendam duxi. *Id.*

literarum quoque habuere dilectum: neque aliter 4
quam si equestri turmae, uel cohorti praetoriae consulendum foret, quem potissimum praeficerent, sui arbitrii esse duxerunt; ne ii, quos ad spem omnium tribunalium, aut interdum ad stipendia cognitionum sacrarum, aut fortasse ad ipsa palatii magisteria prouehi oporteret, ueluti repentino nubilo in mediis adolescentiae fluctibus deprehensi, incerta dicendi signa sequerentur.

VI. In quo ego, Vir Perfectissime, nihil laudi meae tribuo, sed domini nostri Constantii, uere Principis iuuentutis, incredibilem erga iuuentutem Galliarum suarum sollicitudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo, qui honorem literarum hac quoque dignatione cumulauit, ut me, 2
filio potius meo ad pristina mea studia aditum molientem, ipsum iusserit disciplinas artis oratoriae

 retra-

V, 4. *cognitionum sacrarum,*) *Cognitores sacri,* s. *iudices sacrarum cognitionum* dicebantur iudices aulici, siue in suis tribunalibus, siue in consistorio principis: quales erant praefectus praetorio, eius uicarius, magister officiorum, quaestor, comes sacrarum largitionum, comes rerum priuatarum. B.

V, 4. *palatii magisteria*) Magistri scriniorum, libellorum, admissionum, epistolarum, officiorum, et alii omnes, quibus in imperatoris aula munus erat aliquod, *magistri* uocabantur, *Id.* v. *Guther.* de offic. Dom. Aug. L. 2. c. 20. 21. *Iaeg.*

VI, 1. *In quo ego,*) Reuocaui omissam a Baunio uocem *ego*, quam in editis omnibus, et in Ms. Moerl. inueni. *Id.*

VI, 1. *uere Principis iuuentutis,*) Prouectior aetate Constantius erat, quam ut in iuuenibus censeri posset. Ita autem dicebantur Caesares, quia Augustis instar filiorum erant. Hoc loco suauis adlusio, eum uere principem iuuentutis dici, qui iuuentutis instituendae curam habeat. C.

retractare, et hoc mihi munus iniunxerit, ut mediocrem quidem pro ingenio meo, naturaque uocem, caeleſtia tamen uerba, et diuina ſenſa principum prolocutam, ab arcanis ſacrorum penetra-
3 lium ad priuata Muſarum adyta transtulerit; non utique quia mihi, quem (quod ſine inuidia dixerim,)

VI, 2. *hoc mihi munus iniunxerit,*) Retinui lectionem a Baunio receptam, licet haud ſanam eſſe facile intelligi poſſit; nam *to iniunxerit* et *ut transtulerit* male cohaerent. Tolli fortaſſe poſſit quadam tenus difficultas, ſi legas *hoc mihi munus iniunxerit, ut mediocrem*, cet. Verum et ſic ualde frigent uerba *hoc mihi munus iniunxerit*, et prorſus ſuperuacanea ſunt. *Cuſpinianus* habet: *et hoc ipſi palatio parentis ſui munus iniunxerat, ut mediocrem* etc. Eadem exhibet *Rhen.* et *Stephanus. Liuineii* textus praefert: *et hoc mihi munus iniunxerat.* Editio Parii. a. 1643. *et hoc ipſi palatio par. ſui m. iniunxerat, ut m.* et hanc ſequitur *Cellarius* ac *Patarol. Mſ. Moerl.* et *Gud. et hoc ipſo parentis ſui munus iniunxerit. Liuineius* de hoc loco ſic cenſet: „Conſenſu qua editi, qua ſcripti „codices, *et hoc ipſi palatio parentis ſui munus iniunxerat* repraeſentant. *Iniunxerat* inquam. Nam *iniunxerat*, quod Lugdunenſis et Frobeniana pro *iniunxerat* „habent, ineptum ad ſententiam. — Sed, ne ſic quidem „lectio prorſus conſtituta. „Stabiliam ego, et immiſſa „uocula *qui*, atque altera *ut* „expuncta, locum hunc „omnem ſic reſcribam, *et qui hoc ipſi pnl. par. ſui mun. iniunxerat, mediocrem*, etc. „*Parentis ſui* expone *Maximiani Aug.* qui Conſtantium (nam de eo ſermo) Caeſarem crearat. Itaque infra „*Caeſar Herculius* uocatur. „*Hoc munus*, i. e. me, oratoriam profeſſum. Planus „iam, ni fallor, et perſpicuus „ſenſus, quem ultra non pro„ſequor, „ Haec Liuineius. *Iniunxerat*, quod adſeritur ab eo, exhibet etiam cod. uetus Puteani. *Iaeg.*

VI. 2. *ab arcanis ſacrorum penetralium*) Magiſtrum memoriae deſcribit, cuius munus erat, adnotationes omnes dictare et emittere, et precibus reſpondere, v. *Guther. de Off. Dom. Aug.* l. 3. c. 3. Eumenium autem hoc honore functum eſſe, ipſe prodit c. 11. infra; et panegyr. ſeq. c. 1. C.

rim,) tanta dignatione reſpicit, quanta pro ſummis honoribus debet ſufficere ſapienti, uellet aliquid, impoſita iſta profeſſione, detrahere; ſed ut profeſſioni ipſi, ex eo honore, quem geſſi, adderet dignitatem. Cui igitur dubium, quin diui- 4
na illa mens Caeſaris, quae tanto ſtudio praeceptorem huic conuentui iuuentutis elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum inſtaurari atque exornari uelit, cum omnes omnium rerum ſectatores atque fautores parum ſe ſatisfacere uoto et conſcientiae ſuae credant, ſi non ipſarum, quas appetunt, gloriarum templa conſtituant.

VII. Inde eſt, quod Athenienſis humanitas aram Miſericordiae inſtituit, quod Romani ducis animi magnitudo templum Virtutis et Honoris. Quarum enim artium, ſiue animi affectionum 2

VI, 4. *Cui igitur dubium,*) Cuſpin. Gud. et MM. Moerl. *cui igitur eſt dubium.* Mox pro *exercitiis illius* Moerl. uitioſe *exercitatio illi*; Gud. *exercitio*; pro *inſtaurari*, habet Moerl. *reſtaurari*; denique poſt *conſcientiae* omittit *ſuae*. *Iaeg.*

VII, 1. *aram Miſericordiae inſtituit,*) Pauſaniae Att. c. 17. pr. eſt Ἔλεου βωμὸς. Fuit media urbe, ut Statius refert, Theb. 12, 482. in qua

mitis poſuit Clementia ſedem.

Et Claudianus B. Gild. v. 404.

— — *ſi flentibus aram*
Et proprium miſeris numen poſuiſtis Athenae. C.

Pro *inſtituit* Cod. Gud. et Moerl. habet *conſtituit*, ſine dubio ex proxime antecedentibus repetitum. *Iaeg.*

VII, 1. *Romani ducis*) Dele uocem *dueis*, quae totam ſententiam obnubilat. Non de unius cuiuspiam magnitudine animi loquitur, ſed de Romana uniuerſim, plane ut Athenienſem humanitatem dicit. *Acid.*

Quid, ſi tamen ea uox retineatur? Alludet ad Marcellum, de quo Val. Max. 1, 1, 8. et Tullius de Nat. Deor. 1, 2. c. 23. B.

magnis hominibus ingeneratus ardor fuit, earum consecrata exsistere ad posteros monumenta uo-
3 luerunt. Aedem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse literis et summi poëtae amicitia duceretur; sed quod in Graecia, cum esset imperator, acceperat; Herculem Musageten esse, id est, comitem, ducemque Musarum: idemque primus nouem signa, hoc est, omnium Camenarum, ex Ambracienſi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecrauit; ut res est, quia mutuis opibus et praemiis iuuari, ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis; et uirtus Herculis uoce Musarum.

VIII.

VII, 2. *ardor fuit,*) Pro *fuerit*, quod uulgo legitur, exemplar membranaceum Liuineii et ed. Cuspin. habet *fuit*. Mox post *earum* Mſ. Moerl. et Patarol inserit *etiam*. *Iaeg.*

VII, 3. *Aedem Herculis Musarum*) Io. Petr. Bellorius, Vestig. uet. Romae, Tab. II. inscriptionem profert: AEDIS HERCVLIS MVSAR. Et Plutarch. Quaest. Rom. LIX. Διατι κοινος ην βωμος Ηρακλεους, και Μουσων; *quare commune templum fuit Herculis et Musarum?* C.

VII, 3. *Fuluius ille Nobilior*) Victor Aetolico bello, unde Musarum imagines, Ambraciae repertas, Romam transtulit, et postea censor, condita aede Herculis Musarum, dedicauit. Plin. Hist. N. 35, 10. *Id.*

VII, 3. *summi poëtae*) Ennii. Cic. pro Arch, c. 11. *Id.*

VII, 3. *Herculem Musageten*) Cod. membr. Liuineii *Heraclen*. In fine h. cap. pro *opibus* exhibet Cuspin. Liuineii textus, Stephanus *operibus*, quod tamen uoci receptae nequaquam praeferendum. *Iaeg.*

VIII. Credo igitur, tali Caesar Herculius et aui Herculis et Herculii patris instinctu tanto studium litterarum fauore prosequitur, ut non minus ad prouidentiam numinis sui existimet pertinere bene dicendi, quam recte faciendi, disciplinam; et pro diuina intelligentia mentis aeternae sentiat, literas omnium fundamenta esse uirtutum: utpote continentiae, modestiae, uigilantiae, pa- 2
tientiae magistras: quae uniuersa cum in consuetudinem tenera aetate uenerunt, ad omnia deinceps officia uitae, et ad ipsa, quae diuersissima uidentur, militiae atque castrorum munia conualescunt. Ideoque his, omnis industriae atque omnis 3
laudis nutricibus, aut, ut uerius loquar, matribus, cum praeceptorem Caesar Herculius declarare dignatus sit: necesse est etiam, sedem propriam cupiat reformari, ut, cum ad antiquam firmitatem, cultumque reparata sit, multo hoc iustius et uerius nuncupetur aedes Herculis atque Musarum.

P 5 IX.

VIII, 1. *Caesar Herculius*) Id est, Constantius, qui a Maximiano Herculio Caesar factus, eius nomine dictus est quoque Herculius. Quod confirmat Tristanus, ex nummo uetere, in commentariis historicis. B.

VIII, 2. *ad omnia deinceps officia uitae, et ad ipsa,*) Secutus sum h. l. lectionem cod. Moerl. quam Liuineius atque Acidalius coniectura sunt adsecuti, et quae etiam in uet. cod. Puteani et Gud. repetitur, excepto, quod *ad* ante *ipsa* deest. Baunius, Cellarius, Patarol 70. *ad* ante *omnia* et ante *ipsa* non habent. Cuspinianus uero, Liuineius, Rhen. Stephanus illud ante *ipsa* positum habent, et ante *omnia* omittunt. *Iaeg.*

VIII, 3. *multo hoc iustius*) Editi, quos inspexi, omnes habent *multo hic iustius*: et in margine edit. Liuineii legitur haec explicatio: *scilicet quam Romae Fuluiana.* Sed Acidalius, testante et probante

IX, Et ſane, Vir Perfectiſſime, intereſt etiam gloriae, quam tanti principes tot uictoriis ac triumphis merentur, ut ingenia, quae canendis eorum uirtutibus excoluntur, non intra priuatos parietes, ſed in publica oſtentatione, et in ipſo urbis iſtius ore uegetentur. 2 Quid autem magis in facie, uultuque iſtius ciuitatis ſitum eſt, quam haec eadem Maeniana, in ipſo tranſitu aduenientium huc inuictiſſimorum principum conſtituta? Qui cum ſe occurſu laetae iuuentutis adfici, non ſolum liberalitate, quam ipſi tribuunt, ſed etiam literis, quibus me ad inſtitutionem eius cohortantur, oſtendant; quanto plus capient uoluptatis, cum reparatum uideant ipſum conciliabulum iuuentutis? 3 Ad hoc, Vir Perfectiſſime, opus iſtud reddit illuſtrius, et, cum ipſorum Caeſarum, tum etiam omnium hominum adſpectui, promtius, quod praecipuo eſt loco poſitum, quaſi inter ipſos oculos

bante Baunio, iam ſubſtituit *τὸ hoc*, quod in Cod. Moerl. et Gud. quoque inuenitur. *Id.*

IX, 1. *tanti principes tot uictoriis* etc.) Sic habent, quos uidi, omnes, excepto Cod. Moerl. et Gud. qui praefert: *tanti principis tot uictoriae ac triumphi merentur.* Sed nihil mutandum. Nam, quae ſequuntur, uerba, canendis *eorum* uirtutibus, ad *triumphos* referri non poſſunt. Loco *τοῦ perfectiſſime*, in principio huius capitis, Cuſpinianus et Stephanus habent *praeſtantiſſime*; quod iure reprobat Liuineius. *Id.*

IX, 2. *reparatum uideant*) Pro *uiderint*. Sic Mamertinus, panegyrico primo, c. 13, 2. *Hi quum primum redeant ad te triumphantes*, etc. *redeant*, i. e. *redierint*. B.

IX, 3. *hominum adſpectui promtius*,) Pro *adſpectui* Cuſpinianus, Liuineius, Stephanus habent *aſpectu*; Mſ. Moerl. *reſpectui*. *Iaeg.*

los ciuitatis, inter Apollinis templum atque Capitolium. Quo magis est etiam sacrosancta sedes, 4
utriusque lateris ueneranda confinio, utriusque numinis instauranda respectu, ne fana, longe omnium in hac urbe pulcherrima, labes media deformet; praesertim cum mihi uideatur ipse ille, 5
qui Maeniana haec primus exstruxit, idcirco ea illic potissimum collocasse, ut ueluti cognato uicinorum sibi numinum tenerentur amplexu, cum augustissima tecta, literis dedicata, inde Athenarum conditrix Minerua conspiceret, hinc Apollo, medius Camenarum.

X. Igitur ibi maxime et oportet et fas est exercere iuuentutis ingenia, ubi tam propinqua sunt numina amica doctrinae, ubi ex proximo iuuat

IX, 3. *Apollinis templum atque Capitolium.*) Situe Maenianae inter utrumque templum. Capitolium autem non solum Romae erat, sed ad exemplum eius etiam in prouinciis. Sidonius Sapphico, extremae epist. l. 9. subnexo, Tolosatium Capitolii mentionem fecit: Antiotheni Liuius 41, 20. C.

IX, 4. *utriusque late numinis instauranda respectu,*) Aperte uerum est, *utriusque lateris instauranda* etc. quod et B. Rhenanus coniecerat. L. Rh. Steph. Liv. pro *numinis* habent *numeris*. Vocem importunam *late*, ex superiore *lateris* ortam, ausus sum eicere. *Ineg.*

IX, 5. *Minervam conspiceret,*) Non aliud a Capitolio templum notatur. Minerua enim etiam ex Capitolinis diis. Sidonius iam dicto Sapphico:

Qui Tolosatem tenuit cathedram,
De gradu summo Capitoliorum
Praecipitatum:
Quem negatorem Iouis et Mineruae;
Et crucis Christi bona confitentem
Vinxit ad tauri latus iniugati.
Plebs furibunda.

Non autem Iouem, sed solam Mineruam Eumenius memorat, quia litterarum praesides ipsi curae erant. add. Liv. 38, 51. in Scipionis oratiuncula, et Ryck. de Capitol. c. 47. C.

uat mens diuina sapientiam, et carminum deus uocem, et uerecundiam uirgo perpetua, et pro-
2 uidentiam praescius futurorum. Ibi adolescentes optimi discant, nobis quasi sollemne carmen praefantibus, maximorum principum facta celebrare. Quis enim melior usus est eloquentiae, quam ubi, ante aras quodammodo suas, Iouios Herculiosque audiant praedicari Iupiter pater, et Minerua so-
3 cia, et Iuno placata? Satis me uerborum fecisse arbitror, Vir Perfectissime, de eo, quod mihi ad dicendum prius constitueram, quam sit ex usu atque officio, instaurari opus illud, studiis, quibus optimi principes maxime fauent, dedicatum, in ipsa ciuitatis fronte positum, celeberrimis templis utrinque coniunctum.

XI. Nunc, quod in secundum locum distuli, quem-

X, 1. *mens diuina*) Περίφρασις Iouis. Incertus in Constantin. A. *Habes profecto aliquod cum ipsa mente diuina, Constantine, secretum.* L.

Minerua ipsa; nec assentior Liuineio, qui Iouem intelligit. *Pat.*

X, 1. *prouidentiam*) Ms. Moerl. *prudentiam.* Mox in uerbis: *quis enim melior usus eloquentiae, quam ubi* etc. pro *ubi* idem cum Gud. Ms. habet *ut*; non male. *Iaeg.*

X, 2. *quodammodo suas*) Hoc est, paene et propemodum. Nam in proximo Capitolium, ut iam dixit. *Suas* etiam aperte rectum, non *suos*, quod Cuspinianus exhibet. L.

X, 3. *uerborum fecisse*) Cod. Gud. et Moerl. pro *fecisse* habent *dixisse*; et pro *coniunctum*, quod est in fine, *conuinctum*: de quarum uocum confusione v. quae dicta sunt ad Mamert. Paneg. I. c. 6. 3. τὸ *placata*, in superioribus, est conciliata Herculi, Herculiisque. *Iaeg.*

XI, 1. *quod in secundum locum distuli*,) Lectio h. l. non satis certe constitui potest. B. Rhenan. Liuineius in contextu, Stephanus, manifesto errore, omittunt τὸ *quod*; sed iure optimo illud receperunt Parisienses, Cellarius, Pata-

quemadmodum id ſine ſumtu publico, et cum laude ſacrae largitionis fieri poſſit, oſtendam. Salarium me liberaliſſimi principes, ex huius rei publicae uiribus, in ſexcenis millibus nummum accipere iuſſerunt; non quoniam non amplius tribuere commodis meis uellent, in quem multo maiora et prius 2

Patarol, cum et ſententiae ratio poſtulet, et exemplar membr. Liuineii, Bertinienſe, et Cuſpiniani, quibus et Mſ. Moerl. accedit, illud exhibeant. Poſt *ſecundum* omnes, excepto Baunio et Cellario, inſerunt *eumdemque*; idque etiam in Cod. Moerl. legitur. Acidalius poſt *eumdemque* uocem *ultimum*, Liuineius, (melius fortaſſe,) *poſtiorem* ponendam eſſe coniicit. Gruterus uocabulum *eumdemque* ortum eſſe a priore uoce *ſecundum*; et auctori ſenſum integrum, ſi illud tollatur, rediturum iudicat. *Iaeg.*

XI, 2. *reipublicae uiribus*,) Cod. Liv. hic et c. 14, 5. habet *reipublicae luribus*. Sed reprobat Baunius, allegata Imp. Conſtantii, qui nepos huius noſtri Conſtantſi fuit, l. 1. cod. de praebend. ſalar. *Nulli ſallarium tribuatur ex uiribus rei publicae, niſi qui iubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus.* *Id.*

XI, 2. *in ſexcenis millibus nummum*) Sollicitat Caſaub. ad Sueton. Othon. c. 4. hunc locum, et pro *ſexcenis* et *tercenis* in hac oratione ſemper *ſexagenis* et *tricenis* ſcribendum eſſe putat. Sed iure reprehenditur a Theod. Marcilio ad Sueton. Veſpaſ. c. 18. Lipſio, de Magnitud. Rom. l. 4. c. 10. Gronouio, de Seſtert. p. 330. Liuineio, Baunio, Cellario, Patarolo ad h. l. *Alciatus*, quod et ipſi hoc ſalarium nimis amplum uiſum, aliam rationem commentus, tradit, *accipere in ſexcenis* ſignificare: accipere annuum reditum, qui confici poſſit ex ea ſumma, ſi foenori daretur. Verum et haec ſententia nequit probari. Nam Eumenius, ut recte monent Baunius et Cellarius, uir magnae dignitatis, ſpectabilis et Comes ordinis primi, non uulgaris rhetor fuit; et, ſiue Alciatum ſequaris, ſiue Caſaubonum, dimidium ſummae minus erit, quam pro dignitate magiſtri ſacrae memoriae. Vt taceam, libros omnes, tam ſcriptos, quam editos, tueri τὸ *ſexcenis*. *Id.*

XI, 2. *in quem multo maiora et priùs et poſtea*) Pro *multo*

prius et poſtea praemia contulerunt; ſed ut trecena illa ſeſtertia, quae ſacrae memoriae magiſter acceperam, in honore priuati huius magiſterii,
3 addita pari ſorte, geminarent. Hoc ego ſalarium, quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio, et in accepti ratione perſcribo: ſed expenſum referre patriae meae cupio, et ad reſtitutionem huius operis, quoad uſus popoſcerit, deſtinare.
4 Cuius uoluntatis meae ratio etſi adſerenda non eſt, tamen ſub hac tua humanitate, et circumſtantium exſpectatione, qua me audiri ſentio, aliquatenus proſequenda eſt.

XII. Nam primum omnium, in hoc ego maximos eſſe fructus praemiorum puto, ut digni, qui-

multo Cuſpinianus habet *multa*; non male. Pro *prius et poſtea* Rhen. et Stephan. corrupte *prius quod poſtea*; unde Acidalius uoculas *quod poſtea* alienas iudicat. Sed, ſi pro *quod* legamus *et*, uti eſt in Mſ. Moerl. Cod. Puteani, edd. Cuſpin. Liuin. Baun. Cell. Patar. ſenſus ſatis conſtat. Pro *praemia* Gud. *munera*. *Id.*

XI, 2. *ut tercena*) Cod. Bertinienſ. Putean. Gud. Moerl. habent *trecena*; quos ſequor. *Id.*

XI, 3. *adoratum accipio*,) Bene *adoratum*, non *oblatum*, ut Delbenius, aut *adaeratum*, ut Balduinus coniecit. Eumen. in Conſtant. Caeſ. c. 5. *Adoratae ſint mihi Sarmaticae expeditiones*. *L.*

XI, 3. *in accepti ratione perſcribo*:) Pro *ratione* Liuineius coniicit *rationes* eſſe legendum. Verum haec mutatio non neceſſaria. Loco τοῦ *perſcribo* cod. membr. Liuineii itemque Gud. et Bertinienſ. *praeſcribo*; cod. Moerl. *in accepti nunc preſcribo*, omiſſo uocabulo *ratione*; uitioſe. *Iaeg.*

XI, 3. *uſus popoſcerit*,) Mſ. Moerl. *repoſcerit*; non male; praeſertim, ſi conſideres ea, quae dixi ad Mamert. Paneg. I. c. 11, 3. *Iaeg.*

XII, 1. *ego maximos — habeantur*:) In Cod. Moerl. et Gud. haec ita leguntur: *in hoc ego arbitor, maximos eſſe fructus praemiorum, ut digni, quibus tribuant, habeantur.*

quibus tribuantur, habeamur: ſiquidem ipſe uſus pecuniae, bonis malisue artibus partae, promiſcuus et uilis eſt; honeſtis uero rationibus poſſe acquirere ſummum, etiamſi quaeſtum remiſeris, lucrum eſt. Neque enim Syrus mercator, aut 2
Deliacus, aut Indicus ad uberrima iſta compendia laudis adſpirat; ſed rarae atque inter pauciſſimas opes ſunt contentae meritis conſcientiae. Quippe hoc ipſo praemii gloria continetur, ne id cupiditate quaerendi adfectaſſe uideamur. Quod hoc uno adſequi poſſumus, ſi pro accepto ducamus oblatum: ut induſtriae ſit, ad ſumendi copiam peruenire potuiſſe, continentiae, praeteriiſſe.

XIII. An, ſi fortiſſimi uiri in ſacris certaminibus, ſummo labore atque etiam uitae periculo, ſolam uocem praeconis et coronae teſtimonium petunt, ego uerba illa diuina, caeleſtesque literas, quibus mihi tanti principes inſtituendam iuuentutem commendare dignati ſunt, non ultra omnium uocum potentiam uenerabundus accipiam?

tur. Mox in eodem Moerl. uocabula *honeſtis* et *lucrum eſt* a librario omiſſa. Supra, initio h. e. pro *Nam* reſcribo *Iam.* *Id.*

XII, 2. *mercator Deliacus*) Celebris in inſula Delo mercatus fuit. Cicero pro L. Manil. c. 18. *Delos in mari Aegaeo poſita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant.* Et Plinius Hiſt. N. 34, 2. *Mercatus in Delo, concelebrante toto orbe.* C.

XII, 2. *inter pauciſſimas*) Cuſpinian. Liuineius, Stephanus, Patarol habent inter *pauciſſimos*; non prorſus incommode. *Iaeg.*

XIII, 1. *An, ſi fortiſſimi uiri — accipiam?*) In hac periodo uoces *petunt* et *inſtituendam* deſunt in Cod. Moerl. Vox *potentiam* ſuſpecta eſt Acidalio, eique, probante quidem Baunio, ſed praeter neceſſitatem, ſubſtituit *praeconium.* *Id.*

piam? non ultra omnes laureas colam? Quas ego, Vir Perfectiſſime. Tametſi hanc quoque mihi ueniam tribuas oportet. Neque enim fas, ipſius epiſtolae ſacrae commemorationem ſolam ſine obſequio recitationis inducere; ut, ea perlecta, magis eluceat, quantum me ſtudium par ſit impendere non ipſis modo literis, ſed etiam templis ac ſedibus literarum.

XIV. Merentur et Galli noſtri, ut eorum liberis, quorum uita in Auguſtodunenſium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipſi adoleſcentes, qui hilari conſenſu meum

XIII, 2. *Quas ego*,) In ed. B. Rhenani *Leges ergo* uulgatum; ſed uereor, ne a correctorum manu. Nam primum in melioribus libris, ueteri noſtro, Bertinienſi, Cuſpiniani, inuenio conſtanter *quas ego*, *V. P. Tametſi* etc. Deinde, quo correctio pertinet *Tametſi*? Quae in hac noſtra ἀποσιωπήσει non eſt obſcura. L.

Lectionem hanc trium codicum, quos indicat Liuineius, tuetur etiam cod. Puteani et Moerl. *Iaeg.*

XIV, 1. *Auguſtodunenſium*) In ueteribus exemplaribus erat, inquit Balduinus, in *Auguſto oppido*; tum ad marginem libri additum pro gloſſemate *Flauienſium*, quod ſubinde receptum eſt in contextum, et quidem mendoſe in aliquot editionibus, ubi legitur *Cliuienſium*, quod tamen acerrime retinet Rhenanus. Similiter cum in antiquis libris legeretur, *meum comitatum*, poſteriores editiones ita habent: *meum Conſtantii Caeſaris comitatum*; quaedam etiam: *meum Conſtantii Caeſaris ex Italia reuertentis comitatum*, quae uoces quin e margine in contextum translatae ſint, minime dubium. B.

1. Auguſtodunenſium habet etiam Cod. Moerl. v. Vit. Eumen. In uerbis ſequentibus idem codex gloſſemate interpolatam lectionem *meum Conſt. Caeſ. ex Italia reuertentis ſuſc. comit.* exhibet. *Iaeg.*

meum ſuſcepere comitatum, ut eorum indoli conſulere cupiamus. Proinde quod 2
aliud praemium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare poteſt, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod ui- 3
detur interitu praeceptoris orbatum, te potiſſimum praeficere debuimus, cuius eloquentiam et grauitatem morum ex actus noſtri habemus adminiſtratione compertam. Saluo igitur priuilegio dignitatis tuae, hortamur, ut profeſſionem 4
oratoriam repetas, atque in ſupra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad priſti-

Q nam

XIV, 3. *te uel potiſſimum*) Voculam *uel*, quam a ueteri ſuo exemplari et Bertinienſi abeſſe teſtatur Liuineius, quamque cod. Moerl. et Gud. etiam omittit, ut incommodam, deleui. Mox idem Moerl. pro *ex actus noſtri hab. adminiſtratione comp.* praefert *et actus noſtri habemus adminiſtrationem*; uerum potior multo hic eſt lectio recepta, v. cap. ſeq. ſect. 4. quam, non abnuente quidem Baunio, fruſtra tamen ſollicitat Balduinus, et legi iubet *in actis noſtris et adminiſtratione*; cui optimo iure contradicit Acidalius et Liuineius. *Ex actus noſtri adm.* i. e. ex adminiſtratione magiſterii ſacrae memoriae. Nititur haec lectio auctoritate uet. cod. Liuin. Bertin. Cuſpin. Putean. *Id.*

XIV, 4. *repetas*,) Pro hac uoce, quae legitur in uet. exempl. Liuineii, Bertinienſi, Putean. Moerl. et edd. Cuſp. ac Pat. exhibet Liuineius in textu *recipias*, Rhenanus et Stephanus *receptes*? et hoc Baunius praefert; neque enim crediderim, ait, Eumenium ante acceptam hanc a Caeſare epiſtolam profeſſionem oratoriam exercuiſſe. Sed quare hoc nolit credere, non indicat. Eumenius c. 6. h. panegyr. ſect. 2. dicit, ſe *diſciplinas artis oratoriae, priſtinae ſuae ſtudiae reuocare. Illi*

nam gloriam reformare, ad uitae melioris ſtudium adoleſcentium excolas mentes: nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honeſta profeſſio ornet potius omnem, quam deſtruat, dignitatem. Denique etiam ſalarium te in ſexcenis millibus nummum ex rei publicae uiribus conſequi uolumus; ut intelligas, meritis tuis etiam noſtram conſuluiſſe clementiam. Vale, Eumeni cariſſime nobis.

XV. Ita non uidetur tibi, Vir Perfectiſſime, hac tantorum principum exhortatione, non ſolum meus ex otio iacens ad priſtinas artes animus attolli, uerum etiam ipſi quodammodo ueterum ſcholarum parietes et tecta conſurgere? quod enim tantum carmen Amphioni, quae tanta plectro, fidibusque dulcedo, quam ſecuta quondam ſaxa

XIV, 4. *ornet potius nomen,*) Loco τοῦ *nomen,* quod in ed. Baunii inueni, neſcio unde contextui illatum, Cuſpinianus, Liuineius, Stephanus, ed. Pariſienſ. a. 1643. Cellarius, Pat. habent *omnem*; cod. Moerl. *hominem*, quae facile inter ſe permutantur. *Id.*

XIV, 5. *conſuluiſſe*) Pro uoce *conſtituere*, nullius hic ſenſus, quae adhuc in omnibus, quos uidi, editis libris legebatur, Liuineius et Acidalius coniiciunt, ſubſtituendum eſſe *conſtare*; ſatis bene. Sed cum cod. uetus Puteani, itemque Gud. et Moerlianus habeat *conſuluiſſe*, commodam hanc lectionem Mſſ. ingenioſae quamuis Liuineii coniecturae anteponendam exiſtimaui. *Id.*

XV, 1. *non ſolum meus*) τὸ *meus* deeſt in cod. Gud. et Moerl. *Id.*

ſaxa perhibentur, ut ducentibus ſubuecta modulis, et ad interualla carminum reſiſtentia, ſponte murum, uelut arte, conſtruerent: quanta in his Imperatorum et Caeſarum literis ineſt ad omnes animorum impetus, effectusque rerum ciendos uis atque permotio? qui, quod iubere poſſint, 3
ſuadere dignantur: et, cum uel tacitas eorum ac uultu tenus ſignificatas uoluntates ſummi patris ſequatur auctoritas, cuius nutum promiſſionemque firmantis totius mundi tremor ſentit; ipſi tamen ultro imperandi poteſtatem cohortandi humanitate conciliant. Quin etiam laudibus in- 4

citant,

XV, 2. *uelut arte conſtruerent:*) Mſ. Moerl. et Gud. *conſtituerent.* *Iaeg.*

XV, 2. *Imperatorum et Caeſarum)* Mos fuit, leges et mandata, ſi plures uno imperarent, omnium ſimul nomine edere ac promulgare, etiamſi ab uno proficiſcerentur; ut hoc a Conſtantio. Imperatores autem Augg. erant Diocletianus et Maximianus Herculeus; Caeſares Conſtantius et Maximianus Galerius. C.

XV, 3. *literis ineſt — ſuadere dignantur:*) Inſignis h. l. uarietas ſcripturae eſt in Cod. Moerl. cuius in nullo alio apparet ueſtigium. Legitur ita: *quanta in his impp. et caeſſ. lit. ineſt; qui domini animorum impetus effectusque rerum ciendo ſuis: atque etiam promouendo conſiliis per quod iubere poſſunt, ſuadere dignantur.* Ex quibus uerbis, ſi lectio uulgata uideretur mutanda, transpoſito τῷ *ſuis* et poſt *atque etiam* collocato, et eiecto τῷ̃ *per* ante *quod iubere*, uel in *id* mutato, ſenſum non ineptum poſſes elicere. Gud. praefert: *ineſt: qui deinde imp.* etc. *Iaeg.*

XV, 3. *nutum — firmantis)* v. Virg. Aen. 9, 106. Pro *firmantis* Liuineius uult *flammantis mundi* i. e. Olympi; non probante Grutero. *Firmantis* eſt ſimpliciter *confirmantis* ſ. *pollicentis.* *Id.*

XV, 3. *humanitate conciliant.*) *Conciliant* non ſatis concoquo, et *condiunt* reponam. L.

Non audiendus eſt hic Liuineius; ſi quidem τὸ *conciliare* idem eſt h. l. atque *condire*, i. e. *gratum et acceptum reddere.* Non deſunt exempla huius ſignificatus.

Caeſ.

citant, grauitatem morum, dicendi facultatem sibi probatam et cognitam praedicantes: palatini honoris priuilegium oratoriae professioni saluum et incolume seruantes. Quibus ego diuinae benignitatis illecebris, etiamsi omni sensu ante caruissem, ad quamuis profecto intelligentiam mouerer ac ducerer. Siquidem tantos principes unum hominem tanta laude decorare, non est oratorem admonere, sed facere.

XVI. Quid igitur mihi cum numerata pecunia? immo quid cum ullis opibus aut Midae regis, aut Croesi, aut ipsius, qui auro dicitur fluxisse, Pactoli, cum diuina haec testimonia omnibus diuitiis,

Caes. B. G. 8, 52. *T. Labienum Galliae togatae praefecit, quo maiore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem.*

Ouid. Trist. l. 3. el. 11. v. 41.

Quique bouem Siculo fertur donasse tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas. Iaeg.

XV, 5. *intelligentiam adducerer.*) *Intelligentiam onerer adduc.* est in uetere cod. nostro: belliſſime in ed. Cuspin. *intellig. mouerer ac ducerer.* Inepte Balduinus *intellig. oneris adducerer.* L.

Rhenanus hariolatur, *monere* aut *moneri.* Lege, *monerer ac docerer.* Non moneret tantum, inquit, sed docerer. Id explicat iis, quae subiuncta: *Siquidem tantos principes unum hominem tanta laude decorare, non est oratorem admonere, sed facere.* Forte *minimum hominem.* A.

Liuineius in contextu, omisso uitioso *onerer*, quod Rhen. et Steph. habent, itemque τῷ *mouerer*, quod in Cuspin. inuenit, solum exhibet *adducerer.* Mſ. Moerl. et Gud. *mouerer et adducerer.* Cusp. sequitur Pat. Haec Moerl. lectio et ea, quam in ed. Cuspiniani reperimus, confirmata cod. Puteani, sine controuersia ceteris est praeferenda. Nec opus est, cum Acidalio τὸ *ducerer* mutare in *docerer.* Nam *ad intelligentiam duci uel adduci*, idem certe est ac *doceri.* Iaeg.

XVI, 1. *cum ullis*) Mſ. Moerl. *cum illis;* mox pro *dicitur*, idem et uet. cod. Puteani cum Gud. *creditur;* porro post *diuina* deest τὸ *haec*: et

uitiis, atque ipſis eorum praemiis anteponam? Niſi forte Pythiados illius, excellentem Socratis 2
ſapientiam uaticinatae, aut magnificentius carmen uidetur, aut uerius, quam quod Iouii Herculiique pronuntiant, quorum ne nutus quidem poſſunt, non modo dicta, reuocari. Quamobrem, 3
ut dixi, Vir Perfectiſſime, ſexcena illa, quantum ad honorem ſpectat, accipi oportere cenſeo, atque uſum delego patriae, et ipſi potiſſimum operi, in quo ſtudia noſtra celebranda ſunt. Videor 4
enim mihi id, quod ſacris literis conquiritur, ut ſaluo honoris mei priuilegio doceam, hoc manifeſtius atque illuſtrius retenturus, ſi me dignum

Q 3 talibus

et ſect. 2. pro *uaticinatae* exhibet *uaticinantis*. *Id.*

XVI, 1. *ipſis eorum*) Diu eſt, quod littera addita uolebam *Deorum praemiis*; neque adhuc diſplicet. G.

XVI, 2. *ne nutus quidem — non modo dicta,*) De hac locutione, in qua deeſt *non* v. Perizon. ad Sanct. Minerv. l. 4. c. 7. n. 5. p. m. 694. ſqq. Vechner. Hellenolex. 1, 2, 5. p. m. 143 ſqq. Brouckhuſ. ad Tibull. 1, 1, 47. *Iaeg.*

XVI, 3. *accipi oportere — delego patriae,*) *Accipi oportere autem aut quae uſum* etc. lego explanate in uetere cod. meo; in Bertinienſi *accipi oportere, at aut uſus* etc. Reſcribam e ueſtigiis: *accipi oportere autumo, atque uſum* etc. L.

Lege, *atqui uſu d. p.* R.

Putabam aliquando, littera una tantum mutata reſcribendum, *cenſeo: atqui uſum* etc. quo modo etiam uideo ueniſſe in mentem optimo Bongarſio. Sed enim, cum audiam, abire ab hac ſcriptura exemplaria authentica; ſuſpicari licet, fuiſſe, *ſpectat, accipio aperte, re autem atque uſu delego patriae*; ut ſubintelligatur, ſexcena ſeſtertia: niſi potius fuit, *accipi oportet; re autem atque uſu delego patriae.* Quod ad ſententiam attinet, eamdem expreſſit et ſupra c. 2. G.

Cod. uet. Puteani et Moerl. cum Gud. *accipi oportet; ea autem delego patriae et ipſi* etc. Lectio quantiuis pretii, et, paene dixerim, unice uera. *Iaeg.*

XVI, 4. *ut ſaluo honoris mei priuilegio doceam,*) Mihi tempe-

talibus aeternorum principum iudiciis probem
5 amore rei publicae. Equidem ipsos patriae deos testor, tanto me ciuitatis istius amore flagrare, ut, quocumque oculos circumtuli, ad restitutionem operum singulorum ita gaudio ferar, ut spiritum idemtidem meum pro illorum salute deuo-
6 ueam, quorum iussu, opibusque reparantur. Sed tamen hoc, quod mihi ornandae professionis meae causa tributum est, huic me praecipue sentio debere monumento.

XVII. Etenim si bello parta Marti dicantur, si mari quaesita Neptuno, si messes Cereri, si Mercurio lucra libantur, si item rerum omnium ad cultum referuntur auctorum: ubi fas est docendi

temperare non potui, quin, iuxta Liuineii, Acidalii, et Gruteri suspicionem, textum hunc haud corruptum, duabus mutatis uocibus, ederem. Pro *ita saluo* (quod scripti et editi habent,) restitui *ut salvo*; et mox pro *ut me*, lego *sime*, ut post Liuineium emendat Gruterus. B.

XVI, 4. *aeternorum principium*) v. Cellar. ad Eumen. Grat. Act. Flauiens. nomine, c. 1. *laeg.*

XVI, 6. *iussu, opibusque*) Vitiose Rh. Steph. Liu. *operibusque*. *Id.*

XVII, 1. *si item rerum omnium — auctorum*;) Suspicatus sum olim, nocuisse huic loco compendium scripturae, ac fuisse initio expressum, *si primitiae rerum omnium* etc. aliis uero deinde per notam numeri primarii indicare uoluisse idem uerbi, una, alteraque adiecta littera, nunc ne hisce quidem: adeo lubricum omnino est, aliquid tentare sine libris ducibus. G.

Sensus quidem clarior fit, si cum Balduino legatur: *si item res omnes* etc. Vel si inseratur aliqua uocula: *si primitiae rerum omnium*, uel: *si fructus rerum omnium*. Sed tamen, quia deest ueterum codicum auctoritas, nihil muto. B.

Cod. Moerl. habet: *si item ad cultum omnium rerum referuntur auctorum*. Sed, hanc scripturam uulgata deteriorem esse et magis deprauatam, facile intelligitur. *Leg.*

endi praemia conſecrare, niſi in ſede dicendi? praeſertim, cum mihi, ultra communem cum 2
ceteris ſtudiorum religionem, etiam proprius quidam ſit, erga Maeniana illa, ex maiorum meorum recordatione, dilectus. Quamuis enim, 3
ante ingreſſum pueritiae meae, intermiſſa fuerit eorum exercendi ſtudii frequentatio, tamen illic auum meum quondam docuiſſe audio, hominem Athenis ortum, Romae diu celebrem, mox in iſta urbe, perſpecto et probato hominum amore doctrinae, atque huius ipſius operis uenerationē, detentum. Cuius ego locum, in quo, 4
ut referunt, maior octogenario docuit, ſi ab iſto uenerabili ſene, (Te, Glauce, appello praeſentem,

XVII, 1. *in ſede dicendi?*) Pro *dicendi* Acidalius reponi iubet *docendi*. Cod. Moerl. exhibet: *niſi ipſi ſcholae dicendi*. Minus commode. *Id.*

XVII, 2. *proprius quidem ſit,*) In locum τοῦ *quidem*, quod non ſatis aptum h. l. ſubſtitui *quidam*, auctoritate codd. Bertinienſ. Putean. Moerl. et exemplo Pataroli. *Id.*

XVII, 3. *praetermiſſa — frequentatio,*) Pro *praetermiſſa* Cod. Moerl. et Gud. melius exhibet *intermiſſa*. Mox pro *exercendi ſtudii* Liuineius coniicit *exercendis ſtudiis*. Verum defendi poteſt lectio uulgata, ſi admittamus ellipſin uocis *gratia*, l. *cauſa*, l. *ergo*, de qua v. Heuſinger, ad Vechneri Hellenolex. in add. ad p. 133. In uerbis ſequentibus pro *auum | meum quondam* Cod. Moerl. elegantius *auum quondam meum*. *Id.*

XVII, 3. *perſpecto et probato*) Acidal. coniicit *perſpecta probitate hominum, amore doctrinae* etc. Rh. et Steph. praefert *perſpectum probato hominum amore*. Cod. Put. et Gud. *perſpectum, probatumque*. Ita etiam Cod. Moerl. qui hic periodum finit, et uerba ſequentia *hominum amore doctr.* usque ad *uenerationē detentum* aeque ac Gud. omittit. *Id.*

XVII, 4. *Te, Glauce,*) Lipſius 3. Annal. Tac. hunc ipſum

quem uidemus, non ciuitate Atticum, sed eloquio,) recoli, ornarique perfecero, ipsum mihi uidebor ad uitam tali professionis suae successione reuocasse. Quod quidem ego meum erga honorem domus ac familiae meae studium non confiterer, Vir Perfectissime, nisi ipsis Imperatoribus, Caesaribusque nostris gratum esse confiderem, ut publicam eorum in restituendo orbe pietatem pro suo quisque captu in renouandis suorum uestigiis aemuletur.

XVIII. Quis enim nunc sit animo tam humili, tam abiecto, tam ab omni appetitione laudis alieno, ut non et quantulamcumque memoriam suorum excitare, et sibi aliquid secundae opinionis cupiat acquirere? cum uideat omnia, quae priorum labe conciderant, hac felicitate saeculi

ipsum Glaucum accipit pro auo Eumenii, Athenis orto. At manifestum, hic alium quemdam praesentem, cui Glauco nomen, appellari, qui Athenienſis non sit. A.

Miror, Baunium quoque non alienum esse a sententia Lipsii. Vt tollat difficultatem ex uerbis *non ciuitate Atticum* ortam, tribuit iis hunc sensum, *non modo ciuitate Atticum, sed eloquio*, cumque confirmat illis, quae profert ad h. orationis c. 19. f. 4. Si cui haec interpretatio non arrideat, optionem facit alterius *non tam ciuitate Atticum, quam eloquio*. Verum haec omnia nihili sunt. Nihil apertius, et ex uniuersa orationis serie clarius, quam Glaucum alium esse ab auo Eumenii. Nam si hic ad uitam reuocandus fuit, quo modo tum praesens esse potuerit, nemo intelliget. *Iaeg.*

XVII, 5. *Quod quidem — erga honorem*) In aliis edd. legitur *quod quidem meum ego erga honorem*, quem insuauem uerborum positum, duce Mf. Putean. et Moerl. et Pat. mutaui. *Id.*

XVIII, 1. *omnia, quae priorum labe conciderant,*) Intelligit (opinor) decennium, quo Carausius et Allectus

saeculi refurgentia; tot urbes, diu siluis obsitas atque habitatas feris, instaurari moenibus, incolis frequentari; quod in Aegaeo mari semel a contigit, ut, quae operta fluctibus uagabatur, repente insula Delos exsisteret, eius nunc simile, tot orientibus undique ciuitatibus, tot insulis ad humanos cultus quasi renascentibus, euenire. Nisi forte non grauior Britanniam ruina depres- 3 serat, quam si superfuso tegeretur Oceano; quae, profundissimo poenarum gurgite liberata, ad con-

Q 5 spectum

ctus Britannia per tyrannidem potiti. Suadent, quae sequuntur. *Priorum* edidi ex ueteri Cod. nostro, Bertinienf. Cuspinian. In editione Rhenani erat *oriorum*, unde *bellorum* aut *superiorum* legendum Rhenanus coniecerat. Vtrumque (si Diis placet) Balduinus in contextum recepit. Vide, quae ex quantula caussa et origine labes. L.

XVIII, 2. *quae opertis fluctibus*) Pro *opertis*, quod adhuc in omnibus edd. repertum, Liuineius suspicabatur, legendum esse *operta*. Cod. Puteani habet *opera*, Moerl. et Gud. expresse *operta*, quod adeo in contextum recipere non dubitaui. *Iaeg.*

XVIII, 2. *uagabatur, repente insula Delos*) De mobilitate Deli ante Latonae partum Ouid. Metam. 6. v. 333.

— — — *quam uix erratica Delos*
Orantem accepit tum, quum leuis insula nabat.

Adde fragmentum Carminis Petroniani. De repentino emersu Plinius H. N. 4, 12. cum Aristotele, *Delon appellatam, quoniam repente apparuerit enata.* C.

XVIII, 3. *si perfuso tegerent*) In locum huius uitiosae scripturae ex Bertinienſi *superfuso* et ex ueteri cod. Liuineii *tegeretur* reposuerunt Parisienses, Cellarius, et Patarol; suffragante etiam eod. Putean. et Moerl. *Iaeg.*

XVIII, 3. *Poenorum gurgite*) Sequor *poenarum*, i. e. miseriarum et calamitatum, aut certe P maiuscula *Poenarum*, h. e. τῶν ἐρινύων. *Picti*, quos Balduinus substituit, nihil ad rem et historiam praesentem. L.

Poenorum Rhenanus, Pighius *Pictonum*. Forte *Pictorum* uoluit. Cuspinianus et Lipsius *poenarum*. Ego ne in hoc quidem acquiesco. Forte

ſpectum Romanae lucis emerſit: aut haec ipſa, quae modo deſinit eſſe barbaria, non magis feritate Francorum uelut hauſta deſiderat, quam ſi eam circumfuſa flumina et mare adluens operuiſ-
4 ſet. Nam quid ego alarum et cohortium caſtra percenſeam, toto Rheni, et Iſtri, et Euphratis limite reſtituta? Qua ueris, auctumniue clementia tot manu poſitae arbores conualeſcunt, quo calore Solis tot depreſſae imbribus ſegetes reſurgunt, quot ubique muri, uix repertis uete-
5 rum fundamentorum ueſtigiis, excitantur? Adeo, ut res eſt, aurea illa ſaecula, quae non diu quondam Saturno rege uiguerunt, nunc aeternis auſpiciis Iouis et Herculis renaſcuntur.

XIX. Sed enim, Vir Perfectiſſime, inter omnia, quae uirtute principum ac felicitate recreantur, ſint licet fortaſſe alia magnitudine atque utilitate potiora, nihil eſt tamen admirabilius

Forte *praedonum*. Nam latrocinium uocat id bellum Mamertin. Genethl. Maxim. *Acid.*

Praeter Cuſpin. etiam uetus liber Liuineii, Bertinienſ. Putean. Moerl. habent *poenarum*; idem uocabulum Schonhouius quoque ad oram edit. Froben. adſcripſit. *Ineg.*

XVIII, 3. *hauſta deſiderat,*) Mſ. Moerl. *deciderat*. Male. Liuineius coniicit *deſiderat*. Sed nec hoc melius, ſiquidem, iudice Burmanno ad Petron. c. 96. et Drakenb. ad Sil. Ital. 5, 6. praeteritum uerbi *fido* et compoſitorum ex eo rectius tertia uocali ſcribitur. Nihil itaque mutandum. *Id.*

XVIII, 5. *aeternis auſpiciis*) i. e. auſpiciis Imperatorum, aeternitate dignorum. v. Cellar. ad Eumen. Gratiar. Act. Flauienſ. nomine, c. 1. *Id.*

XVIII, 5. *Iouis et Herculis*) Iouii Diocletiani et Maximiani Herculei. Nam et in nummo apud illuſtrem Spanhem. de eisdem imperatoribus : IOVI ET HERCVLI AVGG. C.

lius hac liberalitate, quam fouendis, honorandisque literarum ſtudiis impartiunt. Quippe, ut, in- 2
itio dixi, nulli umquam antehac principes pari cura belli munia, et huiusmodi pacis ornamenta coluerunt. Diuerſiſſimus enim ad utramque ſe- 3
ctam deflexus eſt, diſpar natura mentium, et diſcrepans in electione iudicium; ipſorum denique utrisque artibus praeſidentium Numinum diſſoni monitus, habitusque diſſimiles. Quo magis ho- 4
rum noua et incredibilis eſt uirtus et humanitas, qui, inter tanta opera bellorum, ad haec quoque literarum exercitia reſpiciunt, atque illum temporum ſtatum, quo, ut legimus, Romana res plurimum terra et mari ualuit, ita demum integrari putant, ſi non potentia, ſed etiam eloquentia Romana reuireſcat.

XX.

XIX, 2. *principes pari cura — coluerunt.*) Mſ. Moerl. et Gud. *Nulli umquam antebac principes curas belli, muniaque, et huiusmodi pacis ornamenta coluerunt.* Sed uulgata ſine dubio melior eſt. *Iaeg.*

XIX, 3. *utrisque artibus praeſidentium nominum*) Nihil uerius eſt ſcriptura Viennenſis editionis *praeſidentium Numinum*: quamuis non item comprobent membranae. Nam pacis utique bellique diuerſiſſima Numina et rebus et ſermone et habitu. Et ſic quoque forte legendum ad marginem libri ſui adſcripſerat Petrus ille Daniel. G. Praeter Viennenſem Cuſpin. edit. quam merito ſequuntur Pariſienſes et Cellar. et Patar. omnes in corrupta lectione *nominum* conſpirare deprehendi. *Iaeg.*

XIX, 4. *ſi non potentia, ſed etiam eloquentia Romana reuireſcat.*) *Non potentia*, i. e. *non potentia tantum, ſed etiam eloquentia Rom.* Ita Plinius Paneg. c. 8. *nec iudicia hominum, ſed Deorum etiam in conſilium adſumſit.* Et Iulian. Paneg. X, c. 10, 1. *non priuatas aedes, ſed publica tecta:* pro *non priuatas modo aedes*; ſed et infra, eiusd. paneg. c. 19, 4. *nec uiros quidem, ſed muli-*

XX. Detur ergo, Vir Perfectiſſime, illa mihi ab optimis uirtutum omnium dominis tributa largitio huic operi, doctrinae atque eloquentiae dedicato; ut, quemadmodum cetera uitae noſtrae commoda apud auxiliatores eorum deos colimus, ita ſingularem eorumdem erga literas dignationem in antiqua literarum ſede celebremus. 2 Videat praeterea in illis porticibus iuuentus, et quotidie ſpectet omnes terras et cuncta maria, et quidquid inuictiſſimi principes urbium, gentium, nationum aut pietate reſtituunt, aut uirtute conficiunt,

mulierculas; i. e. *non uiros modo.* B.

Mſ. Moerl. habet *ſi non ſolum potentia*, ſine dubio a manu interpolatoris. v. quos laudaui ad h. paneg. c. 16. 2. et ad Mamert. Paneg. Iulian. 10, 1. *Iaeg.*

XX, 1. *dedicato*;) In ed. Cuſp. Rhen. Steph. et Mſ. Moerl. ac Gud. uitioſe legitur *dedicata*: in ed. Liuineii, reliquisque recte *dedicato*, uti Acidalius legendum eſſe monuit. Senſus uidelicet hic eſt: *largitio illa l. pecunia ab imperatoribus mihi tributa detur et impendatur huic operi, eloquentiae dicato, i. e. inſtaurandis ſcholis, doctrinae et eloquentiae officinis. Iaeg.*

XX, 2. *nationum aut pietate reſtituunt — terrore deuinciunt.)* Rhen. Liuin. *nationum aut uirtute deuinc. aut terrore*, omiſſis uocibus *pietate reſtituunt.* Culpinian. Pariſ. Cellar. Patar. *nationum aut pietate reſtituunt aut uirtute deuincunt aut terrore.* Voces *pietate reſtituunt* leguntur etiam in cod. Bertinienſi et a Schonhouio orae ed. Rhen. adſcriptae ſunt. Cod. Puteani: *aut pietate reſtituunt aut uirtute concipiunt aut terrore deuinciunt.* Mſ. Moerl. *aut piet. reſt. aut uirtute conficiunt aut terrore deuinciunt.* Sic et Gud. excepto quod *deuincunt* praefert. Hanc lectionem Moerl. omnium optimam eſſe, nemini, opinor, obſcurum erit. Quid aptius, quam et uoci *terrore* uerbum ſuum adiungi, ſicut *pietate* et *uirtute* addita ſibi habent? τὸ *conficiunt*, i. e. debellant, firmatur ſcriptura Puteani cod. uitioſa *concipiunt*; et *deuinciunt* eiusd. cod. ſcript. *deuinicunt.* Rhen. et Stephanus quidem, uti etiam uet. cod. Liui-

ficiunt, aut terrore deuinciunt. Siquidem illic, 3
ut ipſe uidiſti, credo, inſtruendae pueritiae cauſa, quo manifeſtius oculis diſcerentur, quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus ſuis locorum ſitus, ſpatia, interualla deſcripta ſunt, quidquid ubique fluminum oritur et conditur, quacumque ſe litorum ſinus flectunt, qua uel ambitu cingit orbem, uel impetu irrumpit Oceanus.

XXI. Ibi fortiſſimorum imperatorum pulcherrimae res geſtae per diuerſa regionum argumenta recolantur, dum calentibus, ſemperque uenientibus uictoriarum nuntiis reuiſuntur gemina Perſidos flumina, et Libyae arua ſitientia, et con-

Liuineii, Bertinienſ. et Cuſpin. habent *deuincunt;* ſed hoc uocabulum non ſatis differt ſignificatu a uoce *conficiunt*. *Deuincire* eſt h. l. *aliquem eo redigere, ut nocere non poſſit uel non audeat;* idque *terrori* apprime conuenit. Sic Cicero orat. in L. Piſon. c. 13. de Cn. Pompeio: *Qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat.* *Iaeg.*

XX, 3. *inſtruendae pueritiae*) Mſ. Moerl. *inſtituendae puer.* *Id.*

XX, 3. *qua uel ambitu — Oceanus.*) Cuſp. Rhen. Steph. Liuin. in textu *quoue;* uet. cod. Liuin. et Bertin. quos ſequuntur Pariſienſ. Cellar. Patar. *quo uel;* Cod. Put. et Moerl. cum Gud. *qua uel:* quod praefero. *τὸ impetu,* quod Liuineius in Bertinienſ. inuenit, (in ed. Cuſp. Rhen. Steph. et contextu Liuin. deeſt,) habet itidem Cod. Put. et Moerl. *Id.*

XXI, 1. *gemina Perſidos flumina,*) Perſidos nomine non tam *Perſis* propria, quam totum regnum Perſarum, quod in Meſopotamiam uſque recedebat, intelligitur. Flumina ſunt Euphrates et Tigris, citra fines Perſidis propriae decurrentes. C.

Haec eſt lectio uet. cod. Liuin. Bertinienſ. Cuſpin. Put. et Moerl. Pariſ. Cellar. Pat. Liuineius in contextu corrupte *perfida flum.* Rh. et Steph. *Perſidos flum.* omiſſo uocabulo *gemina.* *Iaeg.*

conuexa Rheni cornua, et Nili ora multifida;
2 dumque ſibi ad haec ſingula intuentium animus adfingit aut ſub tua, Diocletiane Auguſte, clementia, Aegyptum, furore poſito, quieſcentem; aut te, Maximiane inuicte, perculſa Maurorum agmina fulminantem, aut ſub dextera tua, domine Conſtanti, Batauiam, Britanniamque ſqualidum caput ſiluis et fluctibus exſerentem, aut te, Maximiane Caeſar, Perſicos arcus, pharetrasque calcantem. Nunc enim, nunc demum iuuat orbem
3 ſpectare depictum, cum in illo nihil uidemus alie-
4 num. Habes, Vir Perfectiſſime, ſtudii ac uoti mei profeſſionem. Abs te peto, ut eam literis tuis apud ſacras aures proſequi non graueris. Siquidem maximus ac paene ſolus fructus eſt recta cupientium, ut uoluntas eorum ad diuinam tantorum principum ſcientiam perferatur.

XXI, 1. *connexa Rheni cornua,*) *Connexa* eſt in ed. Rhen. Liuin. Steph. Pariſ. Cellar. Pat. Sed, qua ratione cornua Rheni ſint connexa, difficile eſt explicatu. Potior itaque eſt ſcriptura cod. Bertin. et Cuſp. quam Schonhouius quoque in marg. ed. Rhen. notauit, et quam exhibet Cod. Puteani et Moerl. *conuexa*, h. e. ſinuata in arcum. *Id.*

XXI, 2. *Aegyptum, furore poſito, quieſcentem;*) Mſ. Moerl. et Gud. *orbem, egypto in furore poſito, quieſc.* Perperam; ſicuti et ſupra *affiſcit* pro *adfingit*. *Id.*

XXI, 2. *ſqualidum caput — exſerentem,*) Cuſp. Rhen. Steph. uitioſe *exercentem*. *Id.*

XXI, 2. *Maximiane Caeſar,*) Galerius Maximianus eſt: quem uero *Maximiane inuicte* modo adloquebatur, eſt Herculeus. Hiſtoriam tradit Eutropius l. 9, 15. C.

XXI, 3. *nunc demum iuuat*) In Cod. Moerl. deeſt uox *demum*; mox pro *uidemus* legitur *uideamus*; quod tamen uulgatae ſcripturae haud anteponendum. v. Voſſ. de Conſtruct. c. 67. *Iaeg.*

IV.

IV.

EVMENII PANEGYRICVS CONSTANTIO CAESARI RECEPTA BRITANNIA DICTVS.

VITA
FL. VAL. CONSTANTII CHLORI.
AVCTORE DE LA BAVNE.

Anno V. C. 1003. *Christi* 250. *Decii Aug.* 2.

Flauius Valerius Constantius, quem Aur. Victor *Iulium* etiam appellat, cognomento Chlorus, (a uoce Graeca χλωρὸς flauus, seu quod uultu flauo esset, seu quod huius coloris uestem puer gerere soleret,) a Flauio Vespasiano Augusto genus duxit, a quo Flauiae gentis nomen et insignia consecutus dicitur apud Trebellium Pollionem, si tamen ei fides haberi potest, qui Constantino, eius nepoti, cuius tempore historiam scripsit, ea in re fortasse adulari uoluit. Ortus est patre Flauio Eutropio, nobili inter Dardanos genere, matre uero Claudia, Claudii Augusti, uel potius Crispi, eius fratris, filia. Natus est in Illyrico, ut tradit *Aur. Victor*, 3. Kal. Mart. ut uidere est ex *Kalendario Constantini*. Hoc anno Christi 250. ut ex eius obitus tempore apparet.

An. V. C. 1025. *Christi* 272. *Aureliani Aug.* 3.
Constantii aetatis 22.

Constantius *in primo aetatis flore*, inquit Eumenius pan. 6. c. 4. Constantinum genuit, quod ad annum hunc Christi 272. referendum esse liquet ex Constantini obitu. Helenam Constantini matrem fuisse tradunt historiae ecclesiasticae scriptores omnes et Iustinian. 2. nou. constit. aliique. Eandem autem ueram Constantii coniugem fuisse, contra Zosimum, Ethnicosque scriptores Graecos, pro suo

erga Romanos, in primisque Christianos imperatores odio, utriusque pudori obtrectantes, probat locus panegyrici 5. c. 3. ubi eius auctor, quisquis est, instituta Constantium inter et Constantinum comparatione; *Neque enim*, inquit, *forma tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, iustitia, prudentia sese uotis gentium praesentant. Quo enim magis continentiam patris aequare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiae illico matrimonii legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiae formares animum maritalem, nihil de concessis aetati uoluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres: nouum iam tum miraculum, iuuenis uxorius.* Quae autem ratio illa fuisset laudandi Constantini, si, cum is ex Helena non legitimo matrimonio genitum se a Constantio probe nosset, continentiam patris aequare diceretur? Id ipsum confirmant *Victor* et *Eutropius*, dum aiunt, Constantium, ut, cum Caesaris nomine, Theodoram, Maximiani priuignam, in coniugem acciperet, priorem coniugem (nempe Helenam) repudiare coactum. Atqui repudiari non dicitur nisi quae uxor est.

Vtrum uero illa natione Bithyna fuerit, ut post Nicephorum probat Lipsius, an Drepani, aut Tarsi, aut Edessae, aut Naissi nata; an Treuerensis, ut ex *Constantio Porphyrogenito*, uetere manuscripto, *Marquardi Freheri* studio e palatina Bibliotheca eruto, *ex Berengosio l. 3. de inuent. cruc. c. 2.* aliisque probant *Christ. Browerus et Iacob. Masenius in Annalibus Treuerensibus*, et *Tristanus in comment. historicis*; an demum Britanna fuerit, ut fuse ad an. 306. probat Baronius, difficile sit statuere. Certe hanc postremam

mam opinionem Michael Alfordus, noſtrae Societatis, in eo libro, quem *de Lucii, Helenae et Conſtantini patria et fide* ſcripſit, ſcriptorum, tum Italorum, tum Hiſpanorum et Belgarum, tum Germanorum, ſeu ueterum, ſeu recentiorum, omnino ſeptuaginta auctoritate confirmat. Quae ſi ualuerit opinio, cui profecto fauere uidentur panegyrici, ubi tam crebra tamque honorifica Britanniarum mentio eſt, contra uero tanta graecae leuitatis exprobratio, dicendum, Helenam Coelli, Britanniarum regis filiam, anno Chriſti 247. natam fuiſſe; eius nuptias in Britanniis anno Chriſti 271. celebratas, cum ad pacandam hanc prouinciam ab Aureliano miſſus eſt Conſtantius; uixiſſe in ſumma integritatis, pietatis, et modeſtiae, atque omni Chriſtianae uirtutis laude: Nicaenae ſynodi tempore, hoc eſt an. Chriſti 325. in Palaeſtinam profectam, ac, reperta ſequenti anno Hieroſolymis Chriſti cruce, poſt relicta ibi pietatis ſuae monumenta multa, Romam rediiſſe, tandemque anno Chriſti 327. inter filii ac nepotum complexus 15. Kal. Sept. octogenariam obiiſſe. Eam a filio in Baſilica SS. Martyrum Marcellini et Petri, uia Lauicana, magnifice ſepultam refert *Euſeb. I. 3. de uita Conſt. c. 46. 47. et 60.* Eius uirtutes ab Hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus plurimum commendantur.

An. V. C. 1037. *Chriſti* 284. *Carini Aug.* 1. *Conſt. aetat.* 34.

Conſtantius *Praetor primum, exin tribunus, poſtea praeſes Dalmatiarum fuit,* inquit Valeſii Anonymus. Quo tempore duo priora munera geſſerit, incertum eſt. Poſtremo certe tanta cum laude ſub Carino functus eſt, ut imperator,

tor, quantumuis natura ferox, de eo sibi subrogando cogitaret: quod nemo, inquit *Vopiscus, in Carino*, tunc uir melior ipsi uideretur.

An. V. C. 1044. Christi 291. Diocles. imp. 8. Maxim. imp. 7. Constant. aetat. 41.

Neque minore in pretio apud Diocletianum et Maximianum fuit Constantii uirtus. Hi enim postquam inter se Mediolani deliberassent, quemnam in toto imperio gerendorum bellorum undequaque imminentium socium adsciscerent, Constantium, ad id omnium maxime usum idoneum, Caesarem faciunt Kal. Martiis. Pan. 4. c. 4. Quem ut Maximianus arctiori sibi uinculo coniunctum haberet, Theodoram, priuignam suam, coniugem accipere coëgit, repudiata priori uxore Helena. Suscepit autem ex Theodora, si Eusebio fides est, Constantium, qui Galli Caesaris et Iuliani Apostatae pater fuit, Dalmatium, Dalmatii Iunioris Caesaris patrem, Annibalianum, quibus addunt aliqui alium Constantium: filias uero Constantiam, quae postea Licinio Augusto nupsit, Eutropiam, Nepotiani coniugem, et, ut putant aliqui, Anastasiam. Itaque Constantius iam Caesar a socero suo Maximiano in Britannias aduersus Carausium missus, *tanta celeritate in Gallias primum peruenit, ut omnes aduentus sui nuntios praeuerterit*, pan. 4. c. 6. Eodem anno, ut indicare uidentur panegyrici, Gesboriacum (Bononiam hodie dicimus) urbem terra marique a Carausii militibus ualidissime defensam obsidet. Ac ne obsessis auxilio uenire posset Carausianorum classis, collocata non longe a Bononiensi portu, huius aditum congestis arborum molibus et ingenti

saxo-

ſaxorum ſtrue occludit; donec illi auxilii ſpe amiſſa Conſtantio ſe dedunt: *ac potuiſſet illo uirtutis et felicitatis impetu totum peragi continuo bellum, niſi aedificandis nauibus dari tempus rei neceſſitudo ſuaſiſſet.* Pan. 4. c. 7. Igitur conuerſis armis in eos, *quos adiri continens terra permittebat*, Francos e Friſia et Batauia, quas depopulabantur, expulit; atque inde captiuos multos ad Lingonum, Rhemorum, Tricaſſinorum, et Ambianorum agros excolendos transmiſit, c. 8. et 9.

An. V. C. 1045. *Chriſti* 292. *Dioclet. imp.* 9. *Maxim. imp.* 8. *Conſt. aetat.* 42.

Poſt has in Gallia et Batauia relatas uictorias Conſtantius Tribunitia ab imperatoribus poteſtate donatus, Britannicam expeditionem inchoaturus mari ſe committit, cum certa, ut ei omnibusque uidebatur, ſpe uictoriae. Sed *maris inclementia* tum forte coorta Conſtantini *uictoriam fatali quadam neceſſitate diſtulit*, et Romanos *in re maritima nouos*, in continentem Galliam re infecta redire compulit. Quare pacem cum Carauſio iniri neceſſe fuit, ipſique remitti inſulae imperium. *Eutrop. Victor.*

An. V. C. 1046. *Chriſti* 293. *Dioclet. imp.* 10. *Maxim. imp.* 9. *Conſt. aetat.* 43.

Conſtantius exſpectabat, donec melior oppugnandi Carauſii ſefe offerret occaſio: cum, ecce, nuntiatur, Carauſium ſeptimo ineunte tyrannidis ſuae anno Allecti, familiaris ſui, dolo interemtum, ut is ſefe in eius locum, uti fecit, intruderet. Tum primum Conſtantio noua ſpes affulſit recuperandae Britanniae. Itaque *Aſclepiodotum* (inquit A. Victor) *qui praetorianis praefectus erat, cum parte*

classis et legionum aduersus nouum tyrannum *praemittit*, cum reliquis copiis ipse subsecuturus. Asclepiodotus beneficio spissioris nebulae inimica classe, quae apud Vectam insulam in speculis et insidiis collocata erat, caute euitata, feliciter in Britanniam appellit. *Simul uniuersis nauibus ignes iniicit, ut, nullo fugae fune praesidio reseruato, in sola uictoria spem ponerent.* Pan. 4. c. 15. Allectus, audito nuntio aduentus Constantii, *ab eo litore* (fortasse Rutupino) *abscedens, classem portumque deseruit*, sed mari Constantium *fugiens*, terra *in Asclepiodotum incidit*, a quo uictus interfectusque est, *et cultu illo, quem uiuus assumserat, sponte deposito*, inter caesorum hostium aceruos, *uix unius uelaminis repertus indicio.* Barbari complures, in primisque Franci, ex praelio Londinum sese recipiunt; fugissentque, direpta urbe copiosissima, nisi a Constantii militibus oppressi cecidissent. Constantio in litus egredienti Britanni cum plausu et acclamatione sese cum coniugibus et liberis offerunt, ac libertatis suae uindici gratulantur. Hac uictoria non recuperatae modo post decem annos Britanniae, sed Galliae, Hispaniae, Italiae atque Africae a piratarum incursionibus liberatae. Missi inde artifices ad Galliarum urbes; in primis ad Aeduensem urbem, Bagaudarum grassationibus afflictam, reficiendam. Constantius *Francicus* et *Germanicus* appellatur, ut obseruat Onufrius Panuinius l. 2. Fastorum. Dictum etiam esse *Herculium* a Maximiani, soceri sui, nomine, notat Tristanus ex ueteri numo.

An. V. C. 1047. *Christi* 294. *Dioclet. imp.* 11. *Maxim.* 10. *Const. aetat.* 44.

Hoc anno Constantius fit consul, Galerio Maximiano Armentario collega.

An.

An. V. C. 1049. *Christi* 296. *Dioclet. imp.* 13. *Maxim.* 12. *Const. aetat.* 46.

Britannico bello confecto, ac Britanniis, Allecti nece, Galliisque in diuturna pace, ut quidem uidebatur, constitutis, Franci, nondum tot acceptis cladibus fracti, iterum Rheno, qui tum glacie constrictus erat, traiecto Batauiam insulam occupant. Itaque hos Constantius, hoc anno secundum consul, repente adortus ad deditionem compulit. Interim Alamanni in Rhaetiam, Heluetiam, Rauracos, Noricum, Vindelicos, Sequanos, cum regibus suis Ascarico et Regaiso, incursionem facientes ad Lingonas usque penetrant. Actum erat de tota Gallia, nisi Constantius hoc nuntio excitatus cum parte exercitus accurrisset. At is die una, inquit *Eutropius*, aduersam et secundam fortunam expertus est. Nam cum, repente barbaris ingruentibus, intra ciuitatem Vindonensem aut Lingonensem recipere se uellet, sedulo clausis, ne hostes irrumperent, urbis portis, demissis funibus in murum efferri necesse habuit. Constantius, rei discrimine ac uulnere accepto nihil deterritus, post quinque horas redintegrata pugna, *Alamannorum*, post victoriam suam nihil tale metuentium, 60 *fere millia cecidit*. Tum quae ad praesidia dispositа erant Rheni, Istri, et Euphratis restituit, aliis etiam adiectis. Spiram condit, cui urbi nomen ab imperatoria coborte datum. Tandem Claudiam, matrem, magnificentissimis exsequiis sepelit.

An. V. C. 1053. *Christi* 300. *Dioclet. imp.* 17. *Maxim. imp.* 16. *Const. aetat.* 50.

Constantius consulatum tertium gerit, Galerio Maximiano collega.

An. V. C. 1055. *Christi* 302. *Dioclet. imp.* 19. *Maxim. imp.* 18. *Const. aetat.* 52.

Fit consul quartum, eodem Galerio Maximiano collega.

An. V. C. 1057. *Christi* 304. *Dioclet. imp.* 21. *Maxim. imp.* 20. *Const. aetat.* 54.

Diocletiano et Maximiano sese ultro imperii administratione abdicantibus, *Constantius* eodem die, nempe Kal. Aprilis, *cum Galerio* ex Caesare *Augustus creatus est, diuisusque inter eos Romanus orbis, ut Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, et Orientem Galerius obtineret, sumtis duobus Caesaribus. Constantius tamen, contentus dignitate Augusti, Italiae atque Africae administrandae solicitudinem recusauit. Vir egregius et praestantissimae ciuilitatis, etc.* Eutropius. Eodem tempore tradit Victoris epitome, *Constantinum* quoque *Caesarem effectum esse.* Haud dubie a Constantio patre: cuius in locum uidetur Seuerus esse intrusus.

An. V. C. 1058. *Christi* 305. *Const. imp.* 2. *aetat.* 55.

Constantius V. consul aduersus Caledonios Pictosque parat exercitum.

An. V. C. 1059. *Christi* 306. *Const. imp.* 2. *aetat.* 56.

Constantio uela in Britanniam faciente repente Constantinus, qui obses a Galerio in Italia detinebatur, ad patrem accurrit. Picti, Caledoniique uincuntur. At non multo post Eboraci in febrim incidit Constantius. *Cui quidem et ob ceterorum filiorum ineptam indolem maesto* Zonaras ait *angelum adstitisse, qui iuberet, ut Constantino relinqueret imperium.* Quod si uerum esset, quomodo res tam singularis esset ab Eusebio praetermissa? Vt ut est, Constantius, liberis coram adstantibus, Constantinum, qui reliquos

liquos aetate et uirtutibus anteibat, haeredem imperii nominat, ac moritur VIII. Kal. Aug. atque ibi tumulatur. *Euſ. l.* 1. *c.* 15. Hanc Conſtantini electionem uniuerſi exercitus ſuffragio comprobatam ait Eumenius. Chriſtianum fuiſſe Conſtantium non uno in loco indicat Euſebius. Chriſtianis certe admodum fauiſſe nemo neſcit. Anno aetatis 56. obiiſſe tradit Nicephorus: ex quibus Euſebius XVI. imperii annos computat, uidelicet ab eo tempore, quo Caeſaris nomen obtinuit. Cum autem Victor Schotti noſtri 13. annos eius principatus numerat, intelligit tempus, quo Caeſar fuit.

Natione tantum, non ſpecie corporis, non ingenio, non moribus barbarus fuit, quem ſua modeſtia, prudentia, frugalitas, temperantia, caſtitas, et fortitudo euexerunt ad imperium. Quae in eo uirtutes hoc admirabiliores exſtiterunt, quod periculum eſſet, ne peſſimis imperatoribus, quibus gratioſum eſſe eius fortunae intererat, ſua exprobrare uitia uideretur. Opum contemtor, ac tanta in ſummo honorum faſtigio moderatione, ut, cum in partitione imperii Gallia, Africa, Italia ipſi obtigiſſet, ſponte alteri, ut quidem ait Eutropius, Africa et Italia ceſſerit. Poſtremum eo etiam magnus, quod Conſtantinum magnum orbi dederit.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Dicit metum sibi dicenti afferre tum diuturnum silentium, tum auctam in primis ab eo tempore imperatorum et Caesarum gloriam; se tamen, licet Constantini conspectu commoueatur, recreari non parum, quod, quae olim coram illo dixerit, praetermittere sibi hac oratione fas futurum sit*, c. 1. *Igitur incepturum ab Constantii adoptione*, c. 2. *obiter imperatorum et Caesarum uictoriam perstringit*, c. 3. *Haeret in laudando Constantio de pacatis*, c. 4. *in primis de Bononia capta*, c. 5. *de Chamauis, Frisiis, Batauis, aliisque populis domitis*, c. 8. *et, ad incultas Galliarum partes incolendas abductis. De recuperata post decimum tandem annum Britannia*, c. 9. Quam necessaria *fuerit* expeditio *illa, tum quia nulla toto terrarum orbe, praeter hanc, regio pacanda supererat*, c. 10. *propter suam amplitudinem et situm seditioni fouendae aptissimum*, c. 11. *Tum propter Tyranni eam occupantis immensum robur*, c. 12. Quam fortiter *a Constantio* suscepta *fuerit*, c. 13. Quam feliciter confecta. *In transitu positae in insidiis inimicae classis insidias uitat. Simul in insulam appulit, eius milites suis nauibus, ut necesse sit uincere, ignes iniiciunt. Allectus fugit*, c. 15. *abiectis, ne agnosceretur, regiis ornamentis: at Constantium fugiens, in ipsius milites incidit, a quibus occiditur*, c. 16. *In hac clade barbari innumeri concidunt, Romani uero omnino pauci*, c. 17. Quam utilis reip. fuerit haec uictoria, *per quam non recuperatae modo Britanniae, sed et ceteris imp. Romani oris securitas reddita*, c. 18. Quam gloriosa *Constantio, cuius triumphalis post hanc uictoriam in Britannias ingressus describitur*. IN FINE. *Ad Imperatores orationem conuertit, quibus nihil optandum dicit, nisi ut perpetuo tale sit imperium, quale sua uirtute effecerunt*, c. 19.

IV. EV-

IV.

EVMENII

PANEGYRICVS CONSTANTIO CAESARI RECEPTA BRITANNIA DICTVS.

Si mihi, Caesar inuicte, post diuturnum silentium sola esset uincenda trepidatio, qua rudimenta quaedam uocis meae rursus experior: haud im-

Eumenii — Constantio) Eumenio et hunc tribui, cum aliis nonnullis argumentis, quae sparsim hic occurrunt, tum praecipue, quod initio statim quotidianae suae institutenda iuuentute exercitationis meminit, ac Palatinam dignitatem commemorat, quae (ut suspicor,) Magisterium fuerit sacrae Memoriae. Quorum utrumque Eumenium hunc obliuisse, clarum ex orat. pro restaur. scholis. Constantio quoque Caesari dictum uetus codex meus confirmat, in quo explicate lego indice, qui primore pagina describitur, *Panegyricus Constantio dictus.* Accedit, praeter cetera, quod ait auctor, *patris ac patrui tui*, qui profecto non alii, quam Maximianus ac Diocletianus, quorum ille Constantium Caesarem creauit, a qua notione pater ei quidem fuerit; hic Maximiano frater, imperii societate. Genethliaco Maximiani, *Non fortuita in uobis est germanitas, sed electa.* Et mox, *certissimae fraternitatis est usque ad imperium similitudo.* L.

Maximiano Rhenanus ait dictum. Mihi non uidetur. Certe omnis oratio ad ipsum Constantium directa est, et de Maximiano tamquam absente loquitur, etsi tamen alicubi ipsum adloquitur, sed, ut solet in his, absentem nihilo minus. Atque eodem plane modo ad Diocletianum hic. Igitur Constantio ego inscribam, et lector serius et sobrius facile id necessum uidebit. Rhenanus etiam ait, Constantii in fine saltem fieri mentionem, ubi ipse *Constanti* pro *Constantine* emendat. Miror, ubi oculos et animum ante habuerit. A.

I, 1. *inuicte*,) Hanc uocem inserit cod. Bertinienſ. et Moerl. acceptatque Rittershusius cum ceteris; quia saepissime sic postea: in textu Liuin. et Cuspin. deest. Ineg.

immerito me ultra, quam aetas et quantulacumque ſtudii mei ferret opinio, perturbari confiterer; praeſertim cum apud maieſtatem tuam diuina uirtutum ueſtrarum miracula praedicarim. 2 Quo in genere orationis quanta eſſet cura, quantus labor, quam ſollicita uenératio, ſenſi etiam, cum in quotidiana illa inſtituendae iuuentutis 3 exercitatione uerſarer. Quamuis enim prima tunc in renaſcentem rempublicam patris ac patrui tui merita licet dicendo aequare non poſſem;

I, 1. *pertŭrbari*) Sic Cuſpin. Liuin. ceterique. Rhen. et Steph. corrupte *perturbat*; pro quo ille coniicit *perturbatum*. *Id.*

I, 1. *uirtut. ueſtrar. mirac. praedicarim.*) Cuſp. Liuin. *uirtutum miracula ueſtrarum*. Iidem, ut et Mſ. Gud. et Moerl. *praedicarem*; cod. Liuineii *praedicarim*; uere, ut ipſe iudicat. Secuti ſunt iudicium Liuineii Pariſienſ. cum Cellario et Pat. *Id.*

I, 3. *Quamuis enim — numerando.*) Non immerito impeditam hanc ſententiam uocat Liuineius, et pro poſteriori uoce *poſſem* coniicit *poteram*: unde in interpretatione ſic ordinanda ſunt illa uerba: Licet enim non poſſem aequare dicendo merita patris ac patrui tui, Maximiani et Diocletiani, in rem publicam renaſcentem, i. e. refloreſcentem, quamuis i. e. quantumuis tunc prima adhuc: poteram tamen ea recenſere numerando. Noſter codex pro *poterat* uulgari modo habet *poſſet*; ſed pro *recenſere* exhibet *uel cenſere*; noſtra quidem ſententia ſatis commode; quaſi Eumenius dixerit: poteram tamen ea merita quaſi aeſtimare et laudare ſola enumeratione. Verbum enim *cenſeo* pro aeſtimo, laudo, commendo, alias uſurpatur. v. g. Pacatus, c. 4. *Campania cenſetur monte Gaurano.* Plin. Paneg. c. 15. *Quisquis paullo uetuſtior miles, hic te commilitone cenſetur*; i. e. ex eo aeſtimatur et magni fit atque commendatur, quod te commilitone uſus eſt. Vulgaris lectio ταυτολογίαν quamdam infert. Suffeciſſet enim uerbum *recenſere* ſine addito *numerando*. Noſtro codici ſuffragatur uterque Gudianus liber et ed. Cuſpin. et Steph. 8.

ſem; poſſem tamen recenſere numerando. Sed cum ex ueteri illo curriculo me aut, inter adyta Palatii ueſtri, alta quaedam ſermonis arcani ratio demouerit, aut, poſt indultam a pietate ueſtra quietem, ſtudium ruris abduxerit; et uos interim nullum ulciſcendae, augendaeque rei publicae uacuum tempus amiſeritis; cum tot poſtea uirtute ueſtra partae uictoriae, tot exciſae undique barbarae nationes, tot translati ſint Romam cultores, prolati limites, tot prouinciae reſti- 4

I, 4. *Sed cum ex uet. illo curriculo etc.*) Notabilis h. l. eſt ſcripturae uarietas. *Cuſpin.* habet: *ſed cum in eo curriculo illo uet. aut inter etc.* ita etiam Rhen. et, qui eum ſequitur, Steph. At Cod. uet. Liuin. *ſed cum et in meo curr. illo uet.* Mſ. Moerl. et Gud. *ſed cum me in eo illo uet. curr.* In ſchidis Langianis Liuineius inuenit: *ſed cum ex ueteri illo curr. me aut inter etc.* In Cod. Put. eſt: *ſed cum me meo illo uet. curr.* Rhenanus legendum coniecit: *ſed quum me eſſe curriculo;* quo quid ſibi uelit, difficile eſt intellectu. Liuincius emendat, *ſed cum et me ex illo uet. curr.* Sequitur enim, inquit, alterum *et, et uos interim nullum.* Sed haec emendatio minus neceſſaria uidetur. Optima ſine dubio eſt lectio ſchid. Lang. et Cod. Put. et haec forte uerior. In Mſ. Moerl. poſt uocem *demouerit* deſunt uerba *aut poſt indultam a piet. ueſtra quiet. ſtud. ruris abduxerit;* illique *demouerit* protinus adiungitur *et uos nullum ulciſcendae etc.* *Iaeg.*

I, 4. *alta quaedam etc.*) Codex noſter, item uterque Gudianus liber in margine, et ed. Cuſp. pro *alta,* (quod habent ſch. Lang.) exhibent *alia;* mox pro *ulciſcendae* Gudian. 2. *uindicandae.* Sed nihil eſt mutandum. S.

I, 4. *Romam cultores*) Plerique libri *Roma;* quaſi Romani ciues in barbaras gentes deducti fuiſſent, quod pro illis temporibus minus eſt probabile. Gruterus ergo ex antiquo codice *Romam* legit, quia nobiliores barbarorum ſaepe in ciuitatem fuerint adſcripti. C.

Codex ille, cuius auctoritate nititur Gruterus, eſt Bertinienſis, qui habet *in Romam*; Moerl. et uterque Gudian. exhibet *rura in Romana;* ita etiam,

reſtitutae: haereo prorſus et ſtupeo et, praeter illam ex otio meo tarditatem tanta rerum mole deterreor; niſi hoc uno nitar hortatu, quod ex quantacumque deſidia, quamuis maxime oratio-
5 ni imparem, parem facis, Caeſar, auditor; praeſertim cum, fauente numine tuo, ipſe ille iam pridem mihi, qui me in lucem primus eduxit, diuinarum patris tui aurium aditus euenerit.
6 Quo facilius, maieſtatis tuae recordatione confiſus, poſſim illa, quae tunc dicta ſunt, praeterire,

etiam, notante Baunio, Pithoeus; Liuineius reponit *in Romana*, h. e. in Romanas nationes, maxime in Gallias. Confirmat hanc emendationem loco Paneg. in Conſtantin. A. ubi de hoc ipſo Conſtantio Caeſare: *terram Batauiam a diuerſis Francorum gentibus occupatam omni hoſte purgauit, nec contentus uiciſſe, ipſas in Romanas transtulit nationes.* *Iaeg.*

I, 5. *niſi hoc uno nitar hortatu*) Cod. noſter Mſ. et uterque Gud. (item cod. uet. Liuineii et Bertinienſ.) pro particula *niſi* habent *ut*. Nos ſuſpenſas habemus rationes, utram amplectamur particulam. S.

I, 5. *quamuis maxime orat. imp.*) Cod. noſter et uterque Gudian. pro *quamuis* haud incommode exhibent *quemuis*. *Id.*

I, 5. *imparem facit Caeſar auditor*) Locus hiulcus et ſine ſenſu, ſed quem a me rite ſanatum in omnes fortunas meas ſpondeam. Scribo in primis *facis*, non *facit*; quod perſpicue uerum: ſequitur enim *fauente numine tuo*. Deinde inſerta nocula ſententiam erigo, *quamuis orationi imparem parem facis Caeſar auditor*. Quid poteſt clarius? Et notum illud poëtae: *Excitat auditor ſtudium.* L.

I, 5. *qui in lucem primus eduxit*) In ſchidis Lang. legitur *qui in lucem me pr. ed.* Cod. uet. Liuin. Bertinienſ. Cuſpin. Putean. cum edd. habent *qui me in lucem pr. ed.* Probe. Vocula *me* deeſt in ed. Rhen. Steph. Baunii. *Iaeg.*

I, 5. *aurium aditus euenerit*) Mihi contigerit, fauore tuo, adloqui Herculeum. C.

I, 6. *poſſim illa*) Acidalius pro *poſſim* mauult legere *poſſum*. S.

ire, atque hunc ſermonem ab his, quae ſecuta ſunt, inchoare.

II. Quamquam multa mihi ex illis quoque, hoc in tempore, neceſſario transeunda ſunt, ac potiſſimum ea, quibus, officio delati mihi a diuinitate ueſtra honoris, interfui; captus ſcilicet Rex ferociſſimae nationis inter ipſas, quas molieba-tur, inſidias, et, a ponte Rheni uſque ad Danubii tranſitum Guntienſem, deuaſtata atque exhauſta penitus Alamannia: nam et maiora ſunt, quam ut enarrari inter alia poſſint, et, ne meis quoque ſtipendiis uidear gloriari, ſufficit conſcientiae meae, illa uidiſſe. Det igitur mihi, 2 Caeſar

II, 1. *Captus ſcilicet rex*) In altero Gudiano libro annotatur loco particulae uox *Sam*, tamquam nomen proprium Regis Alemanniae tunc capti: in Mſ. noſtro codice haec uox ambigue ſcripta eſt, ut uel *Sam* uel *Scim* legi poſſit. Quae ſcriptura ſi uera eſſet, nobis hic proderetur nomen Regis Alemanniae, quod huc usque latuit; at uereor, ne iſta ſcriptura ex compendio ſcribendi pro particula *ſcilicet* ſit nata. S.

II, 1. *tranſitum Guntienſem*) Mſ. noſter *Contienſem*; ſic et Puteanus e uetuſto codice adnotauit. Gunz, Rhaetiae fluuius, inter Vlmam et Auguſtam Vindelicorum, qui in Danubium ſeſe exonerat; hinc et oppidum Rhaetiae, quod adhuc hodie ſupereſt, Gunzenburga. In codice noſtro forte G in C mutatum eſt: quamquam in Monachi Weingartenſis Hiſtoria de Guelfis Principibus, quae t. 1. Lectionum antiqu. Caniſii exſtat, commemoratur etiam locus iuxta Licum fluuium, ultra Auguſtam, qui dicitur *Concio Legum*; quod nomen non nemo per *Gunze Lech* interpretatus eſt. Mox pro *deuaſtata* codex noſter *deuſta*, et pro *enarrari* habet *enumerari*. Id.

II, 2. *Det igitur mihi*) Ita emendare uiſum eſt cum Acidalio pro *de te igitur*, ut eſt in aliis editionibus: corrupte, ut mihi quidem uidetur. B.

Caeſar inuicte, hodiernae gratulationis exordium diuinus ille ueſtrae maieſtatis ortus, ipſo, quo illuxit, auſpicio ueris illuſtrior, cui dies ſerenus, atque, ut celebrantes ſenſimus, ultra rationem temporis ſol aeſtiuus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quam cum originem mundi
3 naſcentis animauit: ſiquidem tunc, inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret ardentior; nunc certaſſe creditur, ne maieſtate ueſtra uideretur obſcurior.

III. O felix beatumque uer nouo partu, iam non amoenitate florum, nec uiriditate ſegetum, nec gemmis uitium, nec ipſis tantum Fauoniis et luce ſerenata laetum atque uenerabile, quantum ortu Caeſarum maximorum! O tempus, quo merito quondam omnia nata eſſe credantur, cum eodem nunc confirmata eſſe uideamus! O Kalendae Martiae, ſicuti olim annorum uoluentium, ita nunc aeternorum auſpices Imperatorum! Quanta enim, inuictiſſimi Principes, et
2 uobis

II, 2. *ueſtrae maieſtatis ortus*) Non natiuitas, ſed adoptio et caeſareae dignitatis auſpicium, quod in Kalendas Martias inciderat, c. 3. Et *ueſtrae* dicit, i. e. utriusque Caeſaris, Conſtantii Galeriique. C.

II, 2. *cum orig. mundi naſc. anim.*) Infra mox, O *tempus, quo merito quondam omnia nata eſſe credantur.* Virgil. Georg. 2, 336 ſqq.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illud erat, uer magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri.

Statim *moderatus*, i. e. εὐκρατὴς ſubaudi ὤν. et *dicitur* expungam, quod ſententiam turbat. L.

cf. Lipſ. Phyſiolog. Stoic. l. 2. diſſ. 9. *Iaeg.*

uobis et rei publicae saecula propagatis, orbis uestri participando tutelam? Cuius licet esset, omni hoste perdomito, certa securitas, nimios tamen in diuersa discursus uel reuisenda poscebat. Partho quippe ultra Tigrim redacto, Dacia resti- 3
tuta, porrectis usque ad Danubii caput Germaniae Rhaetiaeque limitibus, destinata Batauiae Britanniaeque uindicta, gubernacula maiora quaerebat aucta atque augenda res publica, et, qui Romanae potentiae terminos uirtute protulerant, imperium filio pietate debebant.

IV. Et sane, praeter usum curamque rei publicae, etiam illa Iouis et Herculis cognata maiestas in Iouio Herculioque, principibus, totius mundi caelestiumque rerum similitudinem requirebat. Quippe isto numinis uestri numero sum- 2
ma omnia nituntur et gaudent; elementa quatuor, et totidem anni uices, et orbis quadrifariam duplici discretus Oceano, et remenso quater cae-

S lo

III, 2. *rei publicae propagatio orbis*) In ueteri codice nostro, Bertinienſi et edit. Cuspin. *propagati* est, curte. Nam perspicue integrum est, *propagatis*. Sed et *saecula* ex Bertin. et Cusp. addendum, ut sit, *rei publicae saecula propagatis*. L.

Haec lectio etiam in cod. uet. Puteani et Moerl. inuenitur. *Iaeg.*

III, 3. *filio piet. deb.*) Filius dicitur Constantius, quod Theodoram, Maximiani filiam, duxisset. B.

IV, 1. *maiestas*) Pat. *potestas*; uertit tamen *maestà*. *Iaeg.*

IV, 2. *Numinis uestri numero*) Hoc est, quaternione, duobus Augustis, Diocletiano et Maximiano Herculio; totidemque Caesaribus, Constantio et Galerio Maximiano. Non est igitur hoc quidem panegyrico Constantino locus. L.

IV, 2. *orbis quadrifariam duplici discr. Oceano*) Veterum plurimi censebant, terram cum mari rotundam esse, sed ipsam duplici Oceano di-

uidi

lo luſtra redeuntia, et quadrigae ſolis, et duobus
3 caeli luminibus adiuncti Veſper et Lucifer. Sed neque ſol ipſe, neque cuncta ſidera humanas res tam perpetuo lumine intuentur, quam uos tuemini, qui, ſine ullo fere diſcrimine dierum ac noctium, illuſtratis orbem, ſalutique gentium non his modo, quibus immortales uultus ueſtri uigent, ſed multo magis illis diuinarum mentium ueſtrarum oculis, prouidetis; nec ſolum qua dies oritur, et praeterit, et conditur, ſed etiam ex illa ſeptemtrionali plaga, ſalutari beatis luce prouincias:

uidi et uelut decuſſari. Priorem eſſe ipſum uerum, magnum, originalem Oceanum, qui terram ab ortu ad occaſum mediam diuidit, ſub ipſa Zona torrida, i. e. aequatore. Alterum, qui ab illo ortus eamdem terram, parte altera, mediam ſecat, ab auſtro in ſeptemtriones. Itaque duplici hoc Oceano tota terra ſcinditur in partes quatuor, i. e. totidem inſulas, e quibus unam dumtaxat nos habitamus. Haec Lipſius uberius exſequitur, et teſtimoniis, in quibus clariſſimum eſt Macrob. in Somn. Scip. l. 2. c. 9. firmat Phyſiolog. Stoicor. l. 2. diſſ. 17. *Iaeg.*

IV, 2. *remenſo quater caelo luſtr. red.*) Pro *remenſo* cod. noſter, itemque Gud. et ed. Rhen. et Steph. et Cuſp. habet *emenſo*. S.

IV, 2. *quadrigae ſolis*) Ex commentis poëtarum, qui Solem quadrigis uehi finxere, appoſito etiam ſingulis eius equis nomine. *Id.*

IV, 2. *Veſper et Lucifer.*) An Veſper et Lucifer duae ſunt ſtellae? Minime uero. Sed una, eademque ſtella eſt, inquit Tullius de Nat. Deor. l. 2. n. 54 *Quae Φωσφορος graece, lucifer latine dicitur, cum antegreditur ſolem: cum ſubſequitur autem, heſperus.* Id autem a Pythagora primum animaduerſum eſt. B.

Ex uulgi opinione diſtinguit, qui unus planeta, una ſtella lucidiſſima. C.

IV, 3. *qua dies oritur*) Alludit et tamquam digitum intendit in uictorias principum, quaternis orbis terrarum partibus. Galerius enim Maximianus Caeſar in Oriente proſpere aduerſus Narſeum pugnauit, et Aegyptum, capto Alexandriae Achilleo, Diocletianus reſtituit; Mauros ac Quinquegentianos in Africa Maximianus Herculius oppreſ-

cias: adeo, Caesar, uestra in orbem terrarum distributa beneficia prope plura sunt, quam deorum. Quibus ego si omnibus immorari uelim, 4
neque hic dies mihi totus, neque proximus, neque porro ceteri sat erunt: et habenda est ratio temporis, Caesare stante dum loquimur.

V. Adoratae sint igitur mihi Sarmaticae expeditiones, quibus illa gens prope omnis exstincta est, et paene cum solo nomine relicta, quo seruiat. Dent ueniam tropaea Niliaca, sub 2
quibus Æthiops et Indus intremuit. Contenta sit uoce gloriae suae etiam proxima illa ruina Carporum. Reseruetur nuntiis iam iamque uenientibus Mauris immissa uastatio. Aliis haec, 3
permittente maiestate uestra, celebrabo tempo-

ribus:

oppressit; Batauiam et Britanniam Caesar Constantius a Francis recepit; Quados, Carpos, Bastarnas, Sarmatarum gentes, Diocletianus adflixit. Lege pro restaur. schol. sub finem. L.

IV, 3. *dies — praeteritur*) Pat. *praeterit*: recte. Qua dies, i. e. sol praeterit, est plaga meridiana. *Iaeg.*

IV, 3. *adeo, Caesar*) *Caesares* habet Schonhouius in ora ed. Frob. itemque Cusp. Sed *Caesar* merito praefert Liuineius, nam haec oratio habita est absente Galerio, absentibus item Augg. coram uno Caes. Constantio. *Id.*

IV, 4. *Caesare stante*) Cusp. Liu. Rh. Steph. *Caesares tanta dum loq.* Sed utique praeferenda est lectio cod. uet. Liuineii et Bertinienf. et Moerl. *Caesare stante.* Supra pro *et habenda* malim *sed hab.* *Id.*

V, 1. *Adoratae sint mihi Sarm. exp.*) Laudatae, magni aestimatae cum ueneratione victoris. Vide pro restaur. schol. c. 11. n. 3. C.

V, 2. *Tropaea Niliaca*) Victus nempe Achilleus et capta ad Nilum Alexandria. B.

V, 2. *Indus*) de Indis in Africa v. *Burmann.* ad Virg. G. 4, 293. *Iaeg.*

V, 2. *ruina Corporum*) Carpi, Sarmatiae populus, in Carpate monte, ut plures sentiunt: qui postea in Moesiam irrupere, eis Danubium sedem captantes. C.

V, 2. *Mauris immissa uastatio*) per Maximianum Herculeum.

ribus: Dii immortales! uota ſuſcipio, ut ipſis,
4 qui geſſere, praeſentibus. Illa uero, Caeſar inuicte, quae ductu atque auſpicio núminis tui geſta ſunt, quorum etiam ſpectaculo fruimur, ſub hac occaſione dignationis tuae, ſine dilatione dicenda ſunt; eo magis, quod, quamuis in communibus rei publicae bonis neceſſe nobis gratulari,

culeum. uid. Paneg. in nupt. Conſtant. et Fauſtae, c. 8. n. 6. Victi tum *Quinquegentiani*, ut Eutropius, 9, 15. et Aurel. Victor uocant. *Id.*

V, 3. *ut ipſis)* Id eſt, aliis id quidem celebrabo temporibus, ut id fiat iis, a quibus haec geſta ſunt, praeſentibus. Melius tamen alii (ſc. Cuſpin. Steph. Liuineius) *et ipſis*, i. e. aliis celebrabo temporibus, *et* quidem *ipſis*, etc. Quare obſerua, Diocletiano, Maximiano Augg. et Galerio Caeſare abſentibus hanc orationem dictam eſſe. B.

Tò ut deſiderat praecedens *uota ſuſcipio*, ſc. *ut haec celebrare mihi contingat ipſis q. g. p.* Gud. pro *celebrabo* habet *celebrando*, quod non male mutari poſſit in *celebranda*. *Ineg.*

V, 4. *neceſſe uobis gratulari etc.)* Scopae diſſolutae et non una in noſtris lectio, quam repraeſentabo cum fide. Igitur *gratulari* abeſt a ueteri noſtro exemplari, et mox pro *gratulationi* ſcriptum *gratulari*, in quo equidem ſenſum non peripicio. In Bertinienſi haud multo rectius *neceſſe nob. quae priora nob. ſunt maxime ſcilicet gratulari.* Iuuem ego et commutata una uocula reſcribam *nec nob. quae propiora nob. ſunt, maxime ſc. gratulari.* Supra etiam uerba inuertam. et *in quamuis communibus* legam, hac ſententia, in rei publ. bonis, quamlibet communibus, gaudendum eſſe iis maxime, quos propius contingant. Itaque Gallis de Britannica et Batauica uictoria (has enim ſentit) praecipue gratulandum, Franco hoſte depulſo, qui eorum fortunis proxime imminebat. *Propiora* repoſui pro *priora*, ut hac ipſa laudatione contra *propiore* corruptum pro *priore* obſeruamus. Quod ſupereſt, *quae propiora ſunt gratulari* ſic dictum, ut Terentio *aduentum gratulantur*, et infra iterum, *hoc ipſo in adminiſtratione prouidentiam ueſtram impenſius gratulantur.* L.

Hunc locum, uarie tentatum a uiris eruditis, nunc integrum proferre poſſumus e Cod. noſtro Mſ. et Gud. *Eo magis, quod, quamuis in com-*

tulari, quae propria nobis sunt, maxime sunt gratulationi.

VI. Statim itaque Gallias tuas, Caesar, ueniendo feciſti. Siquidem illa celeritas, qua omnes ortus atque aduentus tui nuntios praeuertiſti, cepit oppreſſam Geſoriacenſibus muris

 perti-

communibus rei publ. bonis, neceſſe eſt, quae propria nobis ſunt, maxime gratulari. Hanc nimirum, ni fallor, ſententiam Panegyriſtes exprimere uoluit: eo magis geſta tua, quorum ſpectaculo ipſi fruimur, nunc ſunt a nobis praedicanda, quod, quamlibet etiam in communibus rei publ. bonis et felicitatibus, maxime tamen decet de iis gaudium teſtari et gratulationem facere, quae nobis propria ſunt prae ceteris populis, prouinciisque; nempe uictoria illa Batauica et Britannica, qua Galliae noſtrae a barbarorum incurſionibus ſunt liberatae. S.

Pro *priora* etiam cod. Puteani habet *propria*; et ſic Acidalius quoque legi iubet. Patarol uitioſe dedit *propriora*. *Iaeg.*

VI, 1. *ueniendo uiciſti*) Sic Cuſp. Steph. Liuin. et cum Gud. Mſ. Moerl. Verum recte Liuineius ex apographo Bertinienſi tuetur *feciſti*; quod ad *tuas* referendum. Non enim uincendae, inquit, erant Galliae, ſed aſſerendae atque ab aduena hoſte purgandae. *Id.*

VI, 1. *omnes ortus atque aduent. tui nunt. praeuertiſti*) Pro *ortus* Moerl. et alter Gudianus liber, itemque cod. Put. habet *motus*; pro *praeuert.* Cod. Moerl. *praeueniſti.* Sed uulgata his melior et exquiſitior. *Id.*

VI, 1. *Geſorigiamcenſibus muris etc.*) Foeda labes et ſine libris inſanabilis. Praeit ad uerum, quod Langianae ſchidae exhibent, *Geſſorigiacenſibus muris.* Emenda indubitate *Geſoriacenſibus muris.* Clarum infra hoc ipſo panegyrico. Mox *Romanum* aequo longius eſt et primores litterae ab extremo praecedentis uerbi adhaeſerunt. *Manum* reſcripſeram de ingenio, quod in Langianis ſchidis poſt repperi. *Piraticam factionem* appellat Carauſii partes, qui imperium in Britannis inuaſerat. L.

Cod. Gud. alter, pro *Geſorigiamcenſibus*, ut habet Cuſp. Rh. Steph. Liu. exhibet *Gergouiamcenſibus* et mox pro *errore miſero Romanum*, ut illi, bene *errore miſero manum.* Cod. Moerl. *Germaniam cenſibus muris tunc pertinacem errore miſero Romanum.* Lectio-

pertinacem tunc errore miſero manum piraticae factionis, atque illis, olim mari fretis, adlu-
2 entem portas ademit Oceanum. In quo diuina prouidentia tua, et par conſilio effectus apparuit, qui omnem ſinum illum portus, quem ſtatis uicibus aeſtus alternat, defixis in aditu trabibus, ingeſtiſque ſaxis, inuium nauibus reddidiſti, atque ipſam loci naturam admirabili ratione ſuperaſti; cum mare fruſtra reciprocum prohibitis fuga quaſi illudere uideretur, tamquam nullo uſu iuuaret incluſos, quaſi redire deſiſſet.
3 Quaenam umquam mirabimur ualla caſtrorum
4 poſt hoc nouum in mari uallum? Quid erit mirum, ſi qua murorum aut arieti non ceſſerit firmitas, aut machinas deſpexerit altitudo? cum Oceanus ille tanto libratus impetu, tanta mole con-

ctionem optime conſtituit Liuineius, et ſic etiam ad oram ed. Frob. adſcripſit Schonhouius. *Iaeg.*

Geſoriacum, quae poſtea Bononia dicta, in Morinis. Hoc oppidum uel portus Carauſiano praeſidio tenebatur. Conſtantius ita obſedit, mole in mari ſtructa, ut praeſidiariis neque exitus pateret, neque ex Britannia, ubi Carauſius agebat, auxilium adferri poſſet; quo factum, ut deditione in poteſtatem Conſtantii ueniret. C.

VI, 2. *tamquam nullo uſu iuuaret*) Reſponſat meis auribus tamquam, et uerum arbitror *iamque*. L.

Lege, *tamque nullo uſu iuuaret incluſos, quam ſi redire deſiſſet. Quaſi* etiam pro *quam ſi*. Sed non in his auctoribus ei locus. Apud Plautum hoc monſtrauimus. A.

Coniecturam Liuineii in textum recepit Cellarius. To *tamquam* et in ceteris edd. omnibus et in Codd. Gud. et Moerl. legitur. Sed *iamque* et *tamque* aptius eſſe patet. Mox pro *quaſi* Liuineius ex ſchidis Langianis adfert *ad quos*; ſatis commode. *Iaeg.*

VI, 4. *tanto libratus impetu*) Pro *liberatus*, quod eſt in Cuſp. Rhen. Steph. Liuin. Pariſ.

consurgens, siue ulterioribus, ut ferunt, terris repulsus, siue anhelitu, quo respirat, euectus, seu quacumque alia ratione motus, numquam tua, Caesar, claustra perfregerit, neque omnino conuellerit tot dierum ac noctium receptu, recursuque; cum tot interim, qua terras circumfluit, litora solueret, ripasque defringeret; uno illo, ut res est, loco aut potentia uestrae maiestatis inferior, aut pro debito uobis honore clementior.

Paris. priore et Mf. Moerl. nullo sensu, Liuineius suspicatur legendum esse *libratus*. Quae lectio, et cod. Put. et Gud. confirmata, et in margine ed. Rhen. adposita, receptaque a Baunio, Cellario, Pamarolo, nobis quoque est seruanda. *Id.*

VI, 4. *siue anhelitu, quo respirat, euectus)* Pomp. Mela, 3, 1, 15. ed. Gronov. *Neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id Mundus efficiat*, (de cauſſis aestus et receſſus Oceani loquitur,) *retractamque cum spiritu regerat undam undique, si (ut doctioribus placet) unum animal est*; etc. cf. quos ad eum locum laudat Schottus. Pro *quo respirat* Mf. Moerl. et Gud. *quem respirat*. *Id.*

VI, 4. *numquam tua, Caesar, claustra)* Pro *numquam* in cod. Put. Gud. et Moerl. legitur *nequaquam*, quod melius esse iudicat Baunius, quia re ipsa moles illa diffiluit post confectam expeditionem; ut mox addit. Si uulgatam seruari placet, illud *numquam* non tam presse accipiendum est, sed referendum ad tempus obsidionis. *Id.*

VI, 4. *receptu recursuque)* Aestum describit, qui abitu, redituque consit. Egregie ergo *occursuque* est in ed. Cuspin. Nam *recursus* quid est aliud quam *receptus*? At diuersum *occursus*. *L.*

Non nego, bonam esse scripturam Cuspin. Sic etiam Mela, l. c. *recedere atque aduentare* dicit Oceanum, quae uerba satis congruunt cum *receptu et occursu*. Sed enim uero *recursum* nihil aliud esse quam *receptum*, i. e. abitum, id largiri Liuineio non possumus. *Recursus* saepe est *reditus*, v. g. apud Ouid. Heroid. 6, 59. *dent modo fata recursus*; adeoque *receptus* et *recursus* diuersa sunt et sibi inuicem opposita, nec unius codicis bona quamuis scriptura, contra reliquorum consensum, praeter necessitatem,

VII. Xerxes, ut audio, Perſarum rex potentiſſimus, pedicas iecit aureas in profundum, Neptunum ſe dictitans adligare, quia fluctibus ferociret. Stulta ille iactantia, et ſacrilega uanitate. At enim tua, Caeſar, diuina prouidentia et efficaci eſt uſa conſilio, nec inſultauit elemento, ut non prouocaret odium, ſed mereretur obſequium. Quid enim aliud interpretemur, cum ſtatim atque obſidionem neceſſitas et clementiae ueſtrae fides ſoluerat, eadem clauſtra, qui primus inſiluit, aeſtus irruperit, totaque illa, quoad uſus fuit, inuicta fluctibus acies arborum, ueluti ſigno dato, et peracta ſtatione, dilapſa ſit? Vt nemo dubitaret, portum illum, qui piratae, ne ſuis opem ferret, occluſus fuiſſet, uobis ad uictoriam ſponte patuiſſe. Potuiſſet enim,

tem, eſt obtrudenda. Mox pro *ripas defringeret* Liuineius *diffringeret*, Acidalius malit *refringeret*. Neutrum melius uulgato, quod ſignificat h. l. *ui et impetu detererе*. *Iaeg.*

VII, 1. *Xerxes*) v. Herodot. 7, 35. *Id.*

VII, 1. *quia fluctibus fer.*) Pro *quia* Liuin. Rhen. et Steph. *qui* Put. Cod. *qui a*; mox n. 2. pro *diu. prouid. et efficaci eſt uſa conſilio*, Cuſpin. et Cod. Moerl. *d. prouidentia et efficacia eſt uſa conſilio*. Paullo poſt n. 3. pro *qui primus inſiluit* codd. Gud. et Moerl. *qui pr. incubuit*. Satis probabiliter. *Id.*

VII, 3. *ſtatim atque obſid. neceſſ.*) Infra, *ſtatim atque illo infeſtum maieſtatis tuae fulmen intenderas*; Iterum, *ſtatim atque Britanniae littus inuaſerat*. Rurſum, *ſtatim atque ad littus illud exoptatus olim uindex et liberator appuleras*. Obſerua et *illico atque* pro eodem. Auctor in Conſtantin. A. *illico enim atque ille terris fuerat exemtus*. *L.*

VII, 3. *Potuiſſet enim, Caeſ. inuicte*) Aut delendum illud *enim*, aut addito uerbo legendum *Potuiſſet enim uero*. *B.*

enim, Caesar inuicte, illo uirtutis ac felicitatis tuae impetu totum peragi continuo bellum, nisi aedificandis nauibus dari tempus rei necessitudo suasisset. Quo tamen omni numquam ab eorum 4
hostium euersione cessatum est, quos adiri continens terra permisit.

VIII. Quamquam illa regio diuinis expeditionibus tuis, Caesar, uindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit, quamque diuortio sui Rhenus amplectitur, paene, ut cum uerbi periculo loquar, terra non est. Ita 2
penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum, qua manifeste palustris est, cedat ad nixum, et

 hau-

VII, 4. *Quo tamen omni* etc.) Supple *tempore*; itaque est in ueteri codice. *Id.*

Legitur etiam in Gud. et Moerl. Pro *dari tempus* et *quos adiri* Cusp. *dare temp.* idemque et Rhenan. cum Stephano *quos adire*. Sic certe uerbum *iubere* infinitiuo actiuo recte iungi, docet Ernestius, ad Tac. H. 1, 38. Vox *terra* post *continens* abest in uet. exemplari Liuineii. *Iaeg.*

VIII, 1. *illa regio uindicata atque purgata*) Batauiam sentit. Zosimus, l. 3. τῇ Βαταβίᾳ προσχόντες, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου. L.

VIII, 1. *obliquis meatibus Vahalis*) Pro *Vahalis* in uet. exemplo Liv. est *calidis*, in Bertin. *caldis*, in Cusp. Rhen. Liuin. Steph. textu *callidis*, in schidis Langii et codd. Put. et Moerl. *Scaldis*, quam lectionem, adnotatam quoque a Schonhouio, probant Liuineius et Parisienses, a quibus discedit Gruterus et Cellarius, qui, cum Hadr. Iunio, Hadr. Valesio, Clerico et Acidalio, legit *Vahalis*, quia Scaldis extra Batauiam amnis est; probatur haec lectio etiam Patarolo, (licet *Scaldis* in textu exhibeat,) et Schwarzio, qui ab istis uiris nos uetat dissentire. Et sane, nisi auctorem in nomine amnis errasse dicamus, (quod equidem nolim,) recipienda omnino est emendatio. *Iaeg.*

VIII, 2. *qua manif. palustr.* etc.) Pro *qua* Liuin. in textu

hauriat preſſa ueſtigium; ſed etiam, ubi paullo uidetur firmior, pedum pulſu tentata quatiatur, et
3 ſentire ſe procul mota pondus teſtetur. Ita, ut res eſt, ſubiacentibus innatat, et ſuſpenſa late uacillat, ut merito quis dixerit, exercendum
4 fuiſſe tali ſolo militem ad nauale certamen. Sed neque illae fraudes locorum, nec, quae plura inerant, perfugia ſiluarum barbaros tegere potuerunt, quo minus ditioni tuae diuinitatis omnes ſeſe dedere cogerentur, et cum coniugiis ac liberis

textu *quae*, Steph. *quam*, optime Cuſp. et Mſ. Moerl. *qua*. Mox pro *nixum*, quod eſt in ed. Liuin. Rhen. Steph. Patar. Cell. exhibet uet. cod. Liv. Bertin. Put. Moerl. *niſum*: aſt prius hoc loco melius conuenit, ſi non plane pro nihilo habendum uideatur diſcrimen, quo *niſus* ad animum, *nixus* ad corpus refertur, quod tamen, ut pleraque huius generis, non eſſe perpetuum ſatis conſtat. Paullo poſt n. 3. uoci *ſubiacentibus* Mſ. Gud. et Moerl. addit *aquis*; pro *merito quis duxerit* Cod. Moerl. Gud. Put. *dixerit*; pro *exercendum fuiſſe* Moerl. *exercendum eſſe*: et n. 4. loco τοῦ *inerant* Gud. primus *inhaereant*, Moerl. *inierant*; pro *ſeſe dedere*, idem Moerl. *ſecedere*, et denique pro *examine neceſſitud.* Gud. *agmine*. Omnia fere haec deteriora lectione recepta, ac partim manifeſte uitioſa. Τὸ *dixerit* tamen praeferam; et pro *plura* malim *plurima*. *Id.* VIII, 4. *cum coniugiis ac liberis*.) Ποιητικώτερον *coniugiis*, quod in ueteri exemplari noſtro eſt diſerte. Propert. 2, 12.

Exemplo iunctae tibi ſint in amore columbae,
Maſculus et tutum femina coniugium.

Claudianus de Eutropio, qui ſubinde heros mutaret, *uetuſtum Seruitium, ſemperque nouum*. Et alia talia paſſim. L. *Coniugiis* eſt in ſolo uet. exemplari Liuineii; ipſe in textu ſuae editionis, uti etiam Cuſp. Rhen. Steph. Mſſ. Gud. et Moerl. habent *coniugibus*. Locus quidem Propertii perperam eſt adſcriptus; in eo enim non legendum eſt *tutum coniugium*, quo ſignificetur *fidelis coniux*, ſed *totum coniugium*, ut omnes libri, nullo diſſen-

liberis, ceteroque examine neceſſitudinum ac rerum ſuarum ad loca olim deſerta tranſirent, ut, quae fortaſſe ipſi quondam depraedando uaſtauerant, culta redderent ſeruiendo.

IX. Quis hoc umquam futurum, etiam ſi coram uoluiſſet adfari, deus ante uos principes perſuadere potuiſſet, quod nunc uidimus et uidemus: totis porticibus ciuitatum ſedere captiua agmina barbarorum, uiros attonita feritate trepidantes, reſpicientes anus ignauiam filiorum, nuptas maritorum, copulatas uinculis, pueros ac puellas familiari murmure blandientes, atque hos omnes prouincialibus ueſtris ad obſequium diſtributos, donec ad deſtinatos ſibi cultus ſolitudinum ducerentur. Inſultare hercule communi Galliarum nomine libet, et, quod pace ueſtra 2 loquar,

diſſentiente, exhibent, teſte Brouckhuſio, quem uide. Verum, ut in citato Claudiani loco et ſexcentis aliis *ſeruitium* pro *ſeruis*, ut *matrimonia* pro *uxoribus* interdum, ſic etiam *coniugium* poni pro *coniuge* a poëtis certiſſimum eſt. Iuuenalis, 8, 218 ſq.

Electrae iugulo ſe polluit, aut Spartani
Sanguine coniugii.

ubi v. Grang. Licet itaque τὸ *coniugiis* unius tantum cod. ſuffragio nitatur, illud tamen, ex lege critica, quae e duabus lectionibus minus uſitatam iubet praeferri, tuendum iudicaui, ſecutus Pariſienſes, Patarolum et Cellarium, qui lectionem hanc a Liuineio commendatam ſunt amplexi. *Iaeg.*

VIII, 4. *ad loca olim deſerta*) Conſtantius captiuos in Gallia ad agrum colendum, cultoribus deſtitutum, diſtribuit. Vide mox c. 9. C.

IX, 1. *uidimus, et uid. — cop. uinc. pueros etc.*) Verba *et uidemus* deſunt in Mſ. Moerl. Pro *totis*, i. e. omnibus, *porticibus ciuitatum ſedere* alter Gud. habet *tot. port. ciuitatem inſidere. Iaeg.*

IX, 2. *et, quod pace ueſtra — prouinc.*) Τὸ *et* omittit

loquar, ipſis triumphum adſignare prouinciis. 3 Arat ergo nunc mihi Chamauus, et Friſius, et ille uagus, ille praedator exercitio ſqualidus operatur, et frequentat nundinas meas pecore ue- 4 nali, et cultor barbarus laxat annonam. Quin etiam, ſi ad dilectum uocetur, accurrit, et obſequiis teritur, et tergo coërcetur, et ſeruire ſe 5 militiae nomine gratulatur. Quid faciam, Caeſar? Ignoſce, ſi moror, ignoſce, ſi propero: multa enim illius temporis, quo tranſitus in Britanniam

tit Cuſp. et Moerl. Hic etiam pro *adſignare* habet *aſſignate*; in Gud. altero *triumphum* abeſt: ſed nihil mutandum. *Id.*

IX, 2. *ipſis triumph. adſignare prou.*) i. e. eis gloriam triumphi attribuere: nam ſub duce Conſtantio barbaros e ſuis finibus pepulerant. Fortaſſe etiam eſt, eis attribuere fructum uictoriae, quia eis ceterae gentes in ſeruitia tradebantur. B.

IX, 3. *Chamauus et Friſius*) Hi ſunt illi barbari, a Carauſio in Batauiam admiſſi, quos Conſtantius partim expulit ac deleuit, partim captos per Gallias diſtribuit, ut ſeruirent et agros colerent. V. cap. 21. C.

IX, 3. *ille uagus, ille praedator* etc.) De Friſio, quo de proxime, accipio, ſed uir doctiſſimus Car. Langius in *ille uagus* populum aliquem Francorum ſuſpicione ſibi fingebat, quem in lucem equidem non extraho. Mox *exercitio* interpretor *culturae*, quae inſolens populabundo et latroni. Quod deinde eſt, *ſqualidus*, non habeo, cur ſuſpectem, etſi in uet. noſtro *ſquali rudus*, in Bertin. *ſquali rudis* inueni. Nam et Iuuenalis in re gemina de damnato in metalla ſimiliter dixit, *quae nunc Squalidus in magna faſtidit compede foſſor.* L.

Poteſt haec lectio retineri; tamen, quae in uett. codd. inueni, adferam. In noſtro *exercitia ſqualidi ruris operatur*; Bert. *exercitio ſquali rudis operatur.* Vterque corrupte. Sic puto legendum: *exercitio ſqualidi ruris operatur.* P.

Lectionem, quam Puteanus in ſuo codice inuenit, habet quoque Moerl. In Gud. altero eſt foeda lacuna, omiſſis uerbis *exercit ſqual.* et ſequentibus usque ad *uenali*, quod ſtatim τῷ *praedator* adiicitur. *Ideg.*

tanniam parabatur, admirabilia uirtutum tuarum facta praetereo, dum festino cupidus ad singularem illam uictoriam, qua uniuersa res publica tandem est uindicata. Cuius magnitudo, Caesar inuicte, hactenus explicabitur, ut prius dicam, quam necessarium illud et difficile bellum fuerit, quo magis confectum sit. 6

X. Minus indignum fuerat sub principe Gallieno, quamuis triste, harum prouinciarum a Romano duce discidium. Tunc enim, siue incuria rerum, siue quadam inclinatione fatorum, omnibus fere membris erat truncata res publica. Tunc se nimium et Parthus extulerat, 2 et

IX, 6. *hactenus explicabitur, ut prius dicam*) Pro *ut* Cod. Put. Gud. II. et Moerl. *si prius* etc. Seneca, ep. 88. *Meritoria artificia sunt hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent.* Verum, non parem esse rationem loci Senecae et huius nostri, facile largior, adeoque uulgata non est sollicitanda. *Id.*

IX, 6. *quo magis confectum sit,*) *Quo* legam Q. maiuscula et exponam, Quo id acrius urgeri et confici e re publ. uisum. Sed ne quid dissimulem, integra haec non apparent, nec praesto sine libris. L.

Nemo non uidet, haec male cohaerere, et aliquid excidisse. Acidalius supplendum censet: *quam quo modo confectum sit;* uel etiam: *dein, quo modo confectum sit.* Mauult Baunius: *quam a quo confectum sit.* C.

X, 1. *sub principe Gallieno*) Hoc imperatore nullus umquam fuit et inertior et luxuriosus magis et in prouinciarum suarum direptione inepte tranquillior. B.

X, 1. *a Rom. duce discidium*) Cod. Puteaneus habet *discidium*, quod recipiendum h. l. uidetur, siquidem de separatione membrorum quasi a capite loquitur Orator. v. *Gronov.* ad Liv. 25, 18. *Iaeg.*

X, 2. *Tunc se nimium et Parth. extul.*) Forte *nimirum* legendum, nec tamen mutem. A.

Tangit

et Palmyrenus aequauerat; tota Ægyptus, Syriaeque defecerant; amiſſa Rhaetia, Noricum,
3 Pannoniaeque uaſtatae; Italia ipſa, gentium domina, plurimarum urbium ſuarum excidia maerebat. Non erat tantum doloris in ſingulis, cum

Tangit indignum Parthorum i. Perſarum Regis facinus, qui Valerianum, imperatorem Rom. bello captum, uilis mancipii more tum habebat. B.

X, 2. *Palmyrenus aequauerat*) Odenatus, Palmyrenorum rex, Perſas, poſt captum Valerianum Romanis finibus ingruentes, fortiter compreſſit, ac defenſa Syria, Meſopotamia recepta, regium ſibi nomen aſſumſit: quo quidem conſobrini ſui inſidiis interfecto eius uxor Zenobia, uirilis animi femina, ſuſcepit imperium, ſeque contra Romanos ſtrenue defendit. *Id.*

X. 2. *tota Aegyptus, Syriaeque*) Cum Gallieno eſſet nuntiatum, totam Aegyptum deſciuiſſe, *quid*, inquit, *ſine lino Aegyptio eſſe non poſſumus?* Hac inſigni imperatoris uecordia uſus Aemilianus totam Aegyptum occupauit. Idem Aemilianus, Parthis e Syria pulſis, militaribus ſuffragiis ibi quoque dictus eſt imperator. *Id.*

X, 2. *Pannoniaeque uaſtatae*) Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, a Moeſiacis, Pannonicisque legionibus imperator eſt dictus. Mox Moeſi, eo electo, Regillianum, tum in Illyrico ducatum gerentem, imperatorem proclamant; nec multo poſt Aureolum, Illyricianos exercitus regentem, ac demum Macrianum utrumque, Quietum et Celſum. *Id.*

X, 3. *non erat tantum doloris in ſingulis, cum paene omnib. car.*) Lego *maerebat; nec erat tantum doloris in ſing.* A.

Obſcura, mihi quidem, complexio; et (amplius) corrupta. Emendem: *non erat tanti, dolere in ſing.* i. e. non erat operae pretium et praecipua aliqua cauſa. Frequens Senecae. Extrema uoce praeit ad uerum ſcripta lectio, e qua aegre et cum cura *quateretur* exſculpſi, meo animo, non infeliciter. L.

Legerem: *non erat tantum doloris ſingulis, quantum paene omnibus crearetur.* S.

Careretur, cuius formae exemplum deſidero, in uet. cod. Liuineii et Bertin. legitur, receptumque eſt a Pariſienſibus et Cellario. Cuſp. Rhen. Liv. Steph. Pat. habent *careret*. Non uidetur adeo

cum paene omnibus careretur. Nunc uero 4
toto orbe terrarum, non modo, qua Romanus fuerat, uirtute ueſtra recepto, ſed etiam, qua hoſtilis, edomito; cum toties proculcata eſſet Alamannia, toties obtrita Sarmatia, Iuthungi, Quadi, Carpi toties profligati, ſubmittente ſe Gottho pace poſcenda, ſupplicante per munera rege Perſarum, urebat animum (quod nunc denique confitemur) una illa tanti imperii contumelia, eoque nobis intolerabilior uidebatur, quod gloriae ſola reſtabat.

XI. Et ſane non, ſicut Britanniae nomen unum,

adeo obſcura ſententia uerborum lectionis noſtrae: *non erat tantopere dolendum de iactura ſingularum prouinciarum et excidiis urbium, cum omnibus fere membris truncata res publica iaceret.* Sic non opus operoſa Liuincii emendatione, nec coniectura Schwarzii. *Iaeg.*

X, 4. *Iuthungi*) Sic barbaram hanc gentem uocant Dexippus in Excerpt. de Legation. pr. et p. 10. ac 11. et Ammianus, 17, 12. et Suidas in ἐκαυτῶν, qui ad Danubium locauit. Tabula autem Peutingeriana cum Quadis *Iutugos* coniunxit. Vnde Sirmondus, fretus etiam uetuſtis libris, in Sidonii Panegyr. VII. Auito, v. 233. *Iuthungos* reſtituit, et noſtro etiam Eumenio reddendum cenſet, in quo uulgatum erat *Vitungi*, ſicut in Sidonio *Vithungi*. C.

X, 4. *pace poſcenda*) Cuſp. habet *pacem poſcendo* et in antecedent. pro *obtrita* Sarmatia *obſtricta*, et mox pro *urebat* animum, *urgebat*. Male. *Iaeg.*

X, 4. *una illa tanti imp. contum.*) Receptis cunctis partibus imperii dolebat Romanis, ſola carere Britannia, quam relinquere Carauſio coacti fuerant, tum impares nauali bello aduerſus uirum peritiſſimum gerendo. Eutrop. 9, 14. De hoc ita Aurelius Victor Schotti: *ſoli Carauſio remiſſum inſulae imperium.* C.

X, 4. *reſtabat*) repugnabat, aduerſabatur. v. Broukhuſ. ad Propert. 3, 6, 31. *Iaeg.*

XI, 1. *Britanniae nomen unum*)

unum, ita mediocris iacturae erat rei publicae terra, tanto frugum ubere, tanto laeta numero pascuorum, tot metallorum fluens riuis, tot uectigalibus quaestuosa, tot accincta portubus,
2 tanto immensa circuitu. Quam Caesar ille, auctor uestri nominis, cum Romanorum primus intrasset, alium se orbem terrarum scripsit reperisse, tantae magnitudinis arbitratus, ut non circumfusa Oceano, sed complexa ipsum Oceanum uideretur. Sed enim illa aetate nec Britan-
3 nia ullis erat ad nauale bellum armata nauigiis, et Romana res inde iam a Punicis, Asiaticisque bellis, etiam recenti exercitata Piratico, et postea Mithridatico, non magis terrestri quam nauali

unum) Probe *unum*, ineptequ*e tuum* est in Cusp. L.

XI, 1. *mediocris iacturae* etc.) Forte *mediocri. Id.* Cod. Gud. II. et Put. *med. iactura.* Mox *ubere* pro *ubertate*, ut saepius Maro, Tacitus et Claudianus. Pro *pastionum*, quod in solo Bertin. teste Liuineio, comparet, receptumque fuit a Parisiens. Pat. et Cellario, lectionem ceterorum omnium *pascuorum* reduxi. *Iaeg.*

XI, 2. *Caesar ille, auctor uestri nominis*) Iulius Caesar, cuius nomine appellabantur iuniores principes, Augustis minores; forte quia Augustus nepotes suos, iuuentutis principes, in nomen et familiam adoptauerat. C.

XI, 2. *alium se orb. terr. scripsit reperisse*) Non certum est, ubi id scripserit: an ad senatum epistola, cuius mentio L. IV. extremo est Belli Gallici? *Id.*

XI, 3. *Piratico, et postea Mithridatico*) Falsum id quidem. Praecessit enim, non succesſit Mithridaticum. Clarum ex historiis. In Cusp. *et propiore Mithrid.* in uet. meo et Bertin. *et propiore* inueni. (Sic etiam Putean. et Gud. II. et ed. Pat.) Iuuem ego, et primore syllaba recisa *priore* corrigam, quod perspicue rectum. L.

Animo meo blanditur lectio Cod. Viennensis *et propiore Mithrid.* neque enim necesse confugere ad emendationes.

uali uſu uigebat. Ad hoc natio etiam tunc rudis, et ſolis Britanni Pictis modo et Hibernis adſueti hoſtibus, adhuc ſeminudi, facile Romanis armis ſigniſque ceſſerunt: prope ut hoc uno Caeſar gloriari in illa expeditione debuerit, quod nauigaſſet Oceanum. 4

XII. Iſto uero nefario latrocinio abducta primum a fugiente pirata claſſe, quae olim Gallias tuebatur, aedificatis praeterea plurimis in noſtrum modum nauibus, occupata legione Romana, intercluſis aliquot peregrinorum militum cuneis, contractis ad dilectum mercatoribus

T Gal-

tiones. Si enim dicimus *bellum longinquum*, quod multos ante annos geſtum eſt, quid ni appellare liceat *bellum propius*, quod recentius eſt. G.

Multis ſuſpectum *poſtea*. Sed bene res habet, ſi de exitu interpretamur. Finis enim Mithridatico impoſitus, finito pridem bello piratarum. C.

XI, 4. *Ad hoc natio — ceſſerunt:)* Transpoſita uidentur. Lege: *ad hoc natio etiam tunc rudis, Pictis modo et Hibernis aſſueta hoſtibus, ad hoc ſeminudi et ſoli Britanni facile Rom.* etc. A.

Proba haec lectio ex Mſ. Gud. *et ſolis Britanni Pictis modo et Hibernis adſueti hoſtibus, adhuc ſeminudi, facile Romanis armis, ſignisque ceſſerunt.* Sic magis exprimitur quaſi uilitas ueterum Britannorum, qui quondam eo facilius a Iulio Caeſare uinci, ſuperarique potuerint, quod ſolis Pictis et Hibernis hoſtibus olim adſueti fuerint, et quod ſine graui armorum genere adhuc ſeminudi praelia inierint. S.

XII, 1. *a fugiente pirata* etc.) Carauſio, qui fuga ex Batauis in Britanniam euaſit. C.

Pro *pirata* Gud. habet uitio ſcripturae *piratica*; mox τῷ *aedificatis* Bertin. uterque Gud. et Moerl. adiungunt *que*. *Iaeg.*

XII, 1. *militum cuneis)* Cuneus in exercitu ſunt pedites ita collocati, ut priores ordines anguſtiores, ſubſequentes uero latiores exeant in cunei formam. v. infra c. 16, 2. S.

XII, 1. *contracetis ad dilectum* etc. Cod. noſter *contractis*

Gallicanis, sollicitatis, per spolia ipsarum prouinciarum, non mediocribus copiis barbarorum, atque iis omnibus ad munia nautica flagitii illius auctoris magisterio eruditis, exercitibus autem nostris, licet inuictis uirtute, tamen in re maritima nouis, malam coaluisse ex indignissimo latrocinio belli molem audiebamus, licet de exitu fideremus.
2 Nam et accesserat diuturna sceleris impunitas, quae desperatorum hominum inflarat audaciam, ut illam inclementiam maris, quae uictoriam nostram fatali quadam necessitate distulerat, pro sui terrore iactarent, nec consilio intermissum esse bellum, sed desperatione omissum crederent; adeo, ut iam communis poenae timore depositio archi-

tractis ad delictum mercat. quasi Carausius mercatores Gallicanos ad delictum rebellionis et in societatem pertraxerit. Sed potest tamen et pristina lectio locum suum tueri. *Id.*

XII, 1. *flagit. illius auctoris)* Liuin. Steph. Gudd. habent *auctorum*, ut Carausius et Allectus intelligantur. Alias satis bene legitur *auctoris*. Mox pro *exercit. nostris* Cod. Liuineii, Bertin. et Gud. *uestris*. *Id.*

XII, 1. *in re marit. nouis malam coaluisse* etc.) Acidalio displicuit epitheton *malam* uoci *molem* additum, in cuius locum restituendum censuit *magnam*, aut quid simile. Sed rectius cod. noster, omissa uoce *nouis*, pro *malam* substituit *nouam*. *Id.*

Malum et *nouum* in Mss. confundi docet Drakenb. ad Sil. 10, 422. Mox pro *audiebamus* in Cusp. et I. Gud. Ms. legitur *uidebamus*, probante Liuineio. *Iaeg.*

XII, 2. *diuturna scel. imp.)* Gud. *diuturni*. Deinde pro *uictoriam nostram*, cod. Liuin. Bertin. et uterque Gud. cum Moerl. habent *uict. uestram*. *Id.*

XII, 2. *inclementiam maris)* Constantius a persequendo Carausio, fracta tempestatibus classe, est reuocatus, coactusque pacem cum illo inire, ne Galliarum is litora infestaret. Eutrop. 9, 14, C.

XII, 2. *communis poenae timore*

archipiratam ſatelles occideret, et illud auctoramentum tanti diſcriminis putaret, imperium.

XIII. Hoc igitur bellum, tam neceſſarium, tam difficile aditu, tam inueteratum, tam inſtructum, ita, Caeſar, adgreſſus es, ut, ſtatim atque illo infeſtum maieſtatis tuae fulmen intenderas, confectum omnibus uideretur. Nam primo 2
omnium, (in quo praecipue conſulendum fuit,) ne quid barbarae nationes, conuerſo illuc numine tuo, nouare tentarent, inuocata patris tui maieſtate prouiſum eſt. Tu enim ipſe, tu do- 3
mine Maximiane, Imperator aeterne, nouo itineris compendio aduentum diuinitatis tuae accelerare dignatus, repente Rheno inſtitiſti, omnem-

timore depoſito) Cōis eſt in Cuſp. compendio. Exponebam *communis*, quae omnibus deberetur, ut pari ſcelere obſtrictis. Sed e Bert. *oīs* notatur, i. e. *omnis*, et *paene*, non *poenae*, quod et cod. noſter praefert. (Praefert itidem Moerl. *pene*.) Vnde ſuſpicio Fr. Modio, *omni paene timore* etc. legendum. Ego *poenae* retineam, in altero prope eſt ut adſentiar. L.

XII, 2. *archipiratam ſatelles occid.*) Carauſium Allectus. Eutropium lege. C.

XII, 2. *auctoramentum tanti diſcriminis*) Quod hic periculum et diſcrimen? Ego *criminis* probem, ſcilicet interfecti ſocii et imperatoris. Cui ſceleri praemium imperium peteretur. L.

Videtur tamen caedes illa Carauſii non ſine periculo et magno diſcrimine ab Allecto fuiſſe perpetrata. *Iaeg.*

XIII, 2. *poteſtatis tuae maieſtate*) Foedam maculam ſine libris de ingenio correxeram, *inuocata patris tui maieſtate*. Nunc teſtificor, id exſerte in Cod. meo et Bertin. (itemque Puteaneo) exſtare. Patrem intelligit Maximianum Herculium A. Erratum eſt autem, ut hoc obiter addam, a compendiis. L.

XIII, 3. *noxo itineris comp.*) Opinor legendum: *noto*, quod malim, quam uel *noxio* uel *noxii*. Rh.

Nouo habent Cod. Put. Cuſp. ceterique omnes, quod ſine dubio praeferendum coniecturae Rhenani. *Iaeg.*

que illum limitem non equeſtribus, neque pedeſtribus copiis, ſed praeſentiae tuae terrore tutatus es. Quantos libet ualebat exercitus Maximianus
4 in ripa. Tu uero, inuicte Caeſar, inſtructis, armatiſque diuerſis claſſibus ita hoſtem incertum, conſiliique inopem reddidiſti, ut tunc denique ſenſerit, quod non munitus eſſet Oceano, ſed incluſus.

XIV. Hoc loco uenit in mentem mihi, quam delicata illorum principum fuerit in adminiſtranda republica et adipiſcenda laude felicitas, quibus Romae degentibus triumphi, et cognomina deuictarum a ducibus ſuis gentium proue-
2 niebant. Itaque Fronto, Romanae eloquentiae non ſecundum, ſed alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret, quamuis ille in ipſo Vrbis Palatio

XIV, 1. *in adminiſtranda re publ. et adipiſcenda laude*) Rh. Steph. Liuin. *in adminiſtr. rep. cum laude.* Cuſp. Gud. II. et Moerl. *in adminiſtr. rep. et adipiſcenda rei publ. laude*, quae lectio a Schonhouio etiam notata fuit. Cod. Liuin. et Bertin. omiſſo illo *rei publicae*, importune intruſo, receptam nobis lectionem exhibent. Mox loco τοῦ *prouenie-bant* Mſ. Moerl. *peruenie-bant*. Male. *Iaeg.*

XIV, 2. *Fronto, Rom. eloquent.* etc.) M. Cornelius Fronto, non minor Cicerone, ſed eidem par eloquentia, et quaſi alter Tullius; cuius imitatores *Frontonianos* Sidonius l. 1. ep. 1. dixit, perinde ut *Ciceroniani* dicuntur a Cicerone. C.

XIV, 2. *Antonino principi*) Et Pius Antoninus et Marcus in Britannia bellum per legatos geſſerunt, ut Capitolinus, utriusque uita, memorauit; Pii, c. 5. Marci, c. 8. Interpretes ad Marcum referunt, cui Fronto fuit magiſter eloquentiae. Sed neque hoc firmat ſatis, quia Fronto inde a Traiani aeuo clariſſimus orator fuerat. *Id.*

tio reſidens gerendi eius mandaſſet auſpicium, ueluti longae nauis gubernaculis praeſidentem totius uelificationis et curſus gloriam meruiſſe teſtatus eſt. At enim tu, Caeſar inuicte, omnis 3
iſtius et nauigationis et belli non modo pro imperii iure praeceptor, ſed rebus ipſis et exemplo conſtantiae tuae hortator atque impulſor fuiſti. Prior ſiquidem a Geſoriacenſi litore quamuis 4
feruidum inuectus Oceanum, etiam illi exercitui tuo, quem Sequana in fluctus inuexerat, irre-

XIV, 4. *ſiquidem magis Geſor. lit.* etc.) Codicum diſcors et non una lectio. In Langianis abeſt *magis*. In meo cod. lego omnino *ſiquid, magis origiacenſi lit.* In Bert. *ſiquidem a Geſorigiacenſi lit.* propius uero. Nam germanum reor *ſiq. a* (ſeu *in*, ut in Cuſp. eſt) *Geſoriacenſi lit.* v. ſupra c. 6. Egregie quoque *prior* additur, ſc. exercitus tui parte, ut mox ſequitur, idque illuſtrat uehementer, quod praeceſſit, *exemplo*. L.

Quid hic illud *magis*? Abiicio: niſi tamen unam ex eo litterulam retineo, ut ſit praepoſitio *a*. Reliquae ex inepta repetitione natae. *M* ex poſtremo τοῦ *ſiquidem*, *Gis* e prima ſequentis *Geſoriacenſi*. *A.*

Noſter cod. ſic exhibet hunc locum: *ſiquidem agis origiacenſi littore quamuis feruidum Oceanum, etiam illi* etc. Ita etiam Put. habet. Sed in uoce *agis* latet corrupta lectio. Conſtat enim ex praepoſitione *a*, et ſyllaba ſubſequentis uocis *Geſoriacenſi*. Ita ergo legerem: *Prior ſiquidem a*. Steph. pro *magis* malit *maris*; fruſtra. S.

Hic loci ipſe Conſtantius claſſe traiicere in Britanniam paraſſit, atque ſoluit etiam, ſed poſt uictoriam Aſclepiodoti praefecti. C.

XIV, 4. *quem Sequanam fluctus inuexerat*) Sic Put. Cuſp. Steph. *In Sequanam uis inuexerat*, Mſ. Moerl. pro *uis* Gud. *ui*. *Ineg.*

Expeditum *Sequanae fluct.* quod in Lang. eſt, ſed quis fluctum adtribuat flumini? In noſtro cod. ſcriptum explicate, *quem ſe qua natura niſi inuexer.* Erui tandem e ueſtigiis, meo animo, belle *quem Sequana curuus inuex.* Tu adi tabulas, mi lector, et perpetuos

uocabilem iniecisti mentis ardorem; adeo, ut, cunctantibus adhuc ducibus, caelo et mari turbidis, ultro signum nauigationis exposceret, quaedam minacia signa, quae uidebantur, contemneret, die pluuio uela faceret, uentum, quia directus non erat, captaret obliquum. Quis enim se quamlibet iniquo mari non auderet credere, te nauigante? Omnium, ut dicitur, accepto nuntio nauigationis tuae, una uox et hortatio fuit: *Quid dubitamus? quid moramur? Ipse iam soluit, iam prouehitur, iam fortasse peruenit. Experiamur omnia, per quoscumque fluctus eamus. Quid est quod timere possimus? Caesarem sequimur.*

XV.

tuos fluuii, certe inde a Parisiis, flexus obserua. E Bert. notatum, *quem Sequanam nisi inuex.* in quo reliquiae quaedam proximae lectionis. L.

Nimis obscura. An? *quem Sequana fluuius inuex.* A.

Suitulerim litteram postremam ac reformauerim in *in*, ut fiat, *quem Sequana in fluctus inuex.* Fluctus heic sunt non fluminis, sed Oceani ipsius. G.

Asclepiodotum puta, quem ex alio latere adnauigare et classem adducere Constantius iusserat. C.

XIV, 4. *iniecisti in eis ardorem*) Sic Cusp. Steph. Rh. Liv. Quod nauci non esse recte iudicat Gruterus. Coniectura Acidalii, mutantis *in eis* in uoculam unam *mentis*, confirmatur codd. Put. Liv. Bert. Lang. Moerl. *Ineg.*

XIV, 5. *Caesarem sequimur*) Et fortunam eius comitem. Respicitur h. l. id, quod de Iulio Caesare, horrida tempestate iactato, narrat Plutarchus, p. 1332. H. Steph. Καῖσαρ τοῦ κυβερνήτου λαβόμενος τῆς χειρὸς, ἴθι, ἔφη, γενναῖε, τόλμα καὶ δεδίθι μηδέν. Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν. Florus, 4, 2, 37. *Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem uox ipsius: Quid times? Caesarem uehis.* Pro *possimus* Moerl. et Gud. I. *possumus.* *Id.*

XV. Nec fefellit opinio ueſtrae felicitatis. Siquidem, ut ex ipſorum relatione comperimus, ad tempus ipſum tantae ſe dorſo maris nebulae miſcuerunt, ut inimica claſſis, apud Vectam inſulam in ſpeculis atque inſidiis collocata, ignorantibus omnino hoſtibus praeteriretur, ne uel moraretur impetum, quamuis non poſſet obſiſtere. Iam uero quod idem ille ueſtro auſpicio 2
inuictus exercitus, ſtatim atque Britanniae litus inuaſerat, uniuerſis nauibus ſuis iniecit ignes; quinam alii, niſi diuinitatis ueſtrae, monitus impulerunt? aut quae alia ratio perſuaſit, nullum praeſidium fugae reſeruare, nec uereri dubia bellorum, nec Martem, ut dicitur, putare communem; niſi quod ueſtri contemplatione conſtabat, de uictoria non poſſe dubitari? Non illi tunc uires, 4
non Romana robora, ſed ueſtra numina cogitauerunt. Propoſito qualicumque praelio certam

XV, 1. *ad tempus ipſum*) Auctor in Conſtantinum A. *Cum ad tempus ipſum, quo pater in Britanniam transfretabat, claſſi iam uela facienti repentinus tuus aduentus illuxit.* Mox *Vecta* inſula Suetonio eſt *Vectis*, Veſp. c. 4. L.

XV, 1. *inimica claſſis apud Vectam*) Allecti claſſis, ibi diſpoſita, ut traiectum Conſtantianorum impediret: ſed nebulae beneficio illam Aſclepiodotus praeteruectus eſt, ut minime ſentiretur. C.

XV, 1. *moraretur ipſe tum*) Sic Rh. Liv. Steph. Sed perſpicue uerum eſt *impetum*, ut habet cod. Liv. Bert. Cuſp. Lang. Moerl. et adnotauit quoque Schonhouius *Iæg.* Error eſt ab exſcriptorum compendiis. Nam uetere ſcriptura *ipe* et *impe* ualet et *ipſe*. L.

XV, 4. *Non illic tunc uires, non Romana rob.*) Pro *illic*, quod habent edd. Cuſp. Rh. Liv. Steph. Cell. Pat. eſt in codd. Liv. Put. Moerl. *illi*, quod Acidalius etiam ſubſtituit; et ſine controuerſia melius eſt. Mox pro *Romana* cod. Liv. et Moerl. *humana*. *Iaeg.*

ſibi ſpondere fortunam, non tam eſt fiducia mili-
5 tum, quam felicitas imperatorum. Ipſe ille autem ſignifer nefariae factionis, cur ab eo litore, quod tenebat, abſceſſit? cur claſſem, portumque deſeruit? niſi quod te, Caeſar inuicte, cuius imminentia uela conſpexerat, timuit iam iamque uen-
6 turum. Vtcumque cum ducibus tuis maluit experiri, quam praeſens maieſtatis tuae fulmen excipere. Demens, qui neſciebat, quacumque fugeret, ubique uim ueſtrae diuinitatis eſſe, ubi uultus ueſtri, ubi ſigna colerentur.

XVI. Te tamen ille fugiens, incidit in tuorum manus; a te uictus, a tuis exercitibus
2 oppreſſus eſt. Denique adeo trepidus, et te poſt terga

XV, 5. *ſignifer nefariae factionis*) Allectus eſt, qui, Carauſio interfecto, Britanniam tenebat. C.

XV, 5. *ab eo litore*) Rutupino, ſ. ad portum Rutupinum, ubi firmo praeſidio relicto, Aſclepiodoto, iam inſulam ingreſſo, occurrit, et uictus eſt. Hadr. Valeſius, Rer. Franc. I. p. 14. conſulatur. *Id.*

XV, 6. *quacumque fugerat, ubique numina ueſtrae diuinitatis eſſe*) Sic Rhen. Liv. Steph. habent. Cuſp. et Moerl. itidem *fugerat*, uitioſe; ſed iidem pro *numina* praeferunt *uim*, quod et in cod. Liv. et Bertin. legitur, probaturque Grutero, et receptum eſt a Pariſienſibus, Pat. et Cellario. Mox pro *ubi uultus* Moerl. corrupte *niſi uultus*. *Iaeg.*

XV, 6. *ubi uultus ueſtri*) Notae et obuiae in hiſtoriis Principum in uexillis imagines. L.

Non tam in uexillis, proprie ſic dictis, quibus nomen Imperatoris inſcribi ſolitum fuit, (v. Suet. Veſp. c. 6, ibique Torrent.) quam in clypeis ſuſpenſis in haſtilibus ſignorum. v. Xiphilin. Vitell. p. 311. l. 40, et Herodian. Iulian. p. 499. l. 30. Sylb. *Iaeg.*

XVI, 1. *in tuorum manus*) Aſclepiodotum ſentit, Praetorio praefectum, a quo Allectus oppreſſus. L.

terga reſpiciens, et in modum amentis attonitus properauit ad mortem, ut nec explicarit aciem, nec omnes copias, quas trahebat, inſtruxerit, ſed cum ueteribus illis coniurationis auctoribus et mercenariis cuneis barbarorum, tanti apparatus oblitus, irruerit. Adeo, Caeſar, 3
hoc etiam reipublicae tribuit ueſtra felicitas, ut nemo fere Romanus occiderit, imperio uincente Romano. Omnes enim illos, ut audio, campos atque colles non niſi teterrimorum hoſtium corpora fuſa texerunt. Illa barbara, aut imita- 4
tione barbariae olim cultu ueſtis, et prolixo crine rutilantia, tunc uero puluere et cruore foedata, et in diuerſos ſitus tracta, ſicuti dolorem uulnerum fuerant ſecuta, iacuerunt; atque inter

T 5 hos

XVI, 2. *te poſt terga reſpiciens*) Totidem paene uerbis Pacatus in Theodoſium, c. 38. *Ibat interim Maximus, ac te poſt terga reſpectans, in modum amentis attonitus auolabat.* Id.

XVI, 4. *Illa barbara*) Non occurrit melius, quam quod olim ante codices inſpectos diuinabam; *Illa, inquam, barbara* etc. Sed e Bertin. notatur, *ita illa barb.* Fortaſſe legendum: *texerunt: et illa barbara.* Id.

XVI, 4. *aut imitatione barbariae*) Allecti milites, ut quam plurimos Germanos ſecum habere crederentur, cultum, habitumque Francorum imitati ſunt. Valeſ. d. l. C.

XVI, 4. *puluere*) Rh. Liv. Steph. *uulnere.* Verum rectius in codd. Liv. Bert. Put. Moerl. et ceteris *puluere.* Mox pro *tracta* Cuſp. Rhen. Liv. Steph. habent *ſtructa*, Mſ. Moerl. et Gud. II. *ſtrata.* Noſtra lectio, e cod. Bert. deriuata, uidetur optime reſpondere τῷ *ſecuta*; etſi ceterae non damnandae. Iaeg.

XVI, 4. *dolorem uuln. fuer. ſecuta*) Idem Pacatus: *Illi mutilis, exciſisque membris reliqua ſui parte fugiebant; hi dolorem uulnerum ſequebantur.* Mox *uelaminis*, neſcio an non rectius *uel alterius*, quod olim mihi in mentem uenerat. L.

hos ipſe uexillarius latrocinii, cultu illo, quem uiuus uiolauerat, ſponte depoſito, et uix unius uelaminis repertus indicio. Adeo uerum ſibi dixerat morte uicina, ut interfectum ſe nollet agnoſci.

XVII. Enimuero, Caeſar inuicte, tanto deorum immortalium tibi eſt addicta conſenſu uictoria omnium quidem, quos adortus fueris, hoſtium, ſed praecipue internecio Francorum, ut illi quoque milites ueſtri, qui per errorem nebuloſi, ut paullo ante dixi, maris abiuncti ad oppidum Londinienſe peruenerant, quidquid ex

XVI, 5. *Adeo uerum ſibi dixerat*) Incertus in Conſtantinum A. *Et adeo ipſe uerum ſibi dixerat*, etc. *Id.*

XVII, 1. *tanto deor.* etc.) Cuſp. Steph. et Mſ. Gud. praeferunt *tanta*, ſed Liv. et ceteri *tanto*, quod recte probat Acidalius. Porro Rittershuſius legit et diſtinguit *uict. omnium, quos quidem adort. ſ. hoſtium.* Pro *addicta* cod. Liv. *addita.* Vox *uictoria* deeſt in Mſſ. Gud. et Moerl. ita, ut *addicta* iungatur cum *internecio.* Loco huius uocis Liv. et cum Rhen. Steph. habent *interiectio*, notatque hic in margine, al. *interfectio, uel, quod malim, internecio.* In cod. Liv. et Bert. legitur *interuectio*, in Put. *internectio*, et recte denique in Lang. et Cuſp. etc. *internecio.* Mox pro *et*, quod habent Cuſp. Rh. Steph. ex uet. cod. Liv. Bert. Put. et Lang. legendum *ut*, adeoque inferius pro *confecerunt, dederunt*, ut in Rhen. Liuin. et Steph. eſt, poſtulante ſententiae ipſius nexu et auctoritate exempl. Lang. Put. Cuſp. Moerl. *confecerint, dederint.* Pro *Londinienſe*, (ſic ſcribitur in Cuſp. Rhen. Liv. Steph. Cell. edd.) cod. Liv. *Londunenſe*, Bert. *Londonenſe* Mſ. Moerl. et Gud. habet *Londonienſe.* Denique pro *non ſolam*, ut legitur in Cuſp. Rhen. Liv. Steph. et Mſ. Moerl. praefert cod. Bertin. *non ſolum*, quod, reiecto altero illo, probat Acidalius, et recepit ed. Pariſ. a 1643. Pat. et Cellar. In Bauniana ed. eſt *non ſolam.* *Iaeg.*

XVII, 1. *ad opp. Lond.*) Franci ex praedio reliqui Lon-

ex mercenaria illa multitudine barbarorum praelio ſuperfuerat, cum, direpta ciuitate, fugam capeſſere cogitarent, paſſim tota urbe confecerint; et non ſolum prouincialibus ueſtris in caede hoſtium dederint ſalutem, ſed etiam in ſpectaculo uoluptatem. O uictoria multiluga et 2
inmumerabilium triumphorum, qua Britanniae reſtitutae, qua uires Francorum penitus exciſae, qua multis praeterea gentibus, in coniuratione illius ſceleris deprehenſis, impoſita eſt neceſſitas obſequendi, denique ad perpetuam quietem maria purgata ſunt! Gloriare tu uero, 3
Caeſar inuicte, alium te orbem terrarum reperiſſe, qui Romanae potentiae gloriam reſtituendo

Londinium refugerant, quo pars Conſtantianorum, errore nebuloſi maris, aduerſo Tameſi delati, incautos oppreſſerunt. C.

XVII, 1. *in ſpectaculo uoluptatem.*) Reſpicit, opinor, ad illa ſupra: *totis porticibus, ciuitatum ſedere captiua agmina barbarorum.* L.

Neſcio, an eis accedere debeam, qui uolunt, ſpectaculo fuiſſe, dum ſederent captiui in porticibus ciuitatum; an cogitare, coactos gladiatorum more inter ſe concurrere, uel adeo depugnare cum beſtiis. G.

XVII, 2. *gentes Francorum*) Sic habent, quos uidi, omnes, exceptis Codd. Put. Gud. Moerl. in quibus legitur *uires*, quod cur praetulerim, obſcurum eſſe poterit nemini. *Iaeg.*

XVII, 3. *Gloriare tu uero,*) *uero tu*, legitur in Cuſpin. et Moerl. *Id.*

Potius ſit, meo animo, reſcribi *uere*. Committit enim ſolidam, ueramque Conſtantii Caeſaris e Britannica uictoria laudem cum illa, de qua ſupra, Diui Iulii oſtentatione et iactantia, qui hoc uno gloriari debuerat, quod Oceanum nauigaſſet. Meritoque ad Veſpaſianum eruditus poëta: *Caledonius poſtquam tua carbaſa uexit Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.* L.

XVII, 3. *reperiſſe*) Liv. et Steph. *peperiſſe*. Sed in cod.

do naualem, addidiſti imperio terris omnibus
4 maius elementum. Confeciſti, inquam, bellum, Caeſar inuicte, quod cunctis impendere prouinciis uidebatur, tamque late uagari et flagrare poterat, quam late omnis Oceanus et mediterranei ſinus adluunt.

XVIII. Neque enim, ſi metu ueſtri lues illa ſolis Britanniae uiſceribus intabuit, idcirco neſcimus, quanto ſe alias furore iactaſſet, ſi fiduciam peruagandi, qua patebat, habuiſſet.
2 Nullo ſiquidem certo fine montium aut fluminum terminabatur, quem diſpoſitae limitis cuſtodiae tuerentur; ſed ubique nauis, licet nobis uirtutem,

ood. Liv. Bert. Cuſp. Lang. Put. *reperiſſe*, quod melius indicat Acidalius, quia reſpicitur ad Iulii Caeſ. dictum, qui, cum Romanorum primus Britanniam intraſſet, alium ſe orbem terrarum ſcripſit reperiſſe. Idem Acidalius dein ceps legi iubet *addidiſſe*; uerum rectius uiſum eſt expungere το *et*, quod eſt in Liv. et Steph. et reuocare lectionem Rhen. Cuſp. codd. Liuin. Bert. Lang. Put. Moerl. in quibus loco eius comparet *qui*. Pariſienſes cum Pat. et Cellario utrumque exhibent; ſed, poſito *qui*, importunum eſſe *et*, facile intelligitur. *Iaeg.*

XVIII, 2. *terminabatur*) Acidalius ex coniectura legit *terminabamur*; fruſtra. Deinde το *non* poſt *cuſtodiae*, quod habet Cuſp. Liv. Rh. Steph. recte omittitur in cod. Liv. Bert. Lang. Put. Moerl. et edd. ceteris. *Iaeg.*

XVIII, 2. *nauis, licet nobis* etc.) Pro hac lectione, quam in reliquis omnibus reperi, codd. Put. et Moerl. prae ſe ferunt: *ſed ubique, uanis licet motibus apud uirt. felicitatemque ueſtram*; το *haberemus* etiam deeſt in Mſ. Gud. Quo deleto, ex commemorata codd. lectione exſiſtit ſatis concinna uerborum ſtructura; et ſequens *imminebat* referendum erit ad ſuperius *lues illa: uanis* pro *nauis* habet etiam Mſ. D. Marci, teſte Patarolo, qui, ex coniectura erudita, legere geſtit: *ſed ubique, uanis licet, cum uirtutem etc. magnis tamen etc.* *Id.*

tem, felicitatemque ueſtram haberemus, magnis tamen terroribus imminebat, qua iacent maria, qua uenti ferunt. Recurſabat quippe in animos illa ſub Diuo Probo et paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia, et indigna felicitas, qui, a Ponto uſque correptis nauibus Graeciam, Aſiamque populati, nec impune pleriſque Libyae litoribus appulſi, ipſas poſtremo naualibus quondam uictoriis nobiles ceperant Syracuſas, et immenſo itinere peruecti Oceanum, qua terras irrupit, intrauerant, atque ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticae deſperationi, quo nauigiis pateret acceſſus. Itaque hac uictoria ueſtra non Britannia ſolum ſeruitute eſt liberata, ſed omnibus nationibus ſecuritas reſtituta, quae maritimo uſu tantum in bello adire periculi poterant, quan-

3

4

XVIII, 3. *et paucorum ex Francis captiuorum*) Zoſimus extremo l. I. hanc hiſtoriam perſequitur. Francis enim, poſtquam praelio uicti fuerant, in deditionem receptis, *μείρᾳ τις ἀποστᾶσα*, *pars quaedam defectionem molita*, nauibus Graeciam omnem, Siciliam et Africae litora infeſtauit. v. c. 68. et 71. C.

Adde paneg. 9, 17, 1. *Iaeg.*

XVIII, 3. *nec impune*) *actiue*, ſine damno illato. Ita Claudian. de Conſ. Stilich. 3, 337 ſq. de leonibus: *quorumque impune fragoſa Murmura paſtorum numquam uenere per aures.* *Id.*

XVIII, 3. *naualibus quondam uictoriis nob. Syracuſ.*) v. Thucydid. L. 7. p. 235 ſqq. H. Steph. Iuſtin. 4, 5. *Id.*

XVIII, 3. *qua terras irrupit*) *rupit* legitur in Cuſp. Rhen. Liv. Steph. Melius autem, iudice Acidalio, *irrupit*, quod exhibent cod. Liv. Bert. Put. Moerl. *Eumenius: Quaua ambitu cingit orbem, uel irrumpit Oceanus.* In ſequentibus, n. 4. pro *ſecuritas* cod. Moerl. habet *felicitas.* Sed nihil mutandum. *Id.*

5 quantum in pace commodi eonſequuntur. Nunc ſecura eſt, ut de latere Gallico taceam, quamuis paene conſpicuis litoribus Hiſpania, nunc Italia, nunc Africa, nunc omnes uſque ad Mae-
6 otidas paludes perpetuis curis uacant gentes. Nec idcirco minoribus gaudiis feruntur, demto periculi metu, quod experiundi neceſſitate caruerunt; ſed hoc ipſum et in adminiſtratione prouidentiae ueſtrae, et in feliciore fortuna impenſius

XVIII, 5. *de latere Gallico)* Vt nihil dicam de ea Galliarum parte, quae ad mare ſita eſt, et quae Galliarum ueluti latus eſt. B.

XVIII, 5. *quamuis paene conſpicuis lit.)* Nimis propinquam Britanniae Hiſpaniam facit. Sed ita etiam alii. Tacitus, Agric. c. 10. *Britannia in orientem Germaniae, in occidentem Hiſpaniae obtenditur.* Plinius, 4, 16. *Britannia Germaniae, Galliae, Hiſpaniae aduerſa.* C.

XVIII, 6. *minoribus gaudiis feruntur)* Infra mox, *Nec mirum, ſi tanto gaudio ferebantur.* Pro reſtaur. ſchol. *ut, quocumque oculos circumtuli, ad reſtitutionem operum ſingulorum gaudio ferar.* Pacatus in Theodoſ. *Ambo pari gaudio feruntur exercitus.* L.

XVIII, 6. *quod experiundi neceſſit. car.*) Cuſpin. Rhen. et Steph. habent *quo*, cuius in locum Acidalius ex coniectura ſubſtituit *quod*, i. e. *quia*, idque praeferunt ceteri recte. Statim pro *hoc ipſo*, ut ex Lang. receperunt Pariſienſes, Pat. et Cellarius, Cuſp. Liv. Rhen. Steph. itemque cod. Moerl. et ambo Gud. *hoc ipſum*, quod reuocandum duxi. Mox poſt *adminiſtratione* inſerit *uel* Rhen. Liv. et Steph. quod tamen non comparet in Bert. Put. Lang. Cuſp. cet. et ſane abeſſe debet. *Iaeg.*

XVIII, 6. *prouidentiae ueſtrae, et infectione fortunae)* Sequor Langianas ſchidas, e quibus exſcriptum: *prouidentiam ueſtram et infectis fortunam imp. gratul.* Pro *infectione* repoſueram de coniectura *in confectione*, quod ne nunc quidem damnare poſſum. L.

Lectio haec non uidetur immutanda ad eam faciem, quam induxit Liuineius. Nam nihil, mea quidem opinione, inhaeret labis, quam

penſius gratulantur, quod tanta illa uis nauticae rebellionis in ueſtigiis ſuis concidit. Atque ipſam Britanniam, quae ſedem tam diuturno ſceleri praebuiſſet, conſtat uictoriam ueſtram ſola ſui reſtitutione ſenſiſſe. 7

XIX. Merito igitur ſtatim atque ad litus illud exoptatus olim uindex et liberator appuleras, obuius ſeſe maieſtati tuae triumphus effudit, exſultanteſque gaudio Britanni cum coniugibus ac liberis obtulerunt, non te ipſum modo, quem ut caelo delapſum intuebantur, ſed etiam nauis illius, quae tuum numen aduexerat, uela, remigiaque uenerantes, paratique, te ingredientem ſtratis ſentire corporibus. Nec mirum, ſi 2 tanto gaudio ferebantur, poſt tot annorum miſerri-

quam in uoce *infectione*, pro qua forte reponendum *in effectione* aut *in feſtinatione*, aut aliud quid. G.

Pro *infectione fort.* Codd. Gud. II. Put. et Moerl. habent *et infeliciore fortuna.* Recte, ſi ſcribas *in feliciore fortuna*, h. e. in laetiore rerum ſuarum conditione, quam uobis debent. *Confectio uel effectio fortunae* nemini, puto, probabitur. Mox pro *tanta* Mſ. Moerl. *tota*; et in uerbis ultimis poſt *uictoriam* inſerit *ueſtram* idem codex et cum Gud. II. Puteaneus, omiſſa ea uoce in fine; quae uerborum collocatio melior uulgata et elegantior uidetur. Voculam *tam* ante *diuturno* omittit Gud. uterque. Ceterum, quod Liuineius pro *ſui reſtitutione* legit *tui*, et explicat, *tuo unius reditu et aduentu*, id nihili eſſe perſpicue apparet. Recte exponit Patarol: Senſit uictoriam non ex damnis, quae paſſa ſit a uictoribus, ſed ex eorum beneficiis, quibus eſt reſtituta. *Iaeg.*

XIX, 1. *ut caelo*) Mſ. Moerl. *de caelo*; Gud. II. *ut* abeſt: mox pro *aduexerat*, Gud. II. *adduxerat*, et pro *uenerantes* Moerl. *uerentes*; quae omnia fere deteriora ſunt lectione recepta. *Id.*

XIX, 2. *poſt tot annor. miſerr. capt.*) decem fere annorum. Carauſius ſeptimo anno fuit occiſus. Allectus poſt

ſerrimam captiuitatem, poſt uiolatas coniuges, poſt liberorum turpe ſeruitium, tandem liberi, tandemque Romani, tandem uera imperii luce
3 recreati. Siquidem praeter illam clementiae ueſtrae, pietatiſque famam, quae communi gentium uoce celebratur, in ipſo, Caeſar, tuo uultu uidebant omnium ſigna uirtutum; in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore uere-
4 cundiae, in ſermone iuſtitiae. Quae ſingula, ut reſpectantes agnouerant, laetitiae clamoribus concinebant; uobis ſe, uobis liberos ſuos, ueſtris liberis omnes generis ſui poſteros deuouebant.

XX. Nos quidem certe, o perpetui parentes

poſt triennium; decimo anno Britanniae receptae. Eutrop. 9, 14. C.

XIX, 2. *uera imperii luce*) Nam Carauſii et Allecti non imperium, ſed tyrannis ac latrocinium fuit. L.

XIX, 3. *Siquidem*) Haec uox omittitur in cod. Moerl. et poteſt ſane abeſſe. Porro pro *ueſtrae* idem cod. et Gud. II. *tuae*, pro *famam*, idem Gud. corrupte *formam*; denique pro *celebrabatur*, ut eſt in codd. Liv. et Bertin. et edd. Pariſ. Pat. et Cellar. reuocaui lectionem, quam ceteri cum Gud. I. praeferunt, *celebratur*. In fine n. 4. pro *agnouerant*, Moerl. et Gud. uterque exhibet perbene *aduerterant*, a quo non multum diſcedit uitioſa Bertin. cod. ſcriptura *aduenerant*. Denique pro *liberis omnes gen.* etc. Mſ. Moerl. exhibet *omnis*, Liuin. et Cuſp. cum Gud. I. *omnibus*, quod merito diſplicet Liuineio. *Ineg.*

XX, 1. *Nos quidem certe*) Cuſp. Gud. II. et Moerl. *certo*; deinde pro *etiam his*, Moerl. et Gud. II. *iis*; melius: pro *poſteris ueſtris*, ut habetur in ed. Liv. reliqui ſcripti et editi recte *noſtris*; pro *optare poſſumus*, Cuſp. *poſſimus*. Porro n. 3. poſt *ratio* uocula *rerum* deeſt in Cuſp. Liv. Rhen. Steph. et n. 4. in locum τοῦ *nobis*, quod legitur in Liv. Pariſ. et Cellar. reuocaui lectionem

tes et domini generis humani, hoc a diis immortalibus omni uotorum nuncupatione depoſcimus, ut liberi, nepotesque noſtri, et ſi qua omnibus ſaeculis erit duratura progenies, cum uobis, tum etiam iis, quos educatis, atque educabitis, dedicentur. Quid enim melius poſteris noſtris optare poſſumus, quam quo fruimur ipſi? Tenet 2
uno pacis amplexu Romana res publica, quidquid uariis temporum uicibus fuit aliquando Romanum; et illa, quae ſaepe ueluti nimia mole defluxerat, magnitudo tandem ſolido cohaeſit imperio. Nihil ex omni terrarum caelique regione non aut metu quietum eſt, aut armis domitum, aut pietate deuinctum. Et ex aliis quidem partibus aliqua reſtant, quae, ſi uoluntas uel ratio rerum deſiderent, poſſitis acquirere; ultra Oceanum uero quid erat praeter Britanniam? Quae 4
a uobis ita recuperata eſt, ut illae quoque nationes, terminis eiusdem inſulae cohaerentes, ueſtris nutibus obſequantur. Nulla progrediendi 5
cauſa ſupereſt, niſi ſi, quod natura uetuit, fines ipſius quaerantur Oceani. Omnia, inquam, inuictiſſimi Principes, ueſtra ſunt, quae ſunt digna uobis. Et inde eſt, quod conſulere ſingulis aequaliter licet, cum uniuerſa teneatis.

XXI. Itaque ſicuti pridem tuo, Diocletiane Auguſte, iuſſu ſuppleuit deſerta Thraciae translatis incolis Aſia; ſicut poſtea tuo, Maximiane

V Augu-

nem Cuſp. Steph. Pat. confirmatam cod. Gud. II. et Moerl. et conuenientiorem, *nobis.* *Id.*

XX, 5. *niſi ſi, quod natura uetuit, fines*) Sic Alexandri milites apud Curtium, 9, 4. queruntur, *ſe trahi extra ſidera et ſolem, cogique adire, quae mortalium oculis natura ſubduxerit.* C.

Auguſte, nutu Neruiorum et Treuerorum arua iacentia laetus, pōſtliminio reſtitutus et receptus in leges, Francus excoluit: ita nunc per uictorias tuas, Conſtanti Caeſar inuicte, quidquid infrequens Ambiano et Bellouaco et Tricaſſino ſolo, Lingonicoque reſtabat, barbaro cultore
2 reuireſcit. Quin etiam illa, cuius nomine mihi peculiariter gratulandum, deuotiſſima uobis ciuitas Aeduorum ex hac Britannicae facultate uictoriae plurimos, quibus illae prouinciae redundabant, accepit artifices, et nunc, exſtructione ueterum domorum et refectione operum publicorum et templorum inſtauratione, conſurgit. Nunc ſibi redditum uetus illud Romanae fraternitatis nomen exiſtimat, cum te rurſus habeat
3 conditorem. Dixi, Caeſar inuicte, prope plura quam potui, ſed pauciora quam debui; ut iuſtiſſima mihi cauſa ſit, propitio numine tuo, et nunc deſinendi et ſaepe dicendi.

XXI, 1. *laetus, poſtliminio*) Lang. *uelut poſtliminio*, quod probat Rittershuſius. Paullo ſupra pro *ſuppleuit* habent *compleuit* Moerl. et ambo Gud. *Iaeg.*

XXI, 1. *quidquid infrequens Amb.* etc.) Loca haec habuerit, credo, in mente, cum ſupra dixit, barbaros prouincialibus ad obſequium diſtributos, donec ad deſtinatos ſibi ducerentur cultus ſolitudinum. L.

XXI, 1. *baro cultore reuir.*) Sudatum doctiſſimo Pithoeo in hoc *baro*, aduerſar. ſubſeciuor. I. c. 8. uiſumque *uario* aut *Ambarro* reſcribere: fruſtra et irrito ſucceſſu: nam perſpicue probum *barbaro*, ut eſt in Lang. et Cuſp. Supra, *cultor barbarus laxat annonam.* Impedita quoque in Bert. ſcriptura *reſtababat baro cult.* ſed in qua ueſtigia ſanae lectionis clara et expreſſa, *reſtabat barbaro cult.* quod erudite et Fr. Modius uidit. Infra mox *ciuitas Aeduorum* indubie Auguſtodunum eſt, a Conſtantii beneficiis, quae hic commemorat, *Flauia* transnominatum. L.

XXI, 2. *redundabant*) Gud. II. *abundabant. Iaeg.*

V.

V.

INCERTI PANEGYRICVS MAXIMIANO ET CONSTANTINO DICTVS.

VITA
FL. VAL. CONSTANTINI MAGNI
AVCTORE IAC. DE LA BAVNE.

An. V. C. 1025. *Christi* 272. *Aurel. Aug.* 3.

Flauius Valerius Constantinus, cognomento Magnus, Constantii Chlori et Iuliae Helenae filius, Claudii Aug. ex Claudia, Crispi, eius fratris, filia nepos nascitur 5. Kal. Mart. ut est in Kalendario ueteri apud Bucherium. Iuxta Cedrenum, in Dacia; iuxta Nicetam, Tarsi; iuxta Nicephorum, Drepani in Bithynia; iuxta Firmicum, Constantinum Porphyrogenitum, et Anonymum Valesii, apud Naissum, quae Dardaniae Illyricae urbs primaria est; iuxta alios omnes in Britannia. Quam ultimam opinionem Michael Alfordus, nostrae Societatis, in libro suo *de Lucii, Helenae et Constantini patria et fide,* septuaginta uirorum illustrium tam recentium, quam ueterum auctoritate confirmat. In primis panegyrici 5. c. 4. *liberauit ille* Constantius *Britannias: tu* Constantine *eas nobiles oriendo fecisti;* quod de natali ortu intelligendum liquet ex pan. 6. c. 9. ubi, postquam orator de Constantini auo et parente egisset, cum ordo rerum et series postularet, ut de eius patria diceret, *o fortunata,* inquit, *et nunc omnibus beatior terris Britannia, quae Constantinum Caesarem prima uidisti!* Et mox: *Dii boni! quid hoc est, quod semper ex aliquo supremo fine mundi noua deum numina uniuerso orbi colenda descendunt? Sic Mercurius a Nilo . . . . sic Liber ab Indis, etc.* Atqui de utriusque dei natali ortu hic agitur.

An. V. C. 1044. *Christi* 291. *Dioclet. imp.* 8. *Maxim. imp.* 7. *Const. aetat.* 19.

Constantinus a patre Constantio Caesare in Gallias proficiscente, siue ut suae fidei obses, siue ut grati erga impe-

ratorem animi sui pignus, siue ut ad imperandi artem institueretur, in Diocletiani aula relinquitur Nicomediae, ut ait *Praxagoras apud Photium*.

An. V. C. 1047. *Christi* 294. *Diocles. imp.* 11. *Maxim. imp.* 10. *Const. aetat.* 22.

Cum Constantinus adhuc adolescens Galerium aduersus Sarmatas cum exercitu missum secutus esset, tam eximia uirtutis suae in eo bello edidit specimina, ut Galerius tam inusitatam adolescentis fortitudinem ueritus, uariis eum periculis obiecerit, ex quibus tamen quam fortiter, tam feliciter sese expediuit. Nam cum paucis militibus in densissimum Sarmatarum agmen immissus, aciem perrumpit, alios sua manu caedit, alios fugat, atque adeo cum eorum duce singulari certamine congressus, ipse uictor hostem catena uinctum, et capillis pertractum ad Galerii pedes adducit. Idem missus, ut profundissimam paludem ad exercitus transitum exploraret, periculo nihil commotus, equum in paludem agit, ac uiam toti exercitui praemonstrat. Demum iussus cum ferocissimo leone in theatro confligere, illico in arenam descendit, et inter spectatorum omnium applausus feram manu comprehendit. *Pan.* 8. *c.* 3. *Zonaras, Praxagoras apud Photium, Anonymus Valesii, Pompon. Laetus*, et apud Tristanum Constantini numus tropaeum dextra tenentis, et sinistra captiuum opprimentis: titulus *fundatori pacis*.

An. V. C. 1048. *Christi* 295. *Dioclet. imp.* 12. *Maxim. imp.* 11. *Const. aetat.* 23.

Confecto Sarmatico bello, subactisque Carpis, cum Constantini fama longe lateque emanasset, Diocletianus eum ad se in Aegyptum euocat, quo eius uirtute ad Alexandriae obsidionem uteretur.

An.

An. V. C. 1051. *Christi* 298. *Dioclet. imp.* 15. *Maxim. imp.* 14. *Const. aetat.* 26.

Constantinus ex Oriente in Italiam a Diocletiano Aug. reducitur. Quo ferme anno Arelate', *inquit Diaconus*, in Gallia ex Mineruina Crispum suscepit, qui, ut e pueritia excessit, a Lactantio Firmiano, Arnobii discipulo, uiro sui temporis facundissimo et integerrimo, ad Christianam religionem, ceterasque uirtutes fuit institutus. Quod autem Mineruinam haud ueram Constantini coniugem fuisse nonnulli dictitant, iam in Constantii uita quaestio profligata est, ubi ethnicis scriptoribus Graecis, unde manarunt huiusmodi opiniones, in primisque Zosimo in iis, quae ad imperatores Christianos spectant, nullam esse habendam fidem obseruaui. Ac praetermissis panegyricorum locis, ubi Constantini continentia tam saepe laudatur, hoc tantum dico, nunquam Crispum una cum ceteris Constantini liberis quasi eorum natu maximum ad imperii spem fuisse educandum, aut ornandum ex Faustae consensu Caesaris dignitate, aut eius mortem ab Helena tantopere deflendam aut uindicandam, si ex legitimo matrimonio natus non fuisset. Mineruinam natione Gallam fuisse probare nititur *Tristanus in Commentar. histor.* ex Ammiani l. 28. ubi Mineruii cuiusdam uiri consularis mentio est: ex Ausonio, apud quem Tiberii Victoris Mineruii, oratorum sui temporis clarissimi, nihilo Quintiliano inferioris, et alterius Alethii Mineruii nomen est, quorum fortasse affinis illa fuerit.

An. V. C. 1057. *Christi* 304. *Constantii Aug.* 1. *Constant. aetat.* 32.

Constantinus, *ut ait Aur. Victor*, hoc anno Caesaris nomine insignitur, fortasse a patre Constantio, ut Africae et

Italiae, quae in diuisione imperii ipsi obtigerant, maiori cum auctoritate praeesset. At cum Galerius Maximinum, cui orientem, et Seuerum, cui Constantini loco Italiam et Africam concesserat, ambos sororis suae filios, Caesares fecisset; Constantinus id aegre ferens, ocyus sibi ex Italia et Seueri ac Galerii manibus fugiendum duxit.

An. V. C. 1058. *Christi* 305. *Const. Aug.* 2. *Constant. aetat.* 33.

Itaque Constantinus *publicis*, ut ait Victor, *iumentis, quaqua iter agebat, ad frustrandos insequentes interfectis*, ad patrem adhuc Geforiaci, ut aiunt *Zonaras*, *et Eumenius*, *Pan. 6, c. 7.* degentem et aduersus Pictos et Caledonas parantem transfretare, accurrit. Quem tamen ad patrem tum tantum peruenisse refert Eusebius, cum is Eboraci morbo correptus a morte propius abesset.

An. V. C. 1059. *Christi* 306. *Const. Aug.* 3. *Constant. aetat.* 34.

Constantinus a Constantio patre moriente, ceteris fratribus alia matre genitis ad imperii successionem praelatus, illo ipso, quo pater obiit, die, nempe 6. Kal. Augusti, a toto exercitu, annitente Eroco, Alamannorum rege, *inquit Victor*, purpura inuitus ornatur. At ille Caesaris appellatione contentus Augusti nomen recusat. Post sepultum Eboraci magno apparatu patrem, eundemque in deorum numerum, ut ex Cambdeni numo patet, relatum, traiecta in Gallias magna exercitus parte, Francos superato Rheno ibi grassantes repente adortus, Ascaricum et Regaisum eorum reges bello captos belluis in amphitheatro dilaniandos obiicit. Illico Bructerorum fines uastat, Cheruscos, Chabionas,

nas, Chamauos fundit, ac totam Germaniam Agrippinenſi ponte facto ad dandos obſides compellit. Interim Conſtantini imagine Romam pro more perlata, Maxentius, Maximiani filius, an priuignus, an gener, indignatus, quod in imperii quoque partem non ueniret, per tumultum a Praetorianis, quos promiſſis corruperat, Auguſtus Romae acclamatur: et occupata partim Africa ac ubique deiectis per ludibrium Conſtantini ſtatuis, omni ſcelerum genere graſſatur.

An. V. C. 1060. *Chriſti* 307. *Conſtantini imp.* 2. *aetat.* 35.

Conſtantino primum conſule Seuerus Caeſar aduerſus Maxentium a Galerio miſſus, militum ſuorum ſcelere deſertus eſt, ipſeque fugiens non Rauennae, ut tradit *Eutropius*, ſed ad tres tabernas, ut *Victor* et *Valeſius* referunt, hoc eſt, in uia Appia 7. ab urbe milliari, a Maxentio interficitur. Qua re audita Galerius Aug. Seueri, Caeſaris ſui, necem ulturus cum exercitu accurrens, ac ſuorum defectionem ſubueritus per legatos Licinium et Probum, ut precibus potius, quam armis mereretur imperium, Maxentium cohortatus primum; cum pugnaturus eſſet, contemtus quoque et a ſuis deſertus in Illyricum fugit: ubi Iulium Licinium Dacia oriundum, ſibi propter probatam in Perſico bello uirtutem coniunctiſſimum, Caeſarem facit, quo in Sardinia relicto, Galerius Sardicam regreditur. Ad tantorum motuum famam Maximianus Herculius e ſuo Lucaniae ſeceſſu purpuram reſumturus Romam aduolarat, ſed is quoque et deluſus a Maxentio, et a ſuis deſertus, Treueros ad Conſtantinum ei moliturus inſidias uenit: a quo perhumaniter acceptus Maximianus, diſſimulato conſilio, Fauſtam filiam ei coniugem dat cum Auguſti nomine, quod Conſtantinus huc usque re-

cuſarat. Hanc patria Byzantinam fuiſſe notat *Iulianus orat.* 1. Ex ea uero, non ex tertia coniuge (quam Zoſimus, Eunapii, hominis ethnici, exſcriptor, ait a Conſtantino interemtam) ſuſcepit heredes imperii Fl. Claudium Conſtantinum natum Arelate 7. Id. Aug. an. Chriſti 312. Fl. Iulium Conſtantium Sirmii in Pannonia 6. Id. Nouemb. an. Chriſti 317. Fl. Iulium Conſtantem an. Chriſti 320. Praeterea Fl. Maximianam Helenam, quae nata an. Chriſti circiter 324. Iuliano Caeſari collocata eſt an. Chr. 355. et Fl. Iuliam Conſtantinam, quae Annibaliano primum, poſtea uero Gallo Caeſari an. Chr. 351. nupſit.

An. V. C. 1061. *Chriſti* 308. *Conſtant. imp.* 3. *aetat.* 36.

Licinius 3. Idus Nouemb. Carnunti ex Caeſare fit Auguſtus, *Chronicon Alexand. Idatius.*

An. V. C. 1063. *Chriſti* 310. *Conſt. imp.* 5. *aetat.* 38.

Conſtantinus Maximiani Herculii inſidiis, ſibi per Fauſtam, eius filiam, coniugem ſuam detectis, Maximianum Arelate primum, ubi iam bis depoſitum tertio uſurparat imperium, atque inde fruſtra tentata effuſis largitionibus militum fide, Maſſiliam fugientem, incredibili celeritate opprimit.

An. V. C. 1064. *Chriſti* 311. *Conſt. imp.* 6. *aetat.* 39.

Conſtantinus huic expeditioni intentus a Rheni limitibus tantisper abſceſſerat. Iamque commouere ſe coeperant Franci et Alamanni; cum eos improuiſo reditu inopinantes comprimit. Quo facto *reliquas*, inquit Euſebius, *orbis partes ſibi ante oculos proponens, tandem ad Britannos traiecit.* Interim Galerius Maximianus conſumtis genitalibus peſtilenti uulnere obiit apud Tarſum Ciliciae: Maximinus

nec

nec Galerii, nec Conſtantini, nec Maxentii conſenſu exſpectato ſemet Auguſtum dicit.

An. V. C. 1065. *Chriſti* 312. *Conſt. imp.* 7. *aetat.* 40.

Dum Maximinus in Oriente, et Maxentius in Africa et Italia, in primisque in urbe perſecutionem in Chriſtianos inſtaurat, Conſtantinus ſecundum conſul Licinio Aug. II. cos. collega, pacatis Gallia et Italia, relictaque ad Rheni praeſidium plus media exercitus parte, urbem a ſaeuiſſima Maxentii tyrannide liberaturus Alpes transgreditur. In itinere: *Cum iam*, inquit Euſebius l. 1. de uit. Conſt. *ſol ad medium coelum aſcendiſſet, die in pomeridianum inclinante, Conſtantinus dixit, ſe crucis ſignum ex lucis ſplendore, in ipſo coelo ſoli imminens manifeſto oculis adſpexiſſe, in eoque inſcriptionem horum uerborum conſignatam:* ἐν τούτῳ νίκα, uel latine, ut affirmat Philoſtorgius, IN HOC VINCE: cuius facti fidem dubiam fore ait idem, qui hoc refert, Euſebius, niſi id ſibi a Conſtantino in familiari colloquio eſſet cum iureiurando confirmatum, *huiusque prodigii*, ut ipſe ait, *ſpectator fuiſſet totus exercitus.* Quod quidem Artemius martyr, uir nobilis, qui tum in eo bello militabat, coram Iuliano Aug. ſibi mortem minitante conteſtatus, Conſtantino, inquit, *contra Maxentium bellum difficillimum ineunti ſignum crucis apparuit in coelo, media die, ſuper ſolem radiis coruſcans, literis ſidereis uictoriam praenuntians; nos enim, qui bello interfuimus, ſignum uidimus, literasque legimus, totusque conſpexit exercitus, multique hodie teſtes exſtant in exercitu tuo.* Quo pertinent haud dubie, quae de prodigiis coeleſtibus Conſtantino uiſis habent non uno in loco Conſtantini panegyrici. Id uero *Nicephorus* contendit in Italia conti-

contigiſſe, *Bucherius in* ſuo *Belgio Romano* Niuomagi, *Aegidius Gelenius* in *libro de magnitudine Colonienſi*, in Zinzich, ad Rheni et Arae confluxum, *Ioan. Morinus* in *hiſtoria Gallica uindicatae in libertatem a Conſtantino Chriſtianae eccleſiae*, inter Auguſtodunum et Ladonam. Contra quos omnes noſter *Petrus Franc. Chiffletius* in ſua *diſſertatione de loco, tempore, et ceteris adiunctis conuerſionis magni Conſtantini ad fidem Chriſtianam*, probat, id inter Danubium et Rhenum contigiſſe haud procul Briſacio, per quod ille Rheno traiecto cum Helena matre et Criſpo filio Veſontionem abiit. Vt ut eſt, Conſtantinum hoc coeleſti oſtento ad Chriſtianam religionem conuerſum multi eruditi opinantur, cum ab eo tempore et perſecutioni modum impoſuerit, et multa Chriſtianorum causa edixerit, Gentilium fana euerterit, demum Nicaenae ſynodo interfuerit. Hac diuini auxilii ſignificatione fretus Conſtantinus Seguſium, Taurinates, Vercellas, Brixiam, Veronam ſtrenuiſſimo Duce Ruricio defenſam, Aquileiam, Placentiam, Mutinam et omnem cis Padum Italiam recuperat, ac denique ipſum Maxentium trans pontem Miluium ad Saxa rubra 7. ab urbe milliari, cum ducentis mille militibus, quorum octoginta, ut inquit *Zoſimus*, Romani eſſent, occurrentem funditus delet, Kal. Octob. inquit *Onufrius*. Ipſe Maxentius ponte propter nimiam fugientium multitudinem fatiſcente, Tiberi, pridie quam ſeptimum tyrannidis annum inchoaret, demerſus eſt Poſtridie uero ipſius corpus ex aquis ſublatum, caputque per Italiam et Africam ad ludibrium circumlatum eſt. Sic Conſtantinus uictor Vrbem ſolenni cum pompa ac gratulatione et fauſtis Senatus populique Romani acclamationibus ingreſſus eſt.

Tituli

Tituli ei tanquam *liberatori urbis*, *fundatori quietis*, decreti: ac ſtatua ipſi in foro poſita crucem manu praetendens, Victoriae crucis beneficio partae argumentum. Hinc indictionum origo repetitur.

An. V. C. 1066. *Chriſti* 313. *Conſt. imp.* 8. *aetat.* 41.

Conſtantinus tertium conſul cum Licinio III. cos. rebus omnibus in Vrbe ordinatis inde circa XVI. Kal. Febr. ad exortos interim in Germania tumultus pacandos diſcedit. Prius tamen Mediolani ſororem ſuam Conſtantiam Licinio Aug. nuptum dedit. Ad quas nuptias Diocletianus uocatus, et, quod uenire recuſaſſet, minacibus illorum literis territus, tertio poſt anno uenenum hauſiſſe dicitur. *Aur. Victor.* His nuptiis celebratis Licinius in Illyricum, Conſtantinus in Gallias, ad Rheni ripam conceſſit: Francos tranſitum molientes comprimit, et mox per duces, quos ibi reliquerat, uincit. Maximinus contra Conſtantinum et Licinium Augg. bello ſuſcepto a Licinio ſuperatus, in Aſiam fugit: ubi miſerando mortis genere periit. *Euſeb. Zoſim.* Conſtantinus delatas ad ſe, cum in Galliis eſſet, in Agrippina ciuitate Donatiſtarum in Africa turbantium controuerſias, Melchiadi, Pontifici Romano, dirimendas committit, a quo illi damnantur.

An. V. C. 1067. *Chriſti* 314. *Conſt. imp.* 9. *aetat.* 42.

Iterum Donatiſtae ab Aeliano Africae proconſule XV. Kal. Mart. et ad Kal. Aug. damnantur a Synodo Arelatenſi, cui ipſe Conſtantinus cum ducentis, ut ait *Auguſt. contra Parmen. l.* 1. *c.* 5. uel *ut Ado Viennenſis*, cum trecentis epiſcopis interfuerat.

An.

An. V. C. 1068. *Christi* 315. *Const. imp.* 10. *aetat.* 43.

Cum Constantinus IV. cos. Licinio IV. col. Bassianum, cui cum Italiae administratione Anastasiam sororem coniugem dederat, insidias ipsi molientem morte multassset, et Sinicium eius fratrem, totius sceleris incentorem et architectum, a Licinio, cuius partes sequebatur, repetiisset: negante Licinio, cui iam Constantinus propter deiectas ab eo apud Aemonam statuas suas, uel ut ait *Eusebius*, propter maleuolum illius erga Christianos animum, erat infensus, bellum ei indicit, et primum ad Cibalim (Cibalas alii legunt) Pannoniae oppidum, iuxta paludem Hiulcam nomine, tum Sirmii, tandem in campo Mardiensi Licinianos profligat. *Eutrop. Victor.* At Constantinus summo uictoriae iure uti nolens pacem Licinio ea conditione dedit, ut *ipse Illyrios, omnem Dardaniam, Maesiam, Macedoniam, et ulteriores in Occidentem prouincias; Licinius Thraciam et ulteriora in Orientem retineret, Valens ceu malorum auctor tolleretur.* Zosimus.

An. V. C. 1070. *Christi* 317. *Const. imp.* 12. *aetat.* 45.

Cum Licinium opprimere difficile propter eius potentiam, durum propter affinitatem Constantino uideretur: ad perennem inter se firmandam concordiam, cum Licinio conuenit, ut Crispus tum 15. annorum adolescens, Constantinus paucis ante mensibus Arelate ortus, ac Licinius seu Licinianus, Licinii Aug. Filius, mensium, ut recte ait *Victor*, non annorum, ut *Zosimus* uult, uiginti, Caesares simul fierent: Kal. Martiis, ut referunt *Idatius*, et *Chronicon Alexandrinum*. Quod foedus haud diuturnum fore defectu solis his diebus orto patefactum ait uulgaris *Victor*.

An.

An. V. C. 1071. *Chriſti* 318. *Conſt. imp.* 13. *aetat.* 46.

Conſtantinus Licinio Aug. V. conſuli Criſpum Caeſarem collegam facit.

An. V. C. 1072. *Chriſti* 319. *Conſt. imp.* 14. *aetat.* 47.

Conſtantinus V. conſul Licinio Caeſare collega Sarmatas et Gothos Danubium transgredi auſos profligat, occiſo eorum rege Rauſimodo. Coepta eſt hoc anno Liciniana in Chriſtianos perſecutio.

An. V. C. 1073. *Chriſti* 320. *Conſt. imp.* 15. *aetat.* 48.

Dum Conſtantinus Aug. VI. conſul, Conſtantino Caeſare collega, Sarmatico bello eſſet intentus, interim Criſpus Caeſar, idemque princeps iuuentutis, in Galliis a patre relictus Francos et Alamannos media hieme deleuit.

An. V. C. 1074. *Chriſti* 321. *Conſt. imp.* 16. *aetat.* 49.

Criſpo Caeſare II. et Conſtantino Caeſare II. coſſ. Quinquennalia utriusque, quae in XV. Conſtantini annum incidebant, magna pompa celebrata ſunt.

An. V. C. 1076. *Chriſti* 323. *Conſt. imp.* 18. *aetat.* 51.

Conſtantinum inter et Licinium redintegratur bellum, miſſo in Gallias Conſtantino Caeſare Criſpus inde euocatur, ut cum claſſe Amando, Licinianae claſſis praefecto, opponatur.

An. V. C. 1077. *Chriſti* 324. *Conſt. imp.* 19. *aetat.* 52.

Cum Criſpus et Conſtantinus Caeſares tertium eſſent coſſ. hic Gothos e Thracia, Maeſiaque Martio menſe expulit: ille Amandum, (quem Zoſimus Abantum appellat) Licinianae claſſis praefectum 5. non. Iul. circa Hadrianopolim fudit, qua in pugna duos equites in coelo uiſos aiunt *Cuſpiniani Anonymus*, *et Pomp. Laetus*, qui Licinianas legio-

nes

nes caederent. Mox iterum ad Callipolim, demum ad Chalcedonem 14. Kal. Octob. *Idat. Chronicon Alexand.* Victum Conſtantinus uita donat, deprecante Conſtantia huius uxore, illius ſorore, *Eutrop. Zoſim. Anonym. Valeſii.*

An. V. C. 1078. *Chriſti* 325. *Conſt. imp.* 20. *aetat.* 53.

Hoc anno Licinius, Chriſtianae Religionis hoſtis infenſiſſimus, Theſſalonicae, ubi rupto foedere turbas moliebatur, Conſtantini iuſſu perimitur. *Idat. Euſeb.* cum eſſet octogenarius, inquit *Ionn. Bap. Egnatius.* Eodem anno ſynodus Nicaena contra Arium a 318. patribus celebrata, coeptaque 18. Kal. Iul. et 8. Kal. Sept. terminata. Antequam uero ſynodi Patres dimitterentur, Conſtantini Vicennalia ab iis Nicomediae magna cum pompa edita ſunt.

An. V. C. 1079. *Chriſti* 326. *Conſt. imp.* 21. *aetat.* 54.

Conſtantinus VII. conſul Conſtantio Caeſare collega Criſpum filium 23. aut 24. annorum adoleſcentem, Helenae, ut ex *l.* 9. *cod. Th. de indulgentiis criminum* patet, matrimonio iunctum, a Fauſta nouerca tentati cum ea ſtupri accuſatum, credulus nimium ſupplicio afficit Polae in Iſtria, ut ait *Ammianus*, non Romae, ut uult *Zoſimus.* Cuius necis cauſam ſilentio praetermittit *Euſebius*, incertam fuiſſe tradit *Victor Schotti*, ac *uulgaris Victor* Fauſtae Conſtantini arrogantiae tribuit. Interim Helena ſiue ex dolore nepotis ſui interfecti, ſeu potius ex pietate in Palaeſtinam abit, ubi Chriſti cruce reperta, exſtructisque templis, altero Bethleemi, altero in monte Oliuarum, tandem Romam contendit. Conſtantinus pietatis ſuae monimenta excitaturus Hieroſolymam ſuperioribus bellis paene euerſam inſtaurat, atque erectis templis amplificat.

An.

An. V. C. 1080. *Christi* 327. *Const. imp.* 22. *aetat.* 55.

Constantio Caesare V. consule Constantinus, agnita Faustae, ut ait Philostorgius, libidine et calumnia, in calido eam balneo morte puniri iubet. Crispo uero statuam argenteam dicat auro superfusam, capite aureo, cui titulus, ΗΔΙΚΗΜΕΝΟΣ ΤΙΟΣ ΜΟΥ, *iniuste damnatus filius meus.* Post erectum hoc Crispi innocentiae tropaeum, Helena 15. Kal. Sept. Romae obit, et a Constantino filio magnificentissimis exsequiis in Basilica SS. Martyrum Marcellini et Petri uia Lauicana sepelitur.

An. V. C. 1081. *Christi* 328. *Const. imp.* 23. *aetat.* 56.

Cum Constantinus urbem sui nominis aedificare uellet; primum in Asia in Sardico agro, post ad Sigaeum Troadis, fundamenta iecit, mox mutato consilio Chalcedone opus inchoat, ac tandem Byzantii situm et opportunitatem intuitus, ibi sedem imperii constituere statuit, urbemque totius Orientis et Occidentis spoliis locupletauit. *Cedrenus.*

An. V. C. 1082. *Christi* 329. *Const. imp.* 24. *aetat.* 57.

Constantinus VIII. consul Constantinum Caesarem IV. consulem facit.

An. V. C. 1083. *Christi* 330. *Const. imp.* 25. *aetat.* 58.

Byzantium, a Constantino dicta Constantinopolis, seu noua Roma, Deiparae Virgini V. idus Maias dicatur, feria II. indictione III. *Chronic. Alexandr.*

An. V. C. 1085. *Christi* 332. *Const. imp.* 27. *aetat.* 60.

Constantinus Aug. Gothos, quos non ita pridem a se uictos in fidem acceperat, Sarmatis molestos per Constantinum Caesarem uincit. Centum prope millia ex iis partim inedia, partim frigore periere. Quare illi datis obsidibus, atque

que adeo regis sui Ariarici filio, pacem a Constantino petiere. *Aurel. Victor, et Anonymus Valesii.*

An. V. C. 1086. *Christi* 333. *Const. imp.* 28. *aetat.* 61.

Constantinus Constantem filium 8. Kal. Ian. consulem creat. *Idat.*

An. V. C. 1087. *Christi* 334. *Const. imp.* 29. *aetat.* 62.

Constantinus Sarmatas, a seruis rebellibus de regione sua nefarie pulsos, perhumaniter accipit, eorumque amplius CCC. millia per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque disponit. *Anonymus Valesii.*

An. V. C. 1088. *Christi* 335. *Const. imp.* 30. *aetat.* 63.

Constantinus Constantio fratri consulatum dat. Tricennalia sua edi iubet 8. Kal. Augusti. Dalmatium, Dalmatii, fratris sui, filium, Caesarem facit 14. Kal. Octob. Alteri fratri Annibaliano cum Pontico regno Constantiam filiam coniugem dat. Ac tandem Gallias Constantino Caesari: Orientem Constantio: Africam, Illyricum, et Italiam Constanti: ripam Gothicam Dalmatio tutandam dedit.

An. V. C. 1089. *Christi* 336. *Const. imp.* 31. *aetat.* 64.

Constantinus Constantio filio uxorem dat; quae autem illa fuerit, ignoratur.

An. V. C. 1090. *Christi* 337. *Const. imp.* 32. *aetat.* 65.

Cum Constantinus Saporem Persarum regem, praemisso cum exercitu Constantio et reliquo belli apparatu, territum ad petendam pacem adegisset, ipso die Paschatis morbo correptus, remedii causa Sororopolin ad aquas calidas est egressus, quibus non proficientibus, Helenopolin in Bithynian adiit, ut earum aquarum beneficio uteretur: inde Achironam, Nicomediae suburbanum, se deferri iubet, ubi

partito

partito inter filios imperio, nempe Galliis, Hiſpaniis, Britanniis Conſtantino; Thracia, Aſia, Aegypto, et Oriente Conſtantio: Italia, Africa, et Illyrico Conſtanti pro hereditate relictis, inter omnium adſtantium fletus ipſo die Pentecoſtes 11. Kal. Iunii ſub meridiem deceſſit e uita, anno imperii 32. cum annos aetatis 65. compleſſet. Haec ferme totidem uerbis Euſebius; cui potius quam ceteris credendum reor. Etſi autem Conſtantii Chlori obitum et Conſtantini imperii exordium ad an. 305. pertinere recte, ut mihi uidetur, probat *Petauius de doctrina temporum l.* 11. c. 35. communem tamen aliorum ſententiam ſecutus ſum: quo factum, ut anno aetatis triceſimo quarto primum imperaſſe illum dixerim, cum tamen id anno ante contigiſſe putem, ex Euſebii loco, ubi ait, Conſtantinum, cum adimperium peruenit, totidem annos natum, quot exegit in imperio. Quod ſupereſt, Conſtantinum non ſine ſuſpicione ueneni a fratribus dati ſublatum fuiſſe uolunt *Zonaras, Cedrenus, et Philoſtorgius.* Alii febri illum periiſſe ſcribunt. Eius corpus magna pompa et populorum omnium luctu Conſtantinopolin delatum eſt, iidemque honores ab aulicis ei redditi, donec Conſtantius ex Oriente, aliique eius filii ad ſupremos ei honores reddendos adueniſſent. *Theodoret.* Vtrum Conſtantinus paulo ante mortem baptizatus fuerit, ut teſtantur *poſt Euſebium, Hieronym. in Chronico, Ambroſ. orat. in fun. Theodoſ. Socrates, Theodoret. Sozomenus, Chronicon Alexandr. etc.* an uero paulo ante concilium Nicaenum, ut ex actis Sylueſtri et Theophanis teſtimonio pròbare contendit Baronius, nihil affirmo: tantum dico, neque acta illa Sylueſtri magnae apud uiros doctos auctoritatis eſſe,

neque aufurum unquam fuisse Eusebium in re tam nota cuiquam imponere: praesertim cum id quarto postquam contigisset anno scriberet. Magna ui et animi et corporis fuit, excellentiori specie, statura praestanti, ut ipso adspectu inicceret simul et amorem et admirationem sui. Gestorum bellorum magnitudine et uictoriarum numero praeclarus, in praelio strenuus, clemens in uictoria, in pace administrandae reipublicae peritissimus, bonarum artium parens, eo laudis minus cupidus, quo dignior, ubique magnificus, liberalis, aduersus bonos mitis, in seditionum fautores, qualescunque illi forent, usque ad notam crudelitatis seuerus, integritate uitae, castimonia, temperantia, ceterisque christianis uirtutibus insignis, catholicae uero fidei studio eo praedicandus magis, quod religionis Christianae, quam imperatorum Romanorum primus susceperat, uindex acerrimus exstiterit, dum ipsi sacrorum antistites uehementer inter se dissiderent.

DE AVCTORE HVIVS PANEGYRICI, ET QVO LOCO AC TEMPORE HABITVS SIT.

Panegyricus iſte, ut legenti ſtatim liquet, in celebritate nuptiarum Conſtantini et Fauſtae, Maximiani filiae, pronuntiatus eſt, anno Chriſti 307. cum Maximianus e Lucaniae ſeceſſu ad reſumendum, quod aegre dimiſerat, imperium, et ſtruendas Conſtantino inſidias Treueros, ubi is erat, acceſſiſſet, ibique Fauſtam coniugem ſimul cum Auguſti nomine acciperet Conſtantinus. Auctor incertus eſt. Hunc Aeduum fuiſſe putat Sigonius: ſed quo argumento nitatur, haud apparet.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Cum pro more celebrandae ſint orationi Conſtantini iam Auguſti cum Fauſta, Maximiani filia, nuptiae, tum praecipue totius reipublicae nomine id a ſe fieri dicit oportere, qui hac praeſenti laetitia perfruatur.*

DISTRIBVTIO *uidetur eſſe* I. *De Conſtantini* II. *De Maximiani laudibus*, c. 2.

I. PARS. *Quid Maximianum mouerit, ut hunc iam iure adoptionis nepotem, Maieſtatis ordine filium, etiam generum eſſe uellet. Nimirum quod patrem Conſtantium non ſpecie modo, ſed continentia, fortitudine, iuſtitia, prudentia repraeſentaret*, c. 3. *Huius comparationis ſingula capita perſequitur* c. 4. *Quod Caeſaris appellatione contentus exſpectare maluiſſet, ut ab eodem, quo pater ſuus, declararetur Auguſtus*, c. 5. *Quod iam dudum hunc ſibi generum deſtinaſſet, cum in Aquileienſi palatio tabulam exhiberi iuſſerat, in qua Fauſta Conſtantino adhuc puero galeum offerebat*, c. 6.

II. PARS. *Tranſit ad Maximianum, quem laudat, quod Gallias pacarit, quod Romana ſigna trans Rhenum barbaris gentibus intulerit, quod in Mauritania Quinquegentanas nationes domuerit, quod poſt tot tantasque victorias Romae triumpharit*, c. 8. *Ingenioſe conqueritur, quod reipublicae curam ad tempus depoſuerit*, c. 9.

IN FINE. *Compellat utrumque imperatorem, ex quorum noua affinitate nihil non ſperandum dicit; ſic enim fundandum deinceps imperium uirtute iuuenis et maturitate ſenioris*, c. 13. *Conuertit orationem ad Conſtantium caelo fruentem, quo adempto adhuc ſuperſit et Maximiano filius, nec Conſtantino pater deſit; denique multam ſobolem Conſtantino precatur*, c. 14.

V. IN-

V.

INCERTI PANEGYRICVS MAXIMIANO ET CONSTANTINO.

Dixerint licet plurimi, multique dicturi ſint ea, quibus omnia facta ueſtra, ſummarumque uirtutum merita laudantur, ſacratiſſimi Principes, Maximiane, uelis, nólis, ſemper Auguſte, et Conſtantine, oriens imperator: mihi tamen certum eſt, ea praecipue iſto ſermone complecti, quae ſunt huius propria laetitiae, qua tibi Caeſari additum nomen imperii, et iſtarum caeleſtium nuptiarum feſta celebrantur. Cetera enim in rem 2
publicam beneficia ueſtra poſſunt multis occaſionibus diuerſorum temporum praedicari: huic uoto propria nunc debetur oratio, quod ſemel factum

I, 1. *Maximiane, uelis, nolis*) Maximianus Herculeus eſt, qui iam cum Diocletiano ſe imperio abdicauerat. Quod licet inuitus feciſſet, ſimulauit tamen, ſponte, aut in Diocletiani gratiam ſe abdicaſſe. Quo uerba *uelis, nolis* reſpiciunt, quaſi et titulis *imperatoris* et *auguſti* maluiſſet abſtinere, ſi per populum, cui ante praefuerat, liceret. C.

I, 1. *Caeſari additum nomen imperii*) hoc eſt, nomen *Imperatoris Auguſti*, quo et ante. Conſtantinus potuiſſet uti, ſuffectus in locum patris auguſti: abſtinuit tamen, dum a ſeniore auguſto, quod his nuptiis factum eſt, ſibi conferretur. v. infra. c. 5. *Id.*

I, 2. *huic uoto*) Videtur auctor hanc orationem *Votum* inſcriptam uoluiſſe. Nam c. 13. *ſicut huic uoto congruit*, i. e. huic orationi meae. Sic enim, quia imperatores inſtar deorum colebant, et, quidquid ad eos pertinebat, ſacrum erat, non mirum, ſi *votum* appellat orationem, quam ipſi fortaſſe promiſerat. Infra c. 7. *Ita dicam, ut uerita tas meae erga te deuotionis apparear.* B.

Haec

3 ctum futurum est sempiternum. Equidem scio, gaudentium studia nunc ita toto orbe florescere, quacumque Fama, ultra naturam, qua fingitur discursus uolucres mutuata, et plus quam mille uocibus sonora, percrebuit, ut omnium nationum
4 gratulationibus consecretur. (Quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem, quam quod pristinae uestrae concordiae, perpetuaeque pietati hoc quoque pignus accessit, summorum nominum arctissima coniunctione uenerabile, ut imperatori
5 filiam collocauerit imperator?) Sed tamen nos oportet omnes homines exsultatione superare, qui hoc tantum rei publicae bonum praesentes intuemur, et ipsa uultuum uestrorum contemplatione sentimus, ita conuenisse uos, ita non dexteras

Haec interpretatio, quam, probante etiam Grutero, protulit Puteanus et Petrus Daniel, et suam fecit Baunius, quo modo uera esse queat, non uideo. Si *uotum* est *oratio*, sequitur, ut *huic orationi propria nunc debeatur oratio*; quod sane quam ineptum est. Deinde *oratio semel facta futura est sempiterna*. Quid hoc sibi uelit, nescio. Equidem *uotum* h. l. *nuptias*, ut saepe in libris Iurisconsultorum, significare puto. Sic infra c. 7, 1. *diu frueueris exspectatione uoti, quod hac coniunctione firmasti.* Ineg. 1, 3. *quacumque fama— percrebuit*) Videtur uocula una deesse, *fama ultra naturam uelox*; aut etiam una item abundare, *fama, ultra quam fingitur, discursus uolucres mutuata*. Sed quid est *mutuata discursus*? *sortita* sententia requirit; nec id ego tamen repono; ac plane nec addo, nec demo, nec permuto quidquam, nisi quod ita repono: *quacumque fama, ultra naturam, qua fingitur discursu uolucris, incitata, etc.* Innuit, famam solito et celeriorem et uelociorem. A. Emendationem hanc Acidalii probat quoque Baunius. Sed minus necessaria est.

ras tantum, sed etiam omnes sensus uestros mentesque iunxisse, ut, si fieri possit, transire inuicem in pectora uestra cupiatis.

II. Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti? cum hac affinitate uestra et tibi, Maximiane, per generum iuuenta renouata sit, et tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accreuerit. Maximas itaque uobis, aeterni Principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis, optandisque nepotibus seriem uestri generis propagando omnibus in futurum saeculis prouidetis, ut Romana res, olim diuersis regentium moribus, fatisque iactata, tandem perpetuis domus uestrae radicibus coalescat, tamque sit immortale illius imperium,

X 5 quam

est. Offendisse uidetur uirum uox *mutuata*; quae tamen idem fere, quod *sortita*, interdum significat. Cic. Tusc. Quaest. 2, 18. in f. *a uiris uirtus nomen est mutuata.* Ceterum de natura Famae uide, si lubet, Virg. Aen. 4, 174 seqq. et e recentioribus, Virgilio hac parte non inferiorem, Voltaerium, Henriciad. l. 8. in f. *Iaeg.*

I, 5. *sed etiam omnes sensus — iunxisse,*) Vox *omnes* deest in codd. Liv. Bert. et Moerl. Pro *iunxisse* Rh. St. et Liv. perperam *uinxisse*, sollemni permutatione, qualis et infra c. 4. n. 2. ubi pro *uinxisti* Rhen. Steph. Cusp. Liv. *iunxisti*; Cod. Moerl. utroque loco ueram exhibet scripturam. cf. dicta ad Mamert. paneg. I. c. 6, 3. *Id.*

II, 2. *prorogando*) Cod. Put. et Moerl. *propagando*; quam lectionem iure probare uidetur Baunius et confirmare iis, quae s. 5. h. cap. leguntur: *qui imperatoria stirpe rem publicam propagatis. Ernesti* Cl. Cic. v. *prorogare. Id.*

II, 2. *coalescat*) Liuineius in suo codice et Bertinensi testatur legi *conualescat*; idem quoque exhibet Moerlanus et Gud. Vtrumque de plantis usurpari solitum translationi, quae est in uoce *radicibus*, aptum est et conueniens. Liuineius retinendum censet *coalescat*, et tuetur uerbis ex c. 13. h. pan. ad-

3 quam sempiterna suboles imperatorum. Haec est
uera pietas, haec uoluptas conseruandi generis
humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia
studiosius expetenda, et liberos educandos, ut
substituendis successionibus singulorum nihil obsit,
unumquemque esse mortalem, cum immortalis
4 sit omnium posteritate res publica. Quare, si le-
ges hae, quae mulcta caelibes notauerunt, pa-
rentes

adscriptis: *Perpetuis profecto affinitas ista coalescat stirpibus.* *Id.*

II, 3. *uoluptas conseru.*) Melius Acidalius *uoluntas.* B.

II, 3. *substit. succeſſ. sing. — res publica.*) In ed. Rh. Liv. et Steph. legitur: *subst. succeſſ. sing. nihil obsit omnium posteritate res publica.* Acidalius emendat: *nihil absit omnium posteritate rei publicae*; quod hunc in modum explicat: *dum singuli sibi successores substituunt, propagata omnium posteritate, nihil, etsi ipsi decedunt, decedit rei publicae, sed haec uelut integra atque eadem semper est.* Sed in cod. Liuin. Bert. schidis Lang. Cusp. est: *nihil obsit, unumquemque esse mortalem, cum immortalis sit omnium posteritate res publica.* Eamdem lectionem etiam Schonhouius in margine edit. Froben. adscripsit. Cod. Put. Gud. et Moerl. pro *omnium posteritate* exhibet *omni posteritate*: quod etiam in margine ed. Rhen. et Steph. ut uarians lectio reperitur. Pleniorem, certiorem, meliorem que adeo emendationem Acidalii nostram esse lectionem, facile cuiuis patet. Illud *omnium* ante uocem *posteritate*, omissum, nescio qua de causa uel qua auctoritate, a Parisiensibus, Patarolo et Cellario, reuocandum duxi. *Inaug.*

II, 4. *leges hae, quae mulcta caelibes notauerunt.*) Romanis semper magnam coniugiorum fuisse curam satis constat, ideoque iis, qui ad senectutem usque caelibes permansissent, mulcta fuit indicta, quae, Festo teste, *aes uxorium* uocabatur. Quid, quantumue id fuerit, et an etiam ante leges Iulias pendi solitum, non satis constare dicit Torrentius, in Comment. ad L. Iul. et Pap. s. 15. Sed uix potest de ea re dubitari. Plutarch. Camill. pag. 235. ed. H. Steph. Μνημονεύεται δὲ αὐτοῦ τιμητοῦ

rentes praemiis honorarunt, uere dicuntur esse fundamenta rei publicae, quia seminarium iuuentutis et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt: quod huic uestro in rem publicam merito possumus dignum nomen adscribere? qui non plebeio germine, sed

τοῦ ὄντος καλὸν μὲν ἔργον, τὸ τοὺς ἀγάμους, λόγοις τε πειθοντα καὶ ζημίαις ἀπειλοῦντα, συγκαταζεύξαι ταῖς χηρευούσαις γυναιξί. Valer. Max. 2, 9, 1. *Camillus et Postumius censores aera, poenae nomine, eos, qui ad senectutem caelibes peruenerant, in aerarium deferre iusserunt.* Hoc fuisse *aes uxorium* recte uidentur iudicasse Heinecc. Antiquitatt. Rom. 1, 25, 3. et Bachius, Hist. Iurispr. Rom. 2, 2, 15. 11. q.) Quin etiam multo prioribus temporibus tale quid lege cautum fuisse (quod negare uidetur Lipsius Exc. C. ad l. 3. Annal. Taciti,) suspicari licet ex iis, quae tradit Dionys. Halicarnass. l. 9. p. 580. ed. Sylb. Impugnat scilicet uulgatam de unico puero gentis Fabiae superstite narrationem, usus hoc argumento, quod omnes Fabios, ad Cremeram profectos, fuisse ἀτέκνους τε καὶ ἀγάμους ἀδύνατον ἦν. ὁ γὰρ ἀρχαῖος αὐτῶν νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τοὺς ἐν ἡλικίᾳ, καὶ τὰ γεννώμενα ἅπαντα ἐκτρέφειν· οὐκ ἂν οὖν εἰς δήπου κατέλυσαν οἱ φαβιοι μόνοι, πεφυλαγμένον ἀχρι τῆς ἑαυτῶν ἡλικίας ὑπὸ τῶν πατέρων. De praemiis parentum, v. *Cellar.* ad Plin. ep. 7, 16, 2. *Heinecc.* supra cit. l. *Bach.* Hist. Iurispr. R. 3, 1, 7. et ab hoc indicatos n. r.) Iurisconsultos, qui L. Iuliam et Papiam Poppaeam commentariis illustrarunt. *Id.*

II, 4. *quasi fontem humani corporis*) Sincerum hoc non negem. Leuiter suspicor tamen: *quia seminarium iuuentutis, quasi fundum huius magni corporis, semper* etc. Videtur enim appellationem fundamenti originatione uocis explicare uelle. A.

Exsculpebam olim *humani roboris*, neque dum poenitet. G.

sed imperatoria stirpe rem publicam propagatis, ut, quod millesimo anno post Vrbem conditam euenisse tandem gratulabamur, ne mutatoria per nouas familias communis salutis gubernacula traderentur, idem omnibus duret aetatibus, imperatores semper Herculei.

III. Quem-

II, 5. *non plebeio germine, sed imperatoria stirpe remp. propagatis*) Cusp. et Steph. *non plebeia germine, sed imperatoria stirpe etc.* Cod. Moerl. cum Gud. *non plebeia germina, sed imperatoriam stirpem rei publicae prop.* Eamdem hanc lectionem in cod. Pith. inuenit et probauit Cl. Puteanus. Sed potest recepta locum suum utcumque tueri. *Iaeg.*

II, 5. *millesimo anno — gratulabamur*) At enim uero in Consulatum incidit M. Iulii Philippi tertium et Phil. filii secundum; eoque ex S. C. factiludi saeculares noni. Et incertus in Constant. A. de Maxentio, Herculei filio, *mille*, ait, *et sexaginta annis contractas ex toto orbe diuitias monstrum illud redemtis ad ciuile latrocinium manibus ingesserat.* Non est ergo hic liquidus et circumscriptus numerus, sed leuiter et rotunde, ut ita loquar, initus. L.

Sub duobus Philippis, cum filius patri successit. B.

Numerus rotundus et certior maior pro incerto. Hoc uult dicere: ante millesimum urbis annum et paullo ultra ex uariis gentibus Romam principes habuisse, Hispanos, Afros, Thracas, Gallos, Arabes, Illyrios: nunc Constantini nuptiis futurum, in una ut domo coalescente successio principalis maneat. C.

II, 5. *id est, omnibus duret — semper Herculei.*) In ueteri cod. meo et Bertin. reperio *id ex omnibus*, in Cusp. *id est hoc omnibus.* Quis uerum neget, quod exiculissimus, *id est, ex hoc omnibus?* L.

Sic priores editiones omnes. Nam ultima Liuin. *durent*, meo animo, minus recte, eiusque adornator frustra diuerit ad coniecturas. Omnia enim belle cohaerebunt, si legatur, *idem omnibus duret aetatibus, Imperatores semper Herculei.* Nihil utilgatius in libris, quam *idem* degenerare in *id est*, et contra. G.

Ianus Gruterus: *idem omnibus.* Recte *est* delet, quisquis hoc ad marginem, ut puto, Rhenanus, annotauit. Sed et ante ista lege: *gratulamur* et *tradantur.* Rotundum

III. Quemnam igitur utriuſque ueſtrum praeconii ac uenerationis ordinem faciam? adhuc enim de amborum in hanc neceſſitudinem congruentibus uotis communiter dixi. Et te quidem ſentio, ſenior Auguſte, maieſtate praecedere, te ſequi, iunior Imperator. Sed profecto, ſicut tuo, Conſtantine, ſocero ante eſt conciliata diuinitas, quam ab eo pignus ipſi cariſſimum

tundum annorum numerum ponit, non plane exactum. Videntur enim aliquanto plures iam fuiſſe anni, quam mille. A.

Lectionem Cod. Liv. et Bert. *id ex* habet quoque Put. Gud. et Moerl. Emendationem Gruteri *id eſt* mutantis in *idem* protulit etiam Putcanus. Schonhouius in margine ed. Rhen. annotauit, poſt uocem *traderentur; hoc omnibus.* Poſſit fortaſſe iungi *idem hoc.* Vulgatum *id eſt* locum hic habere non poſſe facile patet. Auſus ſum itaque cum Put. Grut. et Par. reponere *idem;* licet clauſula ſententiae *imperatores ſemper Herculei* cum antecedentibus uerbis non ſatis belle cohaerere uideatur. Sed in hisce ſcriptoribus non omnia ad ſeueram dicendi legem eſſe exigenda, conſtat. Ceterum minus neceſſarium puto, cum Acidalio in proxime antecedentibus legere *gratulamur* et *tradantur.* Poteſt orator cum relatione ad futuras aetates imperfecto, ut uocant, tempore h. l. pro praeſenti uti. Veram enim eſſe uirorum doctorum ſententiam de numero milliario craſſius capiendo dubium non eſt; nec audiendus Baunius, qui ſtricte interpretatur de tempore Philipporum, quo filium patri ſucceſſiſſe dicit. Nam id non milleſimo demum poſt urbem conditam anno, ſed antea ſaepius, euenit, ut filius patri ſuccederet in imperio: ut taceam, Philippum iuniorem perbreui tempore patri fuiſſe ſuperſtitem. v. Aurel. Vict. de Caeſ. 28, 10. Nec expeditior erit ratio, ſi, non tam de ſucceſſione, quam conſortio imperii, in quod Philippus filius a patre, ipſo illo milleſimo urbis anno, adſumtus fuit, hic auctorem loqui, ponas. Nam talis conſortii exempla ante iſtud Philipporum tempus icidem ſuppetunt, ut nemo ignorat. *Iaeg.*

2

III, 2. *ante eſt conciliata diuinitas — poſtulares*) Hoc eſt, ante imperium receperat

ac

mum poſtulares; ſic et nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda ſunt, quae in te conſiderans tantus iſte et paterni et tui auctor imperii laetatus eſt, quod petiſti. O diuinum
3 tuum, Maximiane, iudicium, qui hunc tibi iure adoptio-

ac priuatus eſſe deſierat, ut pares inuicem eſſetis, tu Caeſar, ille Auguſtus. Sed e Bert. notatur: *ante te conciliata ciuitas*, quod non uideo, qui excuſem. L.

Lege *conſilium*, quo uerbo et Horatius et Tacitus utuntur. Sed nec dum ſtatuo, an pariter legendum *ſicut cum tuo*; an *ſicut in tuo*; an denique *ſicut tui, Conſtant. ſoceri.* Omnia quidem haec apta ſententiae ſunt. In fine credo legendum *et paterni et tui auctor imperii.* Paterni, quia Conſtantinus Maximiano maieſtatis ordine filius: tui, quia idem eidem adoptionis iure nepos, ut ſtatim ſubiungitur. Tamen uulgatum *tui* etiam poteſt defendi. Ego autem hoc meum multo et elegantius et acutius malo. A.

Non quaeritur, quid Acidalio uel cuilibet alii elegantius et acutius uideatur; ſed quid auctor ſcripſerit. Itaque redonamus illi uoces, quas praeter neceſſitatem et inuitis omnibus libris conatur obtrudere. Pro *quam ab eo* cod. Gud. et Rhen. Steph. *quum*, Cuſp. Liuin. *cum*, itemque Put. et Moerl. qui etiam, pro *poſtulares*, quod ceteri exhibent, *poſtulaſti* praeferunt. Sed iure, meritoque illud *quam*, in Langianis ſchidis, Liuineio teſte, repertum melius eſſe iudicant P. Daniel, Bongarſius, Puteanus, Gruterus, et receperunt Pariſienſes et Pat. cum Cellario. In ſequentibus pro *ſic et nunc* cod. Liv. habet *ita nunc. Iaeg.*

III, 2. *paterni et tui auctor imperii*) nam Conſtantius, Conſtantini pater, Theodoram, Maximiani priuignam, duxit uxorem, v. Euſeb. in Chron. Eutrop. et alios. Alii ſcribunt fuiſſe filiam Maximiani Herculei. v. Zonar. *Pat.*

III, 2. *laetatus eſt, quod petiſti.*) Non de nihilo ſuſpicatur Bongarſius, legi poſſe, *largitus eſt.* G.

Legi ſic poſſe, non nego. Sed non ſic debere legi, melioremque multo uulgatam eſſe ſcripturam, cuiuis, puto, manifeſtum eſt. *Iaeg.*

adoptionis nepotem, maieſtatis ordine filium, etiam generum eſſe uoluiſti! Diui, inquam, Conſtantii filium, in quem ſe prima illius iuuenta transfudit, in cuius ore caeleſtes illius uultus natura ſignauit, qui adſpectum illius, ad deorum concilia translati, adhuc deſiderantibus nobis ſufficit pro duobus. Neque enim forma tantum in te patris, Conſtantine, ſed etiam continentia, fortitudo, iuſtitia, prudentia ſeſe uotis gentium praeſentant. 4

IV. Quo enim magis continentiam patris aequare potuiſti, quam quod te ab ipſo fine pueritiae illico matrimonii legibus tradidiſti? ut primo ingreſſu adoleſcentiae formares animum maritalem, nihil de uagis cupiditatibus, nihil de conceſſis aetati uoluptatibus in hoc ſacrum pectus

III, 3. *iure adoptionis nepotem*) Conſtantius, Conſtantini pater, a Maximiano Caeſar factus, eo ipſo etiam, ut ſollemne erat, adoptatus ab eodem fuit, quia Caeſares Auguſtis inſtar filiorum erant. Quo iure Conſtantinus, Conſtantii filius, nepos ſimul factus eſt Maximiani. C.

III, 3. *maieſtatis ordine filium*) quia Conſtantius in locum Maximiani, abdicantis ſe, Auguſtus factus erat, et Conſtantinus Auguſti filius. *Id.*

III, 3. *natura ſignauit*) v. Eumen. Paneg. ſeq. Conſtant. Aug. c. 4, 2. ſqq. *Iaeg.*

IV, 1. *matrimonii legibus*) Mineruinae coniugium, Criſpi matris, haud dubie intelligit, quam Zoſimus 2, 20. παλλακην, *concubinam*, uocat, cuius uero fides in Conſtantini rebus, cui iniquior eſt ſacrorum cauſſa, dudum ſuſpecta cordatioribus fuit. Nam Panegyrico incerti auctoris, c. 4. ad Conſtantinum: *te pudicitia ſoli dicata, Coniugio.* C.

Similiter Claudian. de Laud. Stilich. 2, 74.

Hinc fuit, ut primos in coniuge diſceret ignes;
Ordiriique uirum, non luxuriante iuuenta,
Sed cum lege tori, caſto cum foedere, uellet. *Iaeg.*

ctus admitteres; nouum iam tum miraculum, iuuenis uxorius. Sed, ut res est, mente praesaga omnibus te uerecundiae obseruationibus imbue-
2 bas, talem postea ducturus uxorem. Fortitudinem autem illius iam tum in principiis consecutus es. Multa ille Francorum millia, qui Batauiam, aliasque cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit! Tu iam ab ipsis eorum regibus auspicatus es, simulque et praeterita illorum scelera puniisti, et to-
3 tius gentis lubricam fidem timore uinxisti. Libe-
4 rauit ille Britannias seruitute; Tu etiam nobiles, illic oriendo, fecisti. Plurimas ille barbaras nationes

IV, 2. *ab ipsis eorum regibus*) Francorum reges Ascaricum et Regaisum cepit Constantinus, et bestiis in spectaculo propter perfidiam obiecit. Nomina et regum et gentis Eumenius Paneg. Constant. huic dicto c. 11, 6. prodidit: historiam etiam Eutropius 10, 2. qui Francis et Alamanis hanc cladem simul tribuit. C.

In uerbis antecedentibus τὸ *cepit* Rhen. Cusp. Steph. Liuin. omittunt. In sequentibus pro *praeterita* Mſ. Moerl. *postea*: pro *timore uinxisti*, ut est in Bert. Lang. Moerl. habent Cusp. Rhen. Steph. Liuin. sollemni permutatione, *iunxisti*; denique loco τοῦ *uictoria domuit* Mſ. Moerl. et Gud. *uictor edomuit*, quod tamen, ob sequens *uenia mitigauit*, recepta scriptura deterius h. l. esse iudico. *Iaeg.*

IV, 4. *illic oriendo*) Constantinus non natus est in Britannia, sed ibi Caesar factus aut patris successor. Natalem imperii, non uitae designat. Eumenius, dicto Paneg. c. 9. *O fortunata Britannia, quae Constantinum Caesarem prima uidisti*, h. e. tamquam Caesarem. C.

Ita hunc locum explanandum esse, iam uidit *Petav.* Not. ad Iuliani Orat. I. pag. 467. ed. Flex. Nobilis est de patria Constantini M. controuersia. Pomponius Laetus, Baronius, Baunius, aliique in Britannia natum fuisse, ex h. l. et allegato iam a Cellario Eumenii c. 9. colligunt. Sed meliora docet Lipsius, de

Magnit.

tiones uictoria domuit, uenia mitigauit; Tibi cunctis hostibus alacritatis tuae terrore compressis interim deest materia uincendi.

V. Iustitiam uero patris atque pietatem sic imitaris et sequeris, ut omnibus ad te confugientibus, diuersamque opem aut contra aliorum iniurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris uidearis exsoluere; idque ipsum coram gaudeas praedicari, quidquid tu iuste ac liberaliter feceris, filium Constantii necessario praestitisse. Nam quid ego de prudentia a dicam, qua te paene credimus fore ipso patre potiorem? qui ueteres illos Romanae rei publicae principes, superiorem Africanum, Pompeiumque Magnum, aetatis cursum uirtute praeuectos, tam mature sumto uincis imperio, tantarumque

Y rerum

Magnit. Rom. l. 4, c. 11. in t. 3. opp. p. m. 470. et 475. cui adde *Io. Vogt schediasma historicum de Patria Constant. M.* Vitemb. 1716. 4to. *Iaeg.*

V, 1. *quasi legata patris uid. exsoluere, idque ipsum coram gaudeas — praestitisse.*) Rem a patre moriente demandatam expedire. C.

Loco τοῦ *praestitisse*, Cusp. Rhen. Steph. Liuin. et cod. Moerl. cum Gud. exhibent *praestitisti*. Illud, notante Liuineio, est in sch. Lang. et receptum fuit a Paris. Pat. et Cellario. Acidalius coniicit, legendum esse: *idque ipsum coram sic gaudeas praedicari: Quidquid tu iuste ac liber.* Vt μίμησις sit eorum, qui beneficium aut ius a Constantino impetrant. Non negat tamen, posse quoque auctorem ex sua persona loqui. Quod uero addit, *filius* deinceps certo scribendum esse, non *filium*, (sc. quia filius, ideo necessario legata patris exsoluit,) id non adeo certum mihi uidetur. Nam istud *praestitisti* potest etiam significare *ostendisti* uel *exhibuisti* te tamquam filium Constantii. Alia ratio est, si legamus *praestitisse*, quod mihi certe h. l. prae altero illo arridet. *Iaeg.*

V, 2. *mature sumto uincis imperio*) Nazar. c. 16. Tu, imp. opt. inito principatu adhuc aeui immaturus, sed iam

3 rerum ſuſtines molem incipiente uirtute. Geſſeris enim multa fortiter licet, multa ſapienter, cum per maximos tribunatus ſtipendia prima conficeres; ſentias neceſſe eſt tantae auſpicia fortunae, Imperator adoleſcens. Quamquam quid ego in te aetatis tuae potius quam grauitatis nomen uſurpo? cuius tanta maturitas eſt, ut, cum tibi pater imperium reliquiſſet, Caeſaris tamen appellatione contentus exſpectare malueris, ut idem te, qui illum, declararet Auguſtum. Siquidem ipſum imperium hoc fore pulchrius iudicabas, ſi id non hereditarium ex ſucceſſione creuiſſes, ſed uirtutibus tuis debitum a ſummo imperatore meruiſſes.

VI. Neque enim dubium, quin tibi mature ſacrum iſtud faſtigium diuinae poteſtatis adſtrueret, qui te iam olim ſibi generum, etiam ante
2 quam petere poſſes, ſponte delegerat. Hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquileienſi palatio,

iam maturus imperio, oſtendiſti, curſum aetatis non exſpectandum in feſtinatione uirtutis. B.

V, 3. *ſtipendia prima*) *Prima* abeſt in ed. Cuſp. uitio. In Rhen. editum *ſtip. patria*, errore e compendio nato. Nam *pria* utrumque eſt, et *patria* et *prima*. L.

V, 3. *ex ſucceſſione creuiſſes.*) Cuſp. uitiose *coepiſſes*, Rhen. Steph. Liuin. Pat. et Mſ. Moerl. cum Gud. *cepiſſes*. Cod. uetus Liuin. et Bert. quos ſequuntur Pariſ. et Cellarius, *creuiſſes*. Recte. Nam *cernere* eſt huic rei proprium uerbum. *Iaeg.*

VI, 2. *imago illa declarat in Aquil. pal. ad ipſum conuiuii poſita adſp.*) Scilicet in triclinio, ubi conuiuium celebratur. Infra enim *iucundiſſimam laetitiae ſedem uocat. Ad adſpectum conuiuii*, i. e. eo loco, unde adſpici a conuiuantibus poſſit. A.

cf. *I. F. Gronou.* ad Tacit. Ann. 12, 57. *Iaeg.*

tio, ad ipſum conuiuii poſita adſpectum, ubi puella iam diuino decore uenerabilis, ſed adhuc impar oneri ſuo, ſuſtinet atque offert tibi etiam tum puero galeam auro, gemmiſque radiantem, et pennis pulchrae alitis eminentem: ut te, quod uix ulla poſſunt habitus ornamenta praeſtare, ſponſale munus faciat pulchriorem. Fortunatus 3
pictor ille, quisquis fuit, et quamuis Apellem ipſum Parrhaſiumque ſcientia uicerit, materia tamen imaginis, quam arte, felicior! Quamquam 4
enim ipſi ferant, difficillimam eſſe praecipuae cuiusque formae imitationem, quia certis ſui notis

VI, 2. *pennis pulchrae alitis eminentem*) Pauonis. Claudian. in VI. Honorii Conſul. v. 575.

— — — gaudet metuens, et pollice monſtrat
Quod picturatas galeae Iunonia criſtas
Ornet auis.

Alii alia conis et criſtis imponebant. Poëtae, et in primis Silius Italicus paſſim. L.

VI, 3. *Apellem, ipſumque Parrhaſium ſcientia uicerit — felicior.*) Gloſſam cenſeo uocem *imaginis*. Forte et ſcribendum: *Apellem ipſum atque Parrhaſium*, uel *Apellem ipſum, ipſumque Parrhaſium*. A.

Non ſine ratione Acidalius de ueritate lectionis uulgatae dubitat: nam, ſi dicas, *Apellem, ipſumque Parrhaſium*, ſequitur, ut Parrhaſius maior Apelle et excellentior habeatur. Verum Plinius, quamquam non parcus in laude Parrhaſio tribuenda, Hiſt. N. 35, 10. ſ. 36. t. 2. p. 695. ed. Hard. *Omnes*, inquit, *prius genitos, futurosque poſtea ſuperauit Apelles.* Cum quo cf. Quinct. Inſt. Or. 12, 10, 4. ſeqq. Meliorem nobis lectionem exhibet Mſ. Moerl. in quo eſt: *Apellem ipſum, Parrhaſiumque*; tametſi ne ſic quidem poſitus uerborum, ſi uelis argutari, ſatis accuratus uidetur. Sed talia ab optimis ſcriptoribus non ſemper ad amuſſim exigun-tur. Ineg.

VI, 4. *praecipue cuiusque formae* etc.) Loco τοῦ *praecipue*, quod in plerisque edd. nec non in Mſ. Moerl. reperi-

cito deformitas exprimatur, similitudo tamen pulchritudinis tam sit ardua, quam rara est pulchritudo: non tantum tamen ille cepit laboris ex ore uestro diuinas species transferendo, quantum uoluptatis hausit cominus uos inspiciendo, intuendo follicite, et curiose ab hilaritate illius aetatis uultus immobiles et serios exigendo, promendo denique amoris uestri tacita praesagia; ut, quod inuicem uobis uerecundia negabat, libere uos in imagine cerneretis.

VII. Sed profecto hoc iam tum, Maximiane, diuina mente praesumseras, hoc, cum ferret aetas, ut rogareris, optaueras, cum tibi in illa iucundissima sede laetitiae harum nuptiarum gaudia

reperitur, Acidalius et Bongarsius, probantibus Gutero et Baunio, ponunt *praecipuae*, i. e. praestantis et eximiae: quod, Cellarii, Patarolique exemplum secutus, recipere eo minus dubitaui, quo certius constat, in libris scriptis nullo saepe discrimine diphthongos et simplices uocales haberi. In sequentibus uerbis aliquid uidetur esse difficultatis; sed si recte rem putes, mutationi uix erit locus. Pro *quia certis — exprimatur* habet Mf. Gud. et Moerl. *quin certis suis notis cito deformitas exprimitur*; quod minus h. l. conuenit. Pro *tamen* Liuineius et Acidal. legi iubent *autem*; quod in textum recepit Patarol: et sane postulat uocem huius significatus series orationis. Sed propterea non est eiiciendum illud *tamen*, quod interdum idem est ac *autem*. Vopisc. Aurel. c. 30. pr. *Ingens tamen strepitus fuit militum etc.* ubi manifesto, *tamen* positum esse pro *autem*, cuiuis locum inspicienti patet. Porro, pro *non tantum tamen ille cepit* etc. exhibet Mf. Moerl. uitiose: *nam tamen ille tantum cepit*. Denique pro *quantum diuinitatis hausit*, ut habent ex editis plerique, praeferunt Cusp. itemque codd. Bert. Gud. Put. Moerl. *quantum uoluptatis*; quod altero illo, uix bene explicabili, planius et melius uisum. *Id.*

VII, 1. *iucundissima sede laetitiae*

dia praedeſtinabas; ut ſimul illam paruulam et
hunc intuendo crefcentem diu fruereris exſpe-
ctatione uoti, quod hae coniunctione firmaſti.
Quid enim competentius, quid prouidentia tua 2
dignius facere potuiſti, quam ut eius filio, quem
tibi pridem et affinitate adſciueras et maieſtate
ſociaueras, nunc ex intimis affectibus traderes
ſummi pignus imperii? Haec eſt tua, Maximiane, 3
inter omnes principes propria largitio. Alii diui- 4
tias, aut honores, aut ipſa etiam imperia, ſed
ſola donarunt; Tu, animo maiore quam ceteri,
pariter indulges et quod pietas tua habet cariſſi-
mum, et quod fortuna praecipuum. Nec tamen 5
miranda iſta in te eſt, Maximiane, animi magni-
tudo, in quem dii immortales tanta congeſſe-
runt et naturae bona et ornamenta fortunae, ut,
quamuis maxima largiaris, ita penes te ſint omnia,
quaſi ea ſolus obtineas. Vt enim ille, qui omnes 6

laetitiae) In eo loco, ubi regnat laetitiae Bacchus dator. Virg. Aen. 1, 738. B.

VII, 2. *affinitate adſciueras*) Cum Theodoram, priignam ſuam, Conſtantio collocauit. *Id.*

VII, 2. *nunc ex intimis adfectibus traderes* etc.) Forte legendum: *nunc et intimos affectus traderes et ſummi pignus imperii.* Affectus ut uocet filiam, quo nomine ſaepe neceſſitudines deſignantur. Et Paneg. Conſt. Conſt. F. *Sed cur tantummodo priuatis tuis affectibus blandiamur,*

quum omnium deorum illa fuerit ſententia. Hoc praedicat auctor, quod, ſicut patrem, ita et filium affinitate pariter et imperii conſortio ſibi iunxerit, ac dederit utrique eodem modo idem, quod et pietas eius cariſſimum et fortuna praecipuum haberet. Quae ſententia non ita plena in uulgato, quod tamen retineri forte poteſt. Ac, ſi retines, nihilo magis aliter uocem *affectibus*, quam dixi, accipies. Ex intimis neceſſitudinibus filiam ei pignus imperii dedit. A.

aquas caelo et terris praebet, Oceanus, ſemper tamen in motibus ſuis totus eſt; ita tu potes imperium, Maximiane, donare, non potes non
7 habere. De quo ego, cum ad id loci uenero, ita dicam, ut fortaſſe quibuſdam uidear audacior; ueritas tamen meae erga te deuotionis appareat.

VIII. Nunc enim ſequitur, ut, quoniam uirtutes tuas, Conſtantine Auguſte, ſocero praedicaui, tu quoque, licet optime ſcias, tamen au-
2 dias, quanti te principis ornet affinitas. Hic eſt, qui nomen, quod accepit a deo, principe generis ſui, dedit uobis, qui, ſe progeniem eſſe Herculis, non adulationibus fabuloſis, ſed aequatis
3 uirtutibus comprobauit. Hic eſt, qui, in ipſo ortu numinis ſui, Gallias, priorum temporum iniuriis efferatas, rei publicae ad obſequium reddidit,
4 ſibi ipſis ad ſalutem. Hic, quod iam falſo traditum de antiquis imperatoribus putabatur, Roma-
na

VII, 7. *De quo ego, cum ad id loci uenero, ita dicam, ut fortaſſe quibusdam uidear audacior; ueritas* etc.) Forte *adulator*. Veritas pro ſinceritate, ut Plinius. Ceterum adhuc dubito, an et *uenerim* ſcribendum; ut *de quo* capias de ipſo Maximiano, quia hactenus de Conſtantino. Non enim peculiare poſtea membrum ſequitur de imperii donatione ſimul et retentione. *Id.*

VIII, 3. *in ipſo ortu numinis ſui*) Simul Maximianus Caeſar factus eſt, Gallias, Carini Caeſaris uexationibus ac ferocia exacerbatas, et rebellionem meditantes, compreſſit. B.

VIII, 4. *quod iam falſo* etc.) Quod de ueteribus imperatoribus, Caeſare, Tiberio, Traiano referebatur, arma eos barbaris ultra Rhenum intuliſſe, Maximiani tempore fabulae loco erat; adeo nihil ſimile uiſum ab his usque temporibus; donec ille omnium primus haec fortitudinis exempla inſtaurauit. *Id.*

na trans Rhenum ſigna primus barbaris gentibus intulit. Huius cum fratre rurſus ac ſaepius expeditionibus domita Germania aut boni conſulit, ut quieſcat, aut laetatur quaſi amica, ſi pareat. Tu 5 6

VIII, 5. *Huius cum fratre*) cum Diocletiano, fratre Maximiani. Plures enim Auguſti ſimul imperantes ſe inuicem *fratres* dixere, quia aequali poteſtate et ueluti collegae erant: Caeſares autem filiorum loco habebant. Sic in Legibus *diui fratres*, pariter Auguſti, M. et L. Antonini. C.

VIII, 6. *boni conſulit, ut quieſcat*) Partim id aequo animo fert, ut pacem habeat: partim gaudet, quae nobis ſubiecta eſt, quaſi ſponte iugum ferat. Mirifice Pacatus amauit hunc panegyricum, ex quo iam unum aut alterum locum paene exſcripſit. C. 22. *Quaecumque natio barbarorum robore, ferocia, numero grauis umquam uobis fuit, aut boni conſulit, ut quieſcat, aut laetatur quaſi amica, ſi ſeruiat.* B.

Ex h. l. Pacati colligitur primum, ueram eſſe hanc, quam exhibemus, ſcripturam, codd. Liuin. Bert. Put. et Moerl. auctoritate munitam, receptamque a Pariſ. Pat. et Cellario; reliqui habent *boni conſulit aut quieſcit*. Quodſi ita legas, τὸ *quieſcere* h. l. a *boni conſulere* parum differt, adeoque non bene particula *aut* disiungi ab eo poteſt; ſed potius τῇ *et* copulandum eſſet cum *boni conſulit*. Deinde, non ſatis accuratam eſſe Baunii interpretationem uideor mihi uidere. Nam τὸ *id* ſine dubio retulit ad *domita*, ut ſenſus ſit: *Germania fert aequo animo, ſe eſſe domitam, nec cogitat de bello redintegrando*; et τὸ μὴ τελικὸς capit, *ut pacem habeat*, i. e. ne denuo armis Romanorum uaſtetur. Haec interpretandi ratio non quadrat ad locum Pacati. In eo enim τὸ *boni conſulit*, i. e. ut Baunius uult, *aequo fert animo*, non habet, quo referatur; nam ad *ut quieſcat* non poſſe referri, me etiam non monente, quilibet facile perſpicit. Itaque et apud Pacatum et apud hunc noſtrum paullo aliter explicem. Quinctil. Inſt. Or. 1, 6, 32. docet, *boni conſulere* eſſe proprie *bonum iudicare*. Senſus igitur hic erit: *Germania aut bonum et ſalutare ſibi iudicat, ut quieſcat, aut laetatur* etc. Nec offendi quisquam debet hoc uſu coniunctionis *ut*; nam ea paneg. 6, 13, 2. ſimiliter fere

ferociſſimos Mauretaniae populos, inacceſſis montium iugis et naturali munitione fidentes, ex-
7 pugnaſti, recepiſti, tranſtuliſti. Te primo ingreſſu tuo tanta laetitia, tanta frequentia populus Romanus excepit, ut, cum te ad Capitolini Iouis gremium uel oculis ferre geſtiret, ſtipatione
8 ſui uix ad portas urbis admitteret. Te rurſus uiceſimo anno imperatorem, octauo conſulem, ita

fere adhibetur: *Pulchrum tibi uidetur, — ut Rhenus — nouo ponte calcetur.* cf. paneg. 8, 16, 1. Poſſit tamen, ne quid diſſimulem, τὸ *boni conſulere* et τὸ *laetari* ad *ſi pareat* uel *ſi ſeruiat* referri. Et tunc *ut quieſcat*, τελικῶς acceptum, et per parentheſin poſitum, ſignificabit, *ut ne rurſum a Romanis ferro uaſtetur.* Sed et haec interpretatio, ſi attente rem conſideraueris, non eadem Bauninae; et prior illa probabilior uidebitur. *Iaeg.*

VIII, 6. *ferociſſimos Maur. pop.*) Quinquegentianos ab Herculeo domitos, Eutropius tradit, 9, 15, ſed incertum, an hi ad Mauretaniam pertinuerint, quos alii Cyrenaicae Pentapolitanos credunt eſſe. Vide, quae ad Eutrop. c. 14. notauimus. C.

Pro *ferociſſimos* Mſ. Moerl. habet *fortiſſimos*; male. *Iaeg.*

VIII, 7. *Te primo ingreſſu*) Tangit triumphum, quem Maximianus cum Diocletiano egit a. Chr. 298. Romam poſt ſubiectos Mauros reuerſus. B.

VIII, 7. *tanta frequentia res publica excepit*) Lege, R. P. uel P. R. i. e. Populus Romanus; quae notae ſaepe ſic peccarunt, et ubique ſcriptorum. A.

Cuſpin. Rhen. Steph. Liuin. habent *res publica*; codd. Liv. Bert. *populus*, Gud. *ppli. Roi.* Put. et Moerl. *populus Romanus*; quod uerum puto. Nam etſi *populus*, (ut Grut. Pariſ. Pat. et Cellar. ediderunt) non alius quam Romanus hic poteſt intelligi, quoniam tamen, ſi non addas *Romanus*, uix ratio inuenietur, qua uoces *res publica* et *populus* inter ſe permutentur, Acidalium rem acu tetigiſſe exiſtimo, adeoque coniecturae eius, auctoritate codicum confirmatae, locum dare non dubitaui. *Iaeg.*

VIII, 7. *Capitolini Iouis gremium*) In quo lauream deponebant uictores, Plin. Paneg. c. 8. C.

VIII, 8. *Te rurſus uiceſimo anno*) Maximianus imperium

ita ipſa amplexu quodam ſuo Roma uoluit detinere, ut uideretur augurari iam et timere quod factum eſt. Eſt enim, Imperator aeterne, in quo uno querelam rei publicae paene meruiſti.

IX. Audi doloris noſtri liberam uocem. Siquidem dii ipſi, quod plerumque humanas res negligant, dum querimur, ignoſcunt, quibus aliud fortaſſe curantibus grandines ruunt, terrae dehiſcunt, urbes hauriuntur. Quae non illis uolentibus ſed aut aliorſum adſpicientibus,

rium cum Diocletiano abdicauit a. Chr. 304. qui erat eius imperii annus nonus poſt decimum; certe quidem, ſi ab eo, quo Caeſar factus eſt, anno computantur. B.

cf. Pagii Diſſ. hypat. p. 157. *Ineg.*

VIII, 8. *quod factum eſt. Eſt enim*) Cod. Moerl. cum Gud. ita habet: *quod factum eſt. Factum eſt enim* etc. Quae repetitio uerborum h. l. ſatis bene conuenit, et uehementiam quamdam orationi conciliat. *Id.*

IX, 1. *Audi doloris noſtri)* Plenus artificii locus, in quo leuitatis notam a Maximiano amolitur. B.

His uocibus Panegyriſtae et ſimilibus credo incitatum Maximianum ad repetendum imperium, quod inuitus poſuerat: quum *aegerrime*, ut Victor ait, Diocletianus illum *in ſententiam traduxiſſet*. C.

IX, 1. *Quae non illis hauriuntur uolentibus, ſed aut aliorſum adſpicientibus* etc.) Dele poſterius *hauriuntur*, importune repetitum. Delendum forte etiam utrumque *aut*. *A.*

Vocabulum *hauriuntur* irrepſit a gloſſa. Nam periodus iſta non ſolum accommodanda ad illud *hauriuntur*; ſed ad *grandines ruunt, terrae dehiſcunt*. G.

Dedit lectionem ita, ut Acidalius et Gruterus uoluere, Patarol, quem ſequimur. Cetero, quemadmodum τὸ *reſpicere*, ut innumeris exemplis liquet, fauorem et auxilium indicat, ita, quando Dii dicuntur oculos auertere et aliorſum adſpicere, neglectus et incuria quaedam ſignificatur. Sic Iupiter Homericus, Il. N. v. 2. ſqq. cum Troas et Hectorem nauibus admouiſſet,

bus, aut fatali rerum cursu urgente uidentur ac-
2 cidere. Tale est, Imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu maerentibus facere uoluisti, non quidem tu rei publicae negligentia, aut laboris fuga, aut desidiae cupiditate ductus, sed consilii olim, ut res est, inter uos placiti constantia, et pietate fraterna; ne, quem totius uitae, summarumque rerum socium semper habuisses, in alicuius facti communitate desereres, neue illius, uiderit quali, certe nouae laudi cederes.
3 Verum longe diuersa in uos erat causa declinandi, aut sustinendi laboris. Quamquam, etsi totam excusationem aetatis adferres, sic quoque
4 tibi rei publicae curis non erat abnuendum. An, si

Τοὺς μὲν ἔα παρὰ τῇσι πόνοντ' ἐχέμεν καὶ οἰζὺν
Νωλεμέως· αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινὼ
Νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων θρῃκῶν καθορώμενος αἶαν,
— — — —
— — — —
Ες Τροίην δ' οὐ πάμπαν ἔτι τρέπεν ὄσσε φαεινὼ.

cf. Virg. Aen. 10, 473. *Iaeg.*

IX, 2. *ne uel illius*) Legi iubet Acidalius *neue illius*; et sic nobiscum exhibet Patarol. *Id.*

IX, 3. *in uos*) Legendum est uel *inter uos*, ut iubet Acidalius et dedit Patarol; uel *uobis*, ut est in Langianis. *Id.*

IX, 3. *non erat abtuendum*) al. *abeundum*, Liv. *addendum*, Steph. *abutendum*; codd. Liuin. Bert. Lang. Put. Moerl. et edd. Cusp. Cell. Pat. *abnuendum*, ad quod proxime accedit notatum a Schonhouio *adnuendum*. Acidalius suspicatur *abstinendum* uel *absistendum*. Idem certum esse putat, priora mutanda, *adferret*, *sic quoque ipsi uel illi*, non *adferres et tibi*. Non enim de Maximiano, ait, ipso haec, sed de fratre eius maiore natu ac seniore capi debent. Verum coniecturis

ſi maximus quiſque natu gubernator uectoribus eſt certiſſimus ad ſalutem, non is eſt optimus, qui uſu peritiſſimus, imperator? aut te umquam, Conſtantine, liberi noſtri, nepoteſque patientur, uel cum ad ſummam peruueneris ſenectutem, rei publicae uela contrahere, quae tam felicibus uentis etiam iuuenis impleueris? Sed tamen utcum- 5
que fas fuerit, eum principem, quem anni cogerent, aut ualetudo deficeret, receptui canere; te uero, in quo adhuc iſtae ſunt integrae, ſolidaeque uires, hic totius corporis uigor, hic imperatorius ardor oculorum, immaturum otium ſperaſſe miramur. Quid enim aliud participi ma- 6
ieſtatis tuae dare potuit ueniam quietis, quam ut tu imperio ſuccederes pro duobus?

X. Sed

ris huiusmodi et emendationibus ſupersedere potuiſſet uir doctus. Cur enim non de Maximiano haec capi debeant, uelim docuiſſet. Diocletianus annum ſextum et quinquageſimum agebat aetatis, cum rei publicae curis abnueret, et biennio modo (at quantillum hoc eſt!) Maximiano erat maior; nullaque adeo inuenitur cauſſa, cur in illum magis, quam hunc, ea conueniant. *Id.*

IX, 4. *gubernator eſt certiſſimus ad ſalutem*) Excidit uerbum, cui quidem adludunt membranacei codices, ſed adludunt tantum; exprimentes nunc *victoris*, nunc *uectoi*. Reponendum enim fide libri, quo uſus Cuſpinianus, *gubernator uectoribus eſt*. G.

Vectoribus legitur etiam in cod. Put. Gud. et Moerl. Secutus itaque has auctoritates eam uocem in textum repoſui. *Iaeg.*

IX, 4. *aut te umquam, Conſtantine, liberi noſtri*) Effertur cum interrogatione, ſed non etiam ſatisfacit. Praepoſuerim Danielis coniecta-neum; *haud te umquam* etc. G.

Conſtantine habent Rhen. Steph. Cuſp. Pat. Ceteri, quos uidi, omnes *Conſtantini*; quod parum conuenit. *Iaeg.*

IX, 6. *quam ut tu imp. ſucced.*) Ex arte dixiſſet, *quam quod*

X. Sed profecto exegit hoc ipſa varietas et natura fortunae, cui nihil mutare licuerat, dum uos imperium teneretis, ut illa uiginti annorum continua felicitas interuallo aliquo diſtingueretur: aut etiam dii immortales probare uoluerunt, tibi innixam ſtetiſſe rem publicam, cum ſine te
2 ſtare non poſſet. Quamquam in iſtis quidem partibus non caruit priſtina firmitate: ibi uero paene funditus corruit, unde tu, Maximiane, diſceſſeras. Adeo illic plurimum habuerat ſtabilitatis adſerta, ubi deſerta maxime uacillauit.
3 Non aliter enim, quam ſolet terra, uentis aut aquis ſubter immiſſis, interuulſa ſui ſoliditate nutare, ita cuncta Italia, atque ipſa Roma, ſubducta repente, qua ſuſtentata fuerat, dextra tua,
4 contremuit ac paene conſedit. Quod ego curſim tranſeo: cur enim uel recordemur aduerſa,
5 cum uideamus, omnia tuo reditu reſtituta? Fecit

quod tu etc. Sed ita locutus et Mamertinus Genethliaco c. 1: *Hoc ipſum mihi maximum dicendi praemium uidebatur, ut dicerem.* L.

X, 2. *in iſtis quidem partibus*) Id eſt, in Galliis, ubi haec oratio dicebatur. Mox *ibi uero*, i. e. in Italia, in qua Maxentius miras turbas excitauit. B.

In ſequentibus pro *illic* Mſ. Moerl. habet *his*; quod minus aptum eſſe h. l. facile patet. *Iaeg.*

X, 3. *paene conſedit.*) *Conſidere* eſt h. l. *corruere* uel *dehiſcere.* Sic Virgil. Aen. 2, 624.

Tum uero omne mihi uiſum conſidere in ignes
Ilium, et ex imo uerti Neptunia Troia.

Metaphorice Cicero, Orat. pro Mur. c. 8. in f. *Conſedit utriusque nomen in quaeſtura. Nullum enim uobis ſors campum dedit, in quo excurrere uirtus, cognoſcique poſſet.* Eadem ſignificatione uſurpatur etiam *deſidere.* Liuin. 32, 9. *Terra Velitris trium iugerum ſpatio cauerna ingenti deſederat.* Ad quem locum v. Drakenb. *Id.*

cit enim Roma ipſa pro maieſtate nominis ſui, ut oſtenderet, poſſe ſe etiam imperatoribus imperare. Abduxit exercitus ſuos, ac tibi reddidit, et cum ad ſedandos animos auctoritatem priuati principis attuliſſes, ſupplices tibi manus tendens, uel potius queribunda, clamauit:

XI. „Quouſque hoc, Maximiane, patiar, me „quati, te quieſcere, mihi libertatem adimi, te „uſurpare tibi illicitam miſſionem? An, quod 2 „Diuo Auguſto, poſt ſeptuaginta aetatis, quin„quaginta imperii non licuit annos, tam cito li„cuit tibi? Ideone te mihi ille, cuius tot aras, 3 „tot templa, tot nomina colo, Hercules dedit, „ut

X, 5. *imperatoribus imperare.*) Id eſt, Maximiano, cui Roma pro ſuo iure praecipit, ut depoſitum reſumat imperium. Eadem exercitus Maximiano abduxit, cum priuatus in Lucaniam conceſſit, eidemque reddidit, cum aduerſus Maxentium cum copiis progreſſus eſt. *B.*

X, 5. *Abduxit exercitus ſuos ac tibi reddidit*) In Mſ. Moerl. eſt: *Abductus ex*, deinde lacuna, et ſequitur *ac tibi reddidit.* Sic et Gud. qui tamen *ſuos* adhuc habet. *Iaeg.*

X, 5. *ad ſedandos animos*) Praetorianorum, qui tumultum excitarant. v. Eutrop. 10, 2, 3. *L.*

X, 5. *uel potius*) Duas has uoculas Acidalius habet ſuſpectas: non temere. *Iaeg.*

XI, 1. *Quouſque hoc*) pro *hoc*, Mſ. Moerl. habet *haec.* f. 2. in eodem et Gud. pro *an* legitur *at*, f. 3. uerba *tot aras* deſunt. *Id.*

XI, 2. *Diuo Auguſto — non licuit annos*) Obiit enim LXX. et VI. aetatis anno, diebus V. et XXX. minus, ut Suetonius refert, c. 100. Imperauitque cum Antonio et Lepido XII, ſolus XLIV. annos. Vt iam omnino anni ſint imperii eius LVI. *L.*

XI, 3. *tot nomina colo*) Herculem a Romanis uariis cognominibus, ut *Muſagetae*, *Placidi*, *Tricoſi*, *Sanci*, cultum fuiſſe, notius eſt, quam ut hic probandum teſtimoniis eſſe uideatur. *Iaeg.*

„ut tu in ſuburbano otioſus ſedens uſum dicatae
4 „mihi uirtutis amitteres? Redde te gubernaculis
„meis, et quoniam tranquillo mari portum in-
„trare properaſti, uade per fluctus, mei quidem
„amore ſollicitus, ſed tua maieſtate ſecurus. Et
„tamen, per te tibi ſteterit, iniuriam in mei re-
„ſtitutione patieris. Imperaſti pridem rogatus
5 „a fratre, rurſus impera iuſſus a matre.„ O cae-
leſtem, Imperator aeterne, pietatem tuam, quae
tuum illum animum ſemper inuictum ſola uicit.
Non

XI, 3. *in ſuburbano*) in *Lucania*, quo, teſte Eutropio 9, 16, 7. conceſſerat. Sic Florus 2, 2, 15. et 3, 19, 3. *Siciliam* quoque *ſuburbanam populi Rom. prouinciam* appellat. *Id.*

XI, 4. *Et tamen, per te tibi ſteterit, iniur.* etc.) Eutropius 10, 2: *Herculius tamen Maximianus poſt haec in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, ſeditionem et conuicia militum tulit.* Zoſimus, l. 2. hoc addit amplius, dediſſe operam, ut a filio beneuolentiam transferrent, ſed Maxentium eos qua donis, qua precibus ad ſe pellexiſſe. L.

Adde *ſi iniuriam.* Ipſe ſibi cauſſa mali fuerit. Cur enim diſceſſiſſet, ut redire neceſſe haberet. A.

Locus corruptus. Fortaſſe: (haec Puteani coniectura eſt,) *et, tanti, imperator, tibi ſteterit etc.*; nempe rei publ. pacem reddere, ut haec gloria redimenda ſit tibi aliqua iniuria. B.

In margine Mſ. Moerl. notatum eſt, pro *tamen* in aliis legi *cum*. Verum nec hoc difficultatem tollit. Locus eſt obſcurus, ſed corruptum eſſe non ſatis certum uidetur. Poſſit fortaſſe ita explicari: *Sis ſecurus et fretus maieſtate tua. Et tamen (quamuis maieſtate polleas,) iniuriam in mei reſtitutione patieris; quod tu tibi ipſe imputandum habebis, qui ſc. ex imperatorio faſtigio ad priuatae uitae ſtatum remeaſti.* Sed nihil definio. In ſequentibus pro *pridem* habet Mſ. Moerl. et Gud. *quidem*, falſo; ſ. 6. pro *inuitus* habet *inuictus*, quod acutum, ſed non uerum, et ex antecedentibus uidetur repetitum; denique ſ. 7. *ſuſcepit* pro *ſuſcipit*, ut eſt in ceteris. *Interp.*

XI, 4. *rogatus a fratre*) i. e. a Diocletiano; *iuſſus a matre*, i. e. a patria. B.

Non potuisti resistere sanctae illius parentis imperio, et, inuitus licet, paruisti, et te illis uigiliis, illisque curis, quas uiginti annis expertus fueras, reddidisti. Quibusnam tu, domina gentium, potes compensare beneficiis hoc tui imperatoris obsequium? qui tanto usu sciens, quantus sit imperandi labor, propter te non utitur illa, quam degustauerat, uoluptate, tantumque rei publicae onus suscipit post quietem. Facilius fuerat iugiter imperasse: quamuis enim magnum laborem consuetudo non sentit; intermissa desiderant nouas uires. 6 7 8

XII. Quanta opus fuit tibi, Imperator aeterne, prouidentia, quanta auctoritate, ut subsidia rei publicae iacentia erigeres, exanimata recreares,

XII, 1. *subsidia rei publ. erigeres,*) Lege *subsidentia.* Nisi nouam uocem *subsidium* a *subsidere*, tert. coniugat. formauit, non a *subsidere*, secundae; quod non puto. Sunt enim et ipsa participia, non nomina; quae subdit, *exanimata, dilapsa.* A.

Vox *iacentia* post *rei publ.* fuit in Langianis membranis et libro Cuspiniani; ceteri illa destituuntur. Et uero sic quoque locus esse potest integer. Prudenter autem notarum Danieli, *subsidia* heic non uideri significare auxilia, ut uulgo, sed χάσματα, a *subsidendo*, i. e. *debiscendo.* Hoc sane sensu usurpat *subsidere* Liuius. Sed et Iuuenalis Sat. 6. — *mutare urbes, subsidere terras.* Sic et supra habuimus c. 10. *cuncta Italia atque ipsa Roma, subducta repente, qua sustentata fuerat, dextera tua, contremuit ac paene consedit.* Ibi enim ultima illa uox notat χαίνειν. Hactenus Daniel. G.

Si uox *iacentia*, quae etiam in Mss. Moerl. et ed. Cell. et Pataroli comparet, non est exturbanda, (ut certe non uidetur,) nec locum habere emendatio Acidalii, nec uera esse potest interpretatio, quam Gruterus probat, Danielis. *Subsidia reip.* sine dubio hic sunt opes, quibus sustentatur: Nec attinet, nouam huius uocis significationem comminisci. Pataroi recte uertit: *le forze abbattute.* Iacg.

res, dilapſa colligeres? Mirabamur, te poſt impe-
2 rium eſſe priuatum. Multo magis mirum eſt, im-
3 perium ferre poſt otium. Solus hoc, ut dicitur, potuit deus ille, cuius dona ſunt, quod uiuimus et uidemus, ut habenas male creditas, et curſum deuio uectore turbatae tranquillitatis reci-
4 peret, rurſumque dirigeret. Cuius ſimile tu, Imperator, etiam facile feciſti. Neque id mirum. Cum enim a te receſſit imperium, et priuatus licet

XII, 3. *cuius dona ſunt, quod uiuimus et uidemus*) *Dona* legitur in Bertin. Lang. Put. Moerl. et edd. Cuſp. Grut. Pariſ. Pat. et Cellar. ceteri habent *bona*. Vox *uidemus* deeſt in textu Liuineii et exempl. Bert. et Lang. Sed non uidetur omittenda. *Viuere* enim et *uidere* iungi ſollemne eſt. Terent. Eunuch. I, 1, 28. *Viuus, uidensque pereo.* Cicero, pro P. Sextio, c. 27. *Viuus* (*ut aiunt*) *eſt et uidens cum uictu ac ueſtitu ſuo publicatus.* Hoc pari modo in Graecis obſeruatur. Sic Achilles apud Homerum, Il. A. v. 88.

Οὔτις ἐμεῦ ζώοντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

Cf. etiam Interprett. ad Demoſth. pro Cor. p. 183, ed. ill. Harleſii. Praeterea quoque, cum de Phoebo hic ſermo ſit, (fabulam enim Phaethontis tangi in confeſſo eſt,) eo magis neceſſaria uidetur haec uox, quo certius eſt, illius dei donum eſſe, quod uidemus. *Id.*

XII, 3. *curſum deuio uectore turbatae tranquillitatis*) Videtur appoſitum magis, quod libri ſui orae adleuerat Bongarſius, *rectore*. G.

Cuſpin. Rhen. Steph. et Mſſ. Liuin. Gud. ac Moerl. habent: *curſum deuio uectore turbatum*, omiſſa uoce *tranquillitatis*. Malim *currum*. Vulgatam exhibent textus Liuineii, Grut. Pariſ. Pat. et Cell. *Curſus turbatae tranquillitatis* dicitur pro *curſu tranquillitatis turbato*, ut apud Cicer. ad diuerſ. 15, 2, 11, *indicia manifeſtarum inſidiarum* pro indicia *manifeſta* inſidiarum; ad quem locum v. Cort. itemque S. V. Erneſti Excurſ. IX. ad Suet. in fine. *Iaeg.*

XII, 4. *Cum enim a te receſſit imperium, et priuatus licet*

cet dici uelles, inhaesit tibi ingenita maiestas. Omnes exercitus uestri, omnesque prouinciae requiescere te post tanta opera utcumque aequo animo tulerunt, imperare desiisse numquam crediderunt. Quid enim putas, tibi, Maximiane, Iouem ipsum respondisse? cum tu ingenti animo diceres: Recipe, Iupiter, quod commodasti. Hoc profecto respondit: Non mutuum istud tibi tradidi, sed aeternum; non recipio, sed seruo. Statim igitur ut praecipitantem rem publicam refrenasti, et gubernacula fluitantia recepisti, omnibus

 spes

cet dici uelles) Legendum forte: *Numquam enim a te.* Nisi defectus aliquot uerborum est, in hanc sententiam: *Quum enim recederes ab imperio, non a te recessit imperium.* Quod sane elegans: et omitti facile uerba potuerunt, quia eadem paene essent repetenda. Tamen simplicius alterum est. A.

Liuineius suspicatur, pro *licet* legendum esse *scilicet*; sed tunc in antecedentibus melius etiam legeretur *recessisset.* Standum est lectione uulgata, quae in omnibus Mss. et edd. reperitur, nec adeo inepta est, ut coniecturis, ingeniosis licet, sed minus necessariis, cedere debeat. Cogitandum est semper, non ubique ad normam optimorum orationem conformasse horum panegg. auctores. *Iaeg.*

XII, 6. *non recipio, sed seruo*) In Rhen. Steph. et textu Liuin. deest *recipio*; hinc Rhen. in margine notat, legendum forsan *non domino, sed seruo.* Hoc ineptissimum esse iudicat Acidalius, aptiusque reponit: *non redde, sed serua.* Quod tamen ipsum languidum esse fatetur; etsi, uix aliter scriptum ab auctore, paene ipsi fuerit persuasum. Liuineius, a uestigiis scripturae non tam longe recedens, emendat: *non recipio, serua.* Gruterus denique nihil opus esse medicina censet. Seruat enim, inquit, imperium, qui eius ueluti custos est. *Seruare* est custodire ac tueri ab iniuriis. Velleius c. ult. *Iupiter Capitoline; Gradiue Mars, custodite, seruate, protegite hunc statum, hanc pacem.* Haec ille satis probabiliter. *Iaeg.*

8 ſpes ſalutis illuxit. Poſuere uenti, fugere nubes, fluctus reſiderunt. Et ſicubi adhuc in longinquioribus terris aliqua obuerſatur obſcuritas, aut reſiduus undarum pulſus immurmurat, neceſſe eſt tamen, ad tuos nutus dilucesçat, et ſileat.

XIII. Dixi pro ratione temporis, ſacratiſſimi Principes, ea, quae in uobis inuicem, ut facitis, admirari et amare debetis. Reſtat, ut ipſa illa, quae ſeparatim de uirtutibus ueſtris locutus ſum, ſicut huic uoto congruit, in ſermonis fine con-
2 iungam. Dii immortales! quanta Romano imperio

XII, 7. *ſpes ſalutis illuxit*) Quis damnet? ſed et quis non melius fateatur, *dies?* quod ſequentia ualde probant. A.

Vt *ſpes adfulgere*, ita etiam dici poteſt *illuceſcere*. Si huiusmodi emendationibus indulgere uelis, quotusquisque in ueterum ſcriptis locus relinquetur intactus? *Ineg.*

XII, 8. *Poſuere uenti — reſiderunt* etc.) In textu Liuineii eſt *quieuere*; in marg. ed. Rhen. ubi aeque ac in Cod. Liuin. et ed. Cuſp. ceterisque legitur *poſuere*, notatum eſt, *al. compoſuere ſe*. Vtrumque *quieuere et compoſ. ſe* debetur ingenio gloſſatoris. Recte probat τὸ *poſuere* Liuineius. v. Vechner. Hellenolex. p. 61. Heuſ.

Pro *reſiderunt*, ut habet Liuin. Pariſ. Patar. et Cellar. legitur in Mſ. Moerl. Gud. et ed. Rhen. Steph. Cuſp. *reſedérunt*. Verum, cum iudice Heinſio, ad Ov. Met. 7, 76. Burmanno ad Petron. c. 96. Brouckhuſio ad Propert. 3, 7, 37. et Drakenb. ad Sil. 5, 3. praeteritum uerbi *fido* rectius *fidi* formetur, quam *ſedi*, merito illud cenſui retinendum. In ſequentibus loco τοῦ *Etiam ſicubi*, quod ex uet. cod. Liuin. et Bert. arripuere Grut. Pariſ. Pat. et Cellar. reuocaui *Et ſicubi*, quod in reliquis legitur, et uidetur aptius. Denique pro *ante tuos nutus*, ut uulgo habetur, repoſui, probante Liuineio, ſcripturam Lang. confirmatam cod. Put. Gud. et Moerl. *ad tuos nutus*. Sic infra, Nazar. 35, 3. *ad nutum eius*. Mamertin. Iulian. 30, 2. *paene ad lictoris nutum*. Non opus eſt pluribus in re manifeſta. *Id.*

perio renouaſtis, quae iam, ut res eſt, ceſſerant uetuſtati. Maximiano, imperatori aeterno, 3
Conſtantinus, imperator nouus, plus coepit eſſe quam filius. Fauet ille creſcenti, adeſt iſte ſeniori. Perpetuis profecto pietatis ſtirpibus adfi-

XIII, 3. *Fauet ille creſcenti, adeſt iſte ſeniori.*) Cuſpin. Rhen. Steph. Liuin. habent: *Fauor ille creſcentis adeſt, iſte ſenior.* Haec corrupta eſſe facile uidit Gruterus, ingenue faſſus, uirium ſuarum non eſſe, locum tam male habitum ſarcire. Et profecto ſine librorum ope fruſtra talibus medicina paratur. Acidalius certe, quamuis miris modis ſe torqueat, nihil tamen extricat. Conſulamus libros. Primum pro *fauor* Bert. et cod. Liuin. habent *fauet*; et pro *creſcentis* idem Liuin. cod. *creſtenti.* Deinde, his poſitis, pronum fuit Liuineio coniicere, pro *ſenior* legendum eſſe *ſeniori*; haec uero ipſiſſima eſt ſcriptura codd. Gud. Put. et Moerl. niſi quod ille corrupte habet *faueat* pro *fauet.* Satis firmis itaque, opinor, praeſidiis nititur haec lectio, quam Baunius, Patar. et Cellarius receperunt. *Id.*

XIII, 3. *Perpetuis profecto adfinitas iſta coaleſcat ſtirpibus*) Cuſp. et Liv. et Pariſ. prior: *perpetuis prof. pietatibus affinitas iſta coaleſc. ſtirpibus.* Acidalius haec ita corrigit: *perpetuis profecto, perpetuis affinitas iſta coaleſcet ſtirp.* Vel potius: *perpetuis profecto pietas et affinitas iſta coal. ſtirp.* Vt utrumque iungat, pietatemque dicat, quae inter patrem et filium eſt, caritatem. Cui opinioni fauet, quod ſtatim ſubiicitur: *Quid ſperandum eſt, quum ſempiternam patris ac filii caritatem etiam nuptiarum foedus adſtrinxerit?* Rhen. Steph. et Patar. habent: *perpetuis prof. pietatis affin. iſta coal. ſtirp.* Put. et Moerl. cum Gud. meliore uerborum poſitu: *perpetuis prof. pietatis ſtirpibus aff. iſta coaleſcat.* Quam ſcripturam ueram eſſe puto. *Stirpes* h. l. ut ſaepius alibi, u. c. apud Tullium, de Leg. 1, 6. et Orat. pro M. Coelio, 32. in f. et Tuſc. Quaeſt. 3, 6. ſunt fundamenta et quaſi radices. Vox *pietatibus* (quae in ceteros codd. irrepſit pro *pietatis*) deeſt in Lang. et hac auctoritate fretus eraſit eam Baunius; Cellarius uncis incluſit. Ceterum pro *coaleſcat* Liuin. cum Acidal. ſuſpicatur legendum eſſe *coaleſcet*, quod nemo, opinor, improbabit. *Id.*

nitas iſta coaleſcat, quae ſemper ſummos in re
4 publica uiros ad concordiam copulauit. Etenim
ſi quamuis diſſidentes familias Gracchi et Corne-
liae matrimonium reduxit in gratiam; ſi pro diuo
Auguſto Actiacam uictoriam tantummodo gener
Agrippa confecit: quid ſperandum eſt, cum ſem-
piternam patris ac filii caritatem etiam nuptia-
5 rum foedus adſtrinxerit? Quod ſi Publius Scipio
bellum Punicum ſuſcepit adoleſcens, ipſum poſtea
ſuperaturus Hannibalem; ſi Marius a factione
Sullana Vrbem recepit ſenex, idque magno inter-
uallo temporum eueniſſe memorabile eſt: quam
facile nunc omnes metus ponet Romana res publi-
ca, quae defenditur coniuncti imperii duabus
aetatibus, pariterque utitur uirtute iuuenis et ma-
turitate ſenioris.

XIV.

XIII, 4. *diſſidentes familias Gracchi et Corneliae)* Diſſidium de re publica inter Scipionem Africanum maiorem et Ti. Gracchum, Tiberii et Caii patrem, finitum fuit adfinitate, quum Scipio filiam Gracchi filio, Tiberio, in matrimonium locaret. Gellius, 12, 8. C.

XIII, 4. *Actiacam uictoriam tantummodo gener)* Siculam fortaſſis dicere uoluit, qua Agrippa uicit dormiente Octauiano, Suet. c. 16. Actiacae autem pugnae ubique aderat, in quam partem a fortuna uocaretur, Vell. Paterc. 2, 85. *Id.*

Simili modo de Auguſto, eiusque uictoria Actiaca loquitur etiam auctor paneg. VIII. Conſtantino Aug. dicti, c. 10. *Auguſtus aliud agens uicit apud Actium.* Et Agrippae omne claſſici certaminis arbitrium fuiſſe commiſſum, teſtatur Velleius, L. 2, 85, 2. Tempore uero Actiacae uictoriae nondum fuiſſe generum Auguſti Agrippam, diſcimus ex eodem Velleio, L. 2, 93, 3. De cetero, Gruterus teſtatur, P. Danielem pro *tantummodo* reponere uoluiſſe *tantum non* i. e. μονονουχὶ, ut primum ſcriptum fuerit *tantumnõ*, idque librariorum inſcitia

XIV. Te, pater, ex ipsō imperii uertice decet orbem prospicere communem, caelestique nutu rebus humanis fata decernere, auspicia bellis gerendis dare, componendis pacibus leges imponere: te, iuuenis, indefessum ire per limites, qua Romanum barbaris gentibus instat imperium, frequentes ad socerum laureas mittere; praecepta petere, effecta rescribere. Ita eueniet, ut ambo 2 consilium pectoris unius habeatis, et uterque

 uires

inicitia mutarit in *tantummō*. Sed non recte, ut uidetur, expendit h. l. uir doctus. Sensus est: *Agrippa*, qui pro Augusto uictoriam confecit, fuit tantum *gener* illius, non filius: *Constantinus* est et *filius* et *gener* Maximiani; ideoque ab eo, duplici hoc uinculo adstricto, plura et maiora possunt sperari. *Iaeg.*

XIV, 1. *Te pater.*) Compellat Maximianum: mox *te iuuenis*, orationem conuertit ad Constantinum. B.

XIV, 1. *bellis gerendis*) Pro *bellis* Cod. Moerl. habet *rebus*. Quod non contemnendum: siquidem *rem* uel *res gerere* dicuntur ii, qui bellum administrant. v. Heusinger. ad Corn. Nep. Hannibal. 8, 4. *Iaeg.*

XIV, 1. *componendis pacibus*) Vox priscis bonae Latinitatis temporibus aut numquam aut raro in plurali numero usurpata, sed in eius aeui scriptoribus similia non nulla idemtidem occurrunt. B.

Non desunt tamen, etiam in Lexicis obuia, exempla optimorum, qui hanc uocem in plurali numero usurparunt. Sic *Plaut.* Perf. 5, 1, 1. ubi v. Taubm. *Lucret.* 5, 1231 sq. *Horat.* epp. 1, 3, 8. et 2, 1, 102. *Iaeg.*

XIV, 1. *ad socerum laureas mittere*) Cod. Put. et Moerl. cum Gud. habet: *ad soc. uictoriarum laureas mittere*. Bert. corrupte *uictoriam*. Verum ea uox inserta ex glossemate esse uidetur, licet Tacitus quoque Hist. 3, 77, 6. dixerit: *Ipse lauream prospere gestae rei ad fratrem misit*. *Laurea* pro *litteris laureatis*, quibus uictoriae insignes nunciari solebant. Plin. Hist. Nat. 15, 30. s. 40. *Laurus — Romanis praecipue laetitiae, uictoriarumque nuntia additur litteris.* ubi v. *Harduin.* in not. et emendat. n. XVIII. itemque *Buchner.* ad Taciti Agric. c. 18. et, qui instar omnium est, doctissimus I. G. *Bergerus*, *in Disp. de Literis laureatis*, Vitemb. 1711. *Id.*

uires duorum. O felix in imperio, et post im-
3 perium felicior, (audis enim profecto haec et uides,) Diue Constanti, quem curru paene conspicuo, dum uicinos ortus repetit occasu, sol
4 ipse inuecturus caelo excepit! Quanto nunc gaudio potiris, quanta uoluptate perfrueris, cum talem hunc filium tuum, qui te primus patrem fecit, in imperii tui possessionem idem pater, idem
5 socer, idem imperator induxerit? Haec est tua praeter omnes diuos propria immortalitas, quam uidemus, filius similis adspectu, similis animo,
6 par imperii potestate. Inuiderint licet nobis, nihil tamen auferre domui tuae fata potuerunt. Nec Maximiano filius, qualis tu eras, nec Con-
7 stantino pater deest. Quin etiam, ut omnibus modis tua necessitudo renouetur, rursus hic socer, rursus hic gener est, ut beatissimus imperator semper ex tua subole nepotibus augeatur.

VI.

XIV, 3. *dum uicinos ortus repetit* etc.) Sensus est: Quem sol ipse occidens et properans ad uicinos ortus curru suo excepit in caelum euehendum, quasi, occidente Constantio, Constantinus toti terrarum orbi ortus esset. Adludit autem ad nummum, cuius in postera parte Constantius curru inuectus, sinistra manu quatuor equos regens, dextram manui, quae cælo extendebatur, iungens. B.

XIV, 4. *idem pater, idem socer*) Maximianus Herculeus et pater et socer fuit Constantii: *pater*, quia illum Caesarem fecerat, atque ita adoptauerat filium; *socer*, quia priuignam Theodoram in matrimonium ei dederat. Eutrop. 9, 14. C.

XIV, 5. *fil. similis adspectu — potestate*) In cod. Moerl. et Gud. desunt uerba *similis adspectu*; mox pro *potestate* habent *maiestate*; quod posterius non spernendum. *Iaeg.*

XIV, 7. *rursus hic socer*) Hic Maximianus bis socer fuit, et Constantii per Theodoram priuignam, et Constantini per filiam Faustam. C.

XIV, 7. *rursus hic gener*) Constantinus fit gener Maximiani, sicut pater Constantius eiusdem gener, ducta priuigna, fuerat. *Id.*

VI.

EVMENII
PANEGYRICVS
CONSTANTINO AVGVSTO
DICTVS.

De huius panegyrici auctore et quo loco ac tempore habitus sit, supra diximus in Eumenii uita, quam panegyrico tertio praefiximus.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio. *Ostendit, in laudandis Imperatoribus et Caesaribus difficile esse, hominum exspectationi respondere; se uero hunc orationi modum allaturum, ut eam praecipue Constantino consecret.*

distribvtio *potest esse: I. De Constantini ad imperium electione. II. De uariis eiusdem uictoriis.*

I. Pars. *De Constantini genere, quod hereditarium ab auo Claudio et patre Constantio imperium acceperit*, c. 2. *Quod illud ipsum militando meruerit, in primis quod adhuc adolescens in pugna manus cum Sarmatarum duce conseruerit*, c. 3. *Quod Constantinus ceteris fratribus suis praelatus sit, ut patri Constantio, cui in omnibus rebus esset similis, succederet*, c. 4. *Egregia utriusque comparatio; Constantius Bononiam incredibili celeritate cepit, et, dum classis ad peruadendam Britanniam paratur, Batauiam et Frisiam, a diuersis Francorum Regibus occupatam, liberat, captos in deserta Galliarum loca transfert, Britannias decimo tandem anno recuperat*, c. 5. *clementi utitur uictoria. Francos iterum in suis sedibus uincit. Iuxta Lingonas LX. Alamannorum millia caedit. Vindonis campos hostium strage complet: eosdem populos, Rhenum glacie constrictum transmittere ausos, ad deditionem cogit*, c. 6. *Caledonum, Pictorumque regionem, Thulen et Fortunatas insulas usque progressus*, c. 7. *Constantium prius imperii heredem relinquit*, c. 8. *Redit ad Constan-*

eo ipso ducerem sermonis exordium, nisi me ab hoc duplex ratio reuocaret, considerantem, neque mediae aetatis hominem ostentare debere subitam dicendi facultatem, neque ad aures tanti numinis quidquam nisi diu scriptum et saepe tractatum adferri oportere. Nam qui apud imperatorem populi Romani dicit ex tempore, quantum sit, non sentit, imperium. Huc accedit, quod iam satis multi sunt, qui me putant nimium multa dicturum: idque, ut arbitror, non ex ingenio meo, quod mediocre est, sed ex laudum uestrarum copia metiuntur. Quorum ego exspectationem, inuitus licet, fallam breuitate dicendi. Reuera enim cogitaueram plura, quae dicerem, sed malo, orationem meam breuem esse, quam respui.

I, 1. *mediae aetatis hominem*) Hominem progressa iam et matura aetate, qualis ego sum, extemporali orationis genere uti non debere. *Aetas media* dicitur, quae est inter iuuentam et senectam. Dicitur a Tullio, de Senect. 76. *aetas constans*; ab aliis ἀκμή, *aetatis uigor*. v. paneg. 8, 8, 1. *B.*

Celsus, 2, 1. *Aetas media tutissima est, quae neque iuuentae calore, neque senectutis frigore infestatur.* *Iaeg.*

I, 3. *idque, ut arbitror* etc.) Pro *idque* Liuineius suspicatur legendum esse *id quod*. In sequentibus post *reuera* cod. Moerl. omittit *enim*, et porro n. 4. pro *suspiciam*, (quod est in Lang. et margine ed. Rh. et Steph.) habent Mss. Moerl. et Gud. et edd. *suscipiam*. Quod minus conuenit h. l. Constat, uoces *suscipere* et *suspicere* in codd. non numquam permutari. Itaque receptum iam a Paris. Pat. et Cell. *suspiciam* retinui, licet Liuineio, nescio qua de causa, displiceat. *Id.*

I, 3. *malo, orationem meam respui.*) *Respui* est in omnibus; in Bert. hoc amplius, *orat. meam quam respui* —; procul dubio curte, sed quem hiatum sine libris non expleam. Franc. Modius

reſpui. Itaque primum illud compendium faciam, quod, cum omnes uos, inuictiſſimi Principes, quorum concors eſt et ſocia maieſtas, debita ueneratione ſuſpiciam, hunc tamen quantulumcumque tuo modo, Conſtantine, numini dicabo ſermonem. Vt enim ipſos immortales deos, quamquam uniuerſos animo colamus, interdum tamen in ſuo quemque templo ac ſede ueneramur: ita mihi fas eſſe duco, omnium principum pietate meminiſſe, laudibus celebrare praeſentem.

II. A

Modius addebat *deſiderari* aut *breuem uideri*. Sed ne ſic quidem perſpicua mihi ſententia. *L.*

Non puto hoc ſanum. Forte *requiri*, i. e. deſiderari. Malo pauciora dicere, ut deſiderium relinquam mei, quam plura, ut taedium. A.

In Mſſ. eſt *reſpui*; nam edd. *reſpuere*. Bert. membranae amplius habent: *meam quam reſpui*; ex quo fieret facile, ſyllaba inſerta, *ſed malo, vrat. m. quam me reſp.* quomodo ſcripſiſſe uideri queat orat. huius ſcriptor. G.

Barthius, (Aduerſ. 14, 11.) *reſpici* legit, quod interpretatur *deſiderari*. C.

Ex omnibus hisce nihil uidetur certius coniectura Modii, quam firmat cod. Put. Gud. et Moerl. in quibus eſt: *orationem meam breuem eſſe, quam reſpui*. Sententia ſatis eſt perſpicua, et plane eadem illi, quam, licet alia emendandi ratione uſus, extudit Acidalius. Auſus itaque ſum lectionem hanc in textum recipere, qui ſine ea, quo quo te uertas, plurimum difficultatis et obſcuritatis habebit. *Iaeg.*

I, 4. *compendium faciam*) Neſcio, an *compendii*. A.

I, 4. *inuictiſſimi principes*) tum temporis una cum Conſtantino imperatores erant Maximianus Galerius et Maxentius. C.

Cum nunc demum Eumenius oſtendat, ſe hanc orationem ſoli Conſtantino dicare, non uiſum eſt audire cod. Put. et Moerl. qui in ſuperioribus pro *laudum ueſtrarum* habent *laud. tuarum*. Poteſt ſcilicet illud *ueſtrarum* referri ad Imperatores hos uniuerſos. *Iaeg.*

I, 5. *pietate meminiſſe*) Ita legendum eſſe, non *pietatem*, (ut ſcripti et editi omnes habent,) ex eo, quod ſequitur,

II. A primo igitur incipiam originis tuae numine: quod plerique adhuc fortaſſe neſciunt, ſed,
2 qui te amant plurimum, ſciunt. Ab illo enim Diuo Claudio manat in te auita cognatio, qui Romani imperii ſolutam et perditam diſciplinam primus reformauit, immaneſque Gotthorum copias, Ponti faucibus et Iſtri ore proruptas, terra marique deleuit; utinam diuturnior recreator
3 hominum, quam maturior deorum comes. Quamuis igitur ille feliciſſimus dies, proxima religione cele-

tur, *laudibus celebrare*, Rittershuſius probat; ut pietas non principum, ſed Eumenii intelligatur. C.

Nihil certius, nihilque magis neceſſarium hac Rittershuſii emendatione; nihil porro facilius et magis obuium eſt in Mſſ. quam litteram uocis alicuius primam praecedentis ultimae adhaerere et ſic geminari. Poterat h. l. uitium quoque a dictantis pronuntiatione, uel a librario perperam audiente oriri. *Iaeg.*

II, 2. *Ab illo diuo Claudio)* Claudii Gothici frater Criſpus per filiam Claudiam auus fuit Conſtantii Chlori, proauus Conſtantini maximi; ut Trebell. Pollio, Vita Claudii ad Conſtantinum c. 13. ſcripſit: ipſe uero Claudius Aug. liberos nullos habuit. De auctoribus, qui Claudii nepotem dixerunt Conſtantium, diſſeruimus in Programmatum faſciculo, p. 472. C.

De origine Conſtantini, ipſius iam aetate, ut hic uidemus, multis ignota, in ſuperioribus dictum eſt. *Iaeg.*

II, 2. *Gotthorum copias, Ponti faucibus* etc.) v. Zoſim. l. 1. p. 652. Sylb. *Id.*

II, 2. *quam maturior deorum comes)* quia tantum biennio imperauit. C.

II, 3 *proxima religione)* Quae proxima illa religio? Nemo docet; nec poterit ſane ullus, cum omiſſa uocula in ſimſlibus alterius litteris obhaereat. Scribendum enim: *ille felic. dies diis prox. rel. c.* Notum ingenium erroris iis, qui uel ſemel has litteras tractarint. Par illud Claudiani, de Conſ. Mall. Th. v. 227. ſq. *Diis proximus ille eſt, Quem ratio, non ira mouet. Barth.* Aduerſ. 14, 11. *Iaeg.*

celebratus, imperii tui natalis habeatur, quoniam te iſto habitu primus ornauit: iam tamen ab illo generis auctore in te imperii fortuna deſcendit. Quin imo patrem tuum ipſum uetus illa imperatoriae domus praerogatiua prouexit; ut iam ſummo gradu, et ſupra humanarum rerum fata conſiſteres, poſt duos familiae tuae principes tertius imperator. Inter omnes, inquam, participes maieſtatis tuae hoc habes, Conſtantine, praecipuum, quod Imperator [natus] es, tantaque

II, 3. *imperii fortuna)* Vox *imperii* abeſt Cod. Moerl. et infra n. 5. pro *originis tuae* legitur *generis tui*. *Id.*

II, 4. *familiae tuae principes)* Id eſt, e familia tua et maioribus Auguſtos et Imperatores, ne quis erret. Conſtantius quidem, Diocletiano ac Maximiano ſponte imperio defunctis, e Caeſare cum Galerio Maximiano factus eſt Auguſtus. Mox trunca illa, *quod imperator es*, quae non expleo ſine libris. Voculam de ſententia immittam, *quod natus Imperator es*. Infra illico: *Imperium naſcendo meruiſti*. L.

Hoc *natus* abeſt a libris; neceſſarium uero, ut uel ipſum uel ſimile inſeratur, quia imperatorem eſſe non erat *praecipuum* Conſtantino, ſed cum aliis commune. Id autem tum temporis praecipuum, quod pater ipſius etiam imperator fuerat. Quamuis enim natus fuerat ante, quam pater ad imperium eueheretur; tamen et cap. 3. mox auctor dicit, *imperium naſcendo meruiſti*. C.

Hanc uocem *natus*, quae etiam a Mſ. Moerl. abeſt, Cellarii exemplum ſecutus, textui, uncis incluſam, inſerui: repugnante licet Barthio, qui Aduerſ. 14, 11. τὸ *es* tantumdem inferre, et quidem acute, dicit. Mox in fine pro *omiſſis*, quod in Lang. et Bert. cod. eſſe teſtatur Liuineius et exhibent edd. nonnulli, repoſui *omiſſo*, ut eſt in Rh. Steph. ac Gud. et Moerl. a quibus non multum abludit Cuſp. praeferens *omiſſio*; et errauit Liuineius, cum ſcriberet, illud *omiſſis* etiam in Cuſp. inueniri. Ineptam uocem *habitu*, quae in nonnullis pro *ambitu* legitur, conſentientibus Bert. Lang. Cuſp. Schonhov. Put. et Moerl. iam damnauere Pariſienſes, Pat. et Cellarius. *Lacg.*

que est nobilitas originis tuae, ut nihil tibi addiderit honoris imperium, nec possit fortuna numini tuo imputare, quod tuum est, omisso ambitu et suffragatione.

III. Non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis fauoris euentus te principem
2 fecit. Imperium nascendo meruisti. Quod quidem mihi deorum immortalium munus et primum uidetur et maximum, in lucem statim felicem uenire, et ea, quae alii uix totius uitae laboribus consequuntur, iam domi parta suscipere. Quam-

II, 5. *numini tuo imputare*) Fortasse legendum *numini suo*, (ut suspicatur Liuineius;) i. e. ut fortuna adscribere sibi non possit, quod tuum iam erat, quod tuis natalibus debebatur, citra ambitum et populi suffragia. B.

II, 5. *quod tuum est*) Hoc est, quod uni tibi et natalibus debes, citra ambitum aut tuorum suffragia. Et tamen, Constantio mortuo, cunctis, qui aderant, adnitentibus, sed praecipue Eroco, Alamannorum rege, auxilii gratia Constantium comitato, imperium recepit. Epit. Sext. Victoris. Addit Zosimus, Hist. l. 2. praetorianos Constantii, qui e iustis liberis (intelligit, qui e Theodora, Herculei priuigna,) parem regno haberent neminem, apto et idoneo uiso Constantino, simul spe erectos largitionum, Caesaris ei dignitatem contulisse. L.

III, 1. *fauoris euentus*) Delicata est coniectura Bongarsii, substituentis: *fauoris uentus*. Sic *uentum popularem*, *uentos concionum*, legimus apud Ciceronem. G.

III, 1. *meruisti*) i. e. consecutus es. Sic *Plin.* epp. 1, 8, 14. ubi v. Casaub. Claudian. in Eutrop. 1, 175 sq.

Qui nihil optasset plus libertate mereri,
Iam iam dissimulat dominos.

v. *Gesner.* ad h. l. et *Koenig.* ac *Schoettg.* ad Iuuenci Hist. Euang. 3, 496. Nec tantummodo a scriptoribus sequioris aetatis, sed Augusti iam aeuo hac significatione usurpatum uidetur uerbum illud. Prop. 3, 22, 9. sq. de tabellis amissis:

Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.

Iaeg.

Quamuis enim magna ſit et admiranda felicitas, 3
quae, ſtipendiis in ordinem meritis et militiae
gradibus emenſis, ad faſtigium iſtud maieſtatis
adſcendit, et ſolis uirtutis nixa radicibus ad tan-
tum potentiae robur inualuit: (quod quidem
etiam tu, quantum per aetatem licuit, conſecutus
es, et, quamuis te ſupra omnes adquirendae glo-
riae moras fortuna poſuiſſet, creſcere militando
uoluiſti, et adeundis belli periculis, ac manu cum
hoſtibus etiam ſingulari certamine conſerenda,
notiorem te gentibus reddidiſti, cum non poſſes
eſſe nobilior:) Magnum, inquam, eſt, ab ſe pro- 4

A a fectum

III, 3. *Quamuis enim magna ſit et adm. fel.*) Hoc propter Diocletianum et Maximianum, Imperatores, quibus non alia ad imperium aditus, quam uirtute, uſuque bellorum. L.

III, 3. *ſtipendiis in ordinem meritis*) Forte, *ſtipendiis ordine emeritis.* A.

III, 3. *ad tantum potent. robur*) Cod. Put. et Moerl. habent *tantae potentiae.* Mox pro *ſupra*, quod in ſolo Cuſp. inuenit Liuineius, amplexique ſunt Pariſ. Pat. cum Cellario, ceteri, quos uidi, omnes *ſuper*; quod nec ipſum damnandum. *Iaeg.*

III, 3. *ſingulari certamine*) Cum Sarmatarum duce, quum adhuc obſes eſſet patris apud Galerium. Anonymus de Conſtantio et Conſtantino, quem Valeſius cum Ammiano edidit: *Hunc* (Conſtantinum) *Galerius obiecit ante pluribus periculis. Nam et in Sarmatas iuuenis equeſtris militans ferocem barbarum capillis tentis receptum, ante pedes ſupplicem Galerii imperatoris adduxerat.* Adde Zonar. T. 2. p. 246. itidem narrantem, quod et Galerius ſic προσέταξε, *mandauerit*, et Conſtantinus Sarmatarum ἀρχηγὸν ἀρπάσας ζῶντα τῷ Γαλλερίῳ προσεκόμισε, *ducem, uiuum comprehenſum, ad Galerium adduxerit.* C.

III, 4. *Magnum, inquam, eſt, ab ſe prof.* etc.) Excutiant acutiores, unde iſtud membrum huc peruenerit. Nam mihi quidem gloſſam reſipere uidetur. Sane non reſpondet ei *quamuis* ſupra poſito, a quo iſthaec

fectum ad maxima peruenire; longe tamen aliud eſt, niti per ardua, et iuga montium petere e plano, aliud, ipſa ortus ſui ſublimitate fultum, uerti-

iſthaec ſequentia pendere debebant, *longe tamen.* G.

Bene uir doctiſſimus haec habet de gloſſa ſuſpecta. Melius uero coibunt ſuperioribus, ſi leges: *magnum, inquam, ſit, ab ſe* etc. Nam ſupra dixit: *Quamuis enim magna ſit et admiranda felicitas* etc. Sed et illa *ab ſe* ſuſpecta ſunt. Malim autem *abs ſpe.* Quod humilitatem notat originis. Sic poſt pauca de contraria felicitate: *uerticem tenere fortunae, et, quae ſumma ſunt, non ſperare, ſed habere.* Humilis autem origo nec ſpem Imperii habet. Si, qui aliter iudicabit, acumen ſententiae aptum explicet, nos non inuiti dabimus manus. *Barth.* (Adu. 14, 11.)

Ἀνακολουθία eſt ſatis manifeſta, cuius tamen exempla, praeſertim cum poſt interiectionem longiorem, (qualis hic eſt a uerbis *quod quidem etiam tu* etc. usque ad *poſſes eſſe nobilior:*) ad priora redeunt, optimi etiam ſcriptores praebent. v. Cic. de Orat. 2, 64. Orat. pro domo ſua ad Pontif. 57. et Tuſc. Quaeſt. 2, 1. add. Quinctilian. 8, 2, 15. et Gataker. ad Antonin. 3. §. 4. p. m. 92. Eſt uero, praeter medelam Barthii, et alia ratio huius loci explicandi, mutata ſcilicet interpunctione et lectione hunc in modum: *Quod quidem mihi Deorum immortalium munus et primum uidetur et maximum, in lucem ſtatim felicem uenire, et ea, quae alii uix totius uitae laboribus conſequuntur, iam domi parta ſuſcipere; quamuis etiam* (ſic pro *enim*, quod eſt in codd. Liv. Bert. Put. Moerl. et edd. habent alii;) *magna ſit et admiranda felicitas, quae ſtipendiis in ordinem meritis et militiae gradibus emenſis ad faſtigium iſtud maieſtatis adſcendit, et ſolis uirtutis nixa radicibus ad tant. pot. robur inualuit. Quod quidem etiam tu — — — eſſe nobilior. Magnum, inquam,* (uel *quidem*, ut illius loco eſt in Bert.) *eſt, ab ſe profectum ad maxima peruenire* etc.

— — — qua ſit eundum
Ipſe tibi monſtret ductor Atlantiades. *Iaeg.*

III, 4. *petere e plano,*) Haec eſt Liuineii emendatio; uulgo *patere plano*, nullo ſenſu. Pro *patere* iam in ora ed. Rhen. a Schonhouio, itemque in margine Steph. adſcriptum eſt *petere*, quod etiam exhibet cod. Moerl. et recte, meo quidem iudicio, recepit Baunius, Pat. et Cellarius.

uerticem tenere fortunae, et, quae ſumma ſunt, non ſperare, ſed habere.

IV. Sacrum iſtud palatium non candidatus imperii, ſed deſignatus intraſti, confeſtimque te illi paterni lares ſucceſſorem uidere legitimum. Neque enim erat dubium, quin ei competeret 2
hereditas, quem primum imperatori filium fata tribuiſſent. Te enim tantum ille et imperator in terris et in caelo deus, in primo aetatis ſuae flore, generauit, toto adhuc corpore uigens, illa praeditus alacritate ac fortitudine, qua cum bella

larius. Mox prò *uerticem tenere* cod. Put. habet *uerticem cernere*; quod minus placet. *Id.*

IV, 1. *deſignatus intraſti)* Iam Conſtantius te ſibi heredem deſtinarat, cum aut te ex Italia ad ſe euocauit, aut ad eum ipſe adcurriſti. B.

IV, 2. *primum imp. fil.)* Adde et unicum quoque, ut mox dicet, ex Helena quidem: nam ceteri eius qua fratres, qua ſorores e Theodora, Herculei Aug. priuigna. L.

IV, 2. *qua cum bella plurima — geſſit).* In Rh. Steph. Liv. legitur: *quumquam bella plurima praecipue campi Vindonis idonei.* Rhen. ſuſpicatur, legendum: *quam bella pl. pr. c. V. idonei teſtes declararunt,* aut ſimile quidpiam. Cod. Gud. et Put. habet, ſatis bene, exſepta uoce ultima corrupta: *quam bella pl. pr. ca. uidere ſydonii;* a quo non longe abit Moerl: *qua bella plurima, praec. c. uidere Sidonis,* Schonh. in marg. Rhen. *fortitudine qua cum bella* etc. et in fine ſententiae pro *idonei* habet *geſſit.* Cuſp. *qua cum bella pl. praecipue campi Vindonis geſſit.* Sic etiam, teſte Liuineio, Lang. niſi quod hic poſt uocem *plurima* inſerit *tum.* Pro *campi* Liuin. ex coniectura ponit *campis*; et ſic ediderunt Pariſ. Pat. et Cellar. Confirmatur haec lectio cod. Pulm. in quo, teſte Puteano, inuenitur: *qua cum bella plurima pr. campis Vindonis geſſit.* Puteanus tamen magis probat lect. cod. ſui et F. a nobis ſupra adlatam, et uocem *idonei,* quam habent nonnulli, haud dubie corruptam putat ex *Sydonii* l. *Vindonis.* Pro *Vindonis* Liuineius

plurima, tum praecipue campis Vindonis geſſit.
3 Inde eſt, quod tanta ex illo in te formae ſimilitudo tranſiuit, ut ſignante natura uultibus tuis
4 impreſſa uideatur. Idem enim eſt, quem rurſus in te colimus, adſpectus, eadem in fronte grauitas, eadem in oculis et in ore tranquillitas. Sic eſt index modeſtiae rubor, ſic teſtis ſermo iuſti-
5 tiae. Accipe, Imperator, accipe noſtrorum ſenſuum confeſſionem. Dolet, quod Conſtantius exceſſit a nobis, ſed dum te cernimus, illum exceſ-
6 ſiſſe non credimus. Quamquam quid ego illum exceſſiſſe dico, cuius immortalia facta uiuunt, et in ore omnium hominum oculiſque uerſantur?

V. Quis enim, non dico reminiſcitur, ſed quis non adhuc quodam modo uidet, quantis ille
2 rebus auxerit, ornaritque rem publicam? Qui adſcitus imperio, primo aduentu ſuo innumerabili hoſtium claſſe feruentem excluſit Oceanum, exercitumque illum, qui Bononienſis oppidi

uineius reſcribere cupiebat *Vindoniſſae*, ut c. 6. codd. nonnulli exhibent: niſi forte *Vindoniis* aut *Vindoneis* ex editae lectionis ueſtigiis probetur. *Iaeg.*

IV, 2. *campis Vindonis*) Vindoniſſa, oppidum Heluetiorum, Tacito laudatum Hiſt. 4, 61. et 70. cuius reliquiae in Bernatium uico *Windiſch* uiſuntur. Circa Vindoniſſam *campi* fuere *Vindoni*, ſiue, ut mox c. 6. uocantur, *Vindonis campi*, in quibus Conſtantius Germanos clade maxima adfecit. C.

IV, 5. *Accipe, Imperator, accipe* etc.) Loco poſterioris *accipe* cod. Moerl. et Gud. *ancipitem*; Bert. *accipientem*; ex quo Liuineius exſculpit *accipe, inquam.* Pro. *Dolet*, quod legitur in cod. Liv. et Bert. et edd. Pariſ. Grut. Pat. Cellar. ceteri exhibent *Dolemus.* *Iaeg.*

V, 2. *qui adſcitus imperio*) qui Caeſar factus, Conſtantium, Conſtantini patrem, puta. C.

V, 2. *excluſit Oceanum*) Defixis in portus aditu ſaxis et

pidi litus insederat, terra pariter ac mari sepsit, cum reciprocos cursus illius elementi, iactis inter undas uallis, diremisset, ut, quorum portas fluctus adlueret, mare et, quod tangerent, perdi-

 dissent.

et trabibus, ne Carausii classis, quae oram hanc tenebat, Bononiensibus uenire auxilio posset. v. Paneg. IV. c. 6, 2. B.

V, 2. *Bononiensis oppidi lit. insed.*) Bononia haec est Belgica illa, in Morinis sita, urbs maritima, ante Gesoriacum dicta, ut Peutingeriana tab. explicatur: hodie *Boulogne*. C.

V, 2. *reciprocos cursus*) Pro *cursus* in cod. Liv. Bert. Cusp. et in ora ed. Frob. notatum a Schonhov. legitur *sensus*, fine sensu: Liuin. coniicit *aestus*. Iaeg.

V, 2. *ut, quorum portas fluctus adlueret, mare et, quod tangerent, perdidissent.*) Probe *portas fluctus adluerat*: sed nondum integer et constitutus locus. Succedam ego, et in parte iuuem: *et* (non *ut*) *quor. port. fluct. adl. mare etiam, quod tangerent, perdidissent. Quod tangerent*, i. e. quo adlui solerent. Deinde *etiam* pro *et* reposui, a compendiis, quae iam toties incuso. Nam *et* ueteribus libris *etiam* ualet. L.

Portas fluctus legitur in cod. Liv. et Bert. *adluerat* in Lang. Ceteri: *ut quorum portus fluctu adlueret mare, et quod tangerent perdidissent.* Cod. Moerl. concordat Liv. et Bert. nisi quod *ro et* post *mare* omittit, et pro *tangerent, perdidissent* habet *tangeret, perdidisset*. Vox *portas*, non modo a Paris. Pat. Cellario recepta, sed etiam a Puteano e codice ueteri prolata et probata fuit, adductis locis paneg. 4. c. 6, 1. *illis olim mari fretis adluentem portas ademit Oceanum*; et Eumen. paneg. Flauiens. nomine, c. 7, 2. *nauigera flumina, ipsas oppidorum portas adluentia*. De cetero non necesse est, e Lang. pro *adlueret* rescribere *adluerat* cum Liuineio: potest enim illud significare, *adluere alias soleret*; qua ratione Liuin. ipse τὸ *tangerent* expositi. Optimum mihi et tutissimum usum est, retinere lectionem Paris. Pat. et Cell. Nec tamen praeteribo, quae Barthius habet, l. c. „Scribe, ait, *ut quorum portas fluctus alluerat, et mare, quo tangerent, perdidissent*. „Secundo flumine per mare „barbari eum locum uenerant. Obiectis molibus Constantius fluuium a mari secluſit. Ita mare impellere „fluuium, fluuius e mari iam „illo procedere non poterat.

Demtus

3 diſſent. Qui eodem exercitu uirtute capto, clementia conſeruato, dum aedificandis claſſibus Britanniae recuperatio comparatur, terram Batauiam, ſub ipſo quondam alumno ſuo a diuerſis Francorum gentibus occupatam, omni hoſte purgauit, nec contentus uiciſſe, ipſas in Romanas tranſtulit nationes, ut non ſolum arma, ſed 4 etiam feritatem ponere cogerentur. Nam quid ego de receptione Britanniae loquar? Ad quam ita

„Demtus igitur etiam uſus „nauigiorum fuerat barbaris, „quod per *To quo* indicat.„ *Iaeg.*

V, 3. *eodem exercitu*) i. e. praeſidiariis, quas Carauſius Bononiae collocarat, copiis. B.

V, 3. *terram Batauiam*) Schonh. in marg. Rhen. adſcripſit *Batauicam;* ſed nihil mutandum. *Terram Batauiam,* (ut Liuineius iam uidit,) ſic, ut Catullus. p. 93. ed. Voſſ. *Celtiberiam terram,* et Tibull. 1, 10, 33. *Campaniam terram* dixit. Adde his *Gellium,* 1, 1, 2. 2, 22, 28. 16, 19, 20. et multis praeterea aliis locis; nam frequentandae huius rationis eſt ſtudioſiſſimus. *Iaeg.*

V, 3. *alumno ſuo*) Carauſium notat, Batauum, in Britannis rebellantem, antea praefectum litori Bononienſi et Aremorico: de quo Eutrop. 9, 13. et 14. C.

Acidalius pro uerbis *ſub ipſo quond. al. ſuo* legi iubet: *ſub ipſo quidem molimine ſuo,* i. e. ut ipſe dicebat: *dum aedificandis claſſibus Britanniae recuperatio comparabatur.* Verum haec mutatio minus neceſſaria, et ex ſolo ingenio uiri ad coniecturas nimis proni profecta nemini, arbitror, probabitur. *Iaeg.*

V, 3. *Francorum regibus, gentibus*) Vocem *regibus* hic delendam putem, ex haeſitatione librarii natam, qui dubius *regibus* ſcriberet, an *gentibus,* ſcripſit utrumque. A.

Vocem hanc, quae in Rhen. Steph. et Liv. legitur, delent, unanimi conſenſu, reliqui ſcripti et edd. omnes. *Iaeg.*

V, 3. *in Romanas tranſtulit nationes*) In Gallias Romanis ſubiectas, puta, ut Ambianum, Bellouacum, Tricaſſinum et Lingonicum agrum colerent, v. paneg. 4, 21, 1. B.

V, 4. *Nam quid ego de recept. Brit. loquar?*) Recepta Britannia a Conſtantio per

ita quieto mari nauigauit, ut Oceanus ille, tanto uectore ſtupefactus, caruiſſe ſuis motibus uideretur; ita peruectus, ut non comitata illum ſit, ſed praeſtolata, uictoria.

VI. Quid de miſericordia dicam, qua uictis temperauit? quid de iuſtitia, qua ſpoliatis amiſſa reſtituit? quid de prouidentia? qua ſociis ſibi iunctis ſe eiusmodi iudicio dedit, ut ſeruitutem paſſos iuuaret recepta libertas, culpae conſcios ad poenitentiam reuocaret impunitas. Quid 2 loquar rurſus intimas Franciae nationes, non iam ab iis locis, quae olim Romani inuaſerant, ſed

per Aſclepiodotum, praefectum praetorio, poſt nouem annos. *Aur. Victor et Eutrop.* Adde plura ex Paneg. IV. C.

Itemque Paneg. V. c. 4, 3. et VIII. c. 25, 2. *Iaeg.*

V, 4. *ita quieto mari*) Verba *quieto mari* a gloſſa putem. Melius enim certe, hic nihil addi, quia poſtea nihil additis alteri membro, *ita peruectus.* A.

VI, 1. *uictis temperauit*) *a uictis temperauit.* Barth. Aduerſar. 14, 11. B.

Non neceſſe eſt, interponere praepoſitionem. Nam et tertio caſui hoc uerbum iungitur, cum *parcendi* notio ei ſubiecta eſt. Cic. in Verr. 2, 6. in m. *ſi cuiquam denique ulla in re umquam temperauerit, ut uos quoque ei temperetis.* *Iaeg.*

VI, 1. *ſe eiusmodi iudicio dedit*) Poteſt hic quoque *iudicio* gloſſema eſſe, quod aliquis addiderit, quia de prouidentia uidebat dici. At *eiusmodi ſe dedit* eſt, talem ſe praebuit et praeſtitit. A.

Iudicio eſt in impreſſis omnibus. Aſt melius codd. Gud. Put. et Moerl. eius loco habent *iudicem*; pro quo Puteanus ſuſpicatur legendum eſſe *uindicem*. Has uoces, ob cognationem ſcripturae et ſignificationis ſaepe confundi, docet Drakenb. ad Sil. 2, 456. *Iaeg.*

VI, 1. *ſeruitutem paſſos*) Britannos ſub Carauſio et Allecto. C.

VI, 1. *culpae conſcios*) qui Carauſio ſtuduerant. *Id.*

VI, 2. *non iam ab his locis*) Mſ. Moerl. *iam non aliis locis.* Repono *ab iis.* *Iaeg.*

a propriis ex origine ſui ſedibus, atque ab ultimis barbariae litoribus auulſas, ut, in deſertis Galliae regionibus collocatae, et pacem Romani
3 imperii cultu iuuarent et arma dilectu? Quid commemorem Lingonicam uictoriam, etiam Imperatoris ipſius uulnere glorioſam? quid Vindonis campos, hoſtium ſtrage completos, et adhuc
4 oſſibus opertos? quid immanem ex diuerſis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu

VI, 2. *ex origine ſuis ſedibus*) Schonhov. in marg. Frob. *ex origine ſui ſedibus*. Ita etiam in Pulm. legi teſtatur Puteanus, eamque lectionem confirmat uerbis h. cap. ſ. 4. *diuortia ſui*, et h. paneg. c. 13, 5. *exordio ſui*, et Nazar. c. 38, 5. *ambitione ſui*. cf. Paneg. I. Mamert. c. 13, 4. et Genethl. c. 2, 1. et quae ibi diſputantur. Quodſi his addas, quae in fine cap. 1. huius paneg. adnotaui, non facile dubitabis, de ueritate lectionis a me receptae. Ceterum de Francis, eorumque ſedibus v. Daniel Hiſt. Franc. T. 2. p. 57. ſqq. edit. Germanicae. *Id.*

VI, 2. *propriis ex orig. ſ. ſed.*) Francos non modo in Galliis et Batauia, ubi graſſabantur, ſed etiam in Germanici maris parte ſeptemtrionali, i. e. in originis ſuae loco, uictos, in deſertas Galliarum partes abduxit, ut et has terras colerent et Romana ſigna ſequerentur. B.

VI, 3. *Lingonicam uictoriam*) Lege Eutrop. 9, 15. Cum Alamanis pugnatum in Lingonibus, quorum urbs primaria tum etiam *Lingones* dicta, nunc *Langres*, in Campania Gallica. C.

VI, 3. *Vindonis campos*) v. ſupra, c. 4. *Id.*

Vindoniſſae eſt in codd. Liv. Bert. Gud. Put. Moerl. *Iaeg.*

VI, 3. *ſed adhuc*) Forte *et adhuc*, uno ore Liuineius, Acidalius, Bongarſius, Gruterus; et ſic dedit Cellar. Recte, meo quidem iudicio. Barthius autem l. c. ſcribit: *hoſtica (uel hoſtili) tum ſtrage completos, ſed adhuc* etc. *Id.*

VI, 4. *ex diuerſis Germ. pop. mult.*) Puteanus exiſtimat, hos populos eosdem eſſe, qui paneg. IV. c. 9, 3. *Chamani* et *Friſii* uocantur. *Id.*

gelu Rhenus illexerat, ut, insulam, quam diuortio sui idem amnis amplectitur, pedestri agmine ausa transmittere, repente laxato flumine, clauderetur, et, dimissis statim obsessa nauigiis, ita se dedere cogeretur, ut, quod difficilius est sorte communi, eligeret ex se, quos captiuitati trade-

 ret,

VI, 4. *Rhenus illexerat)* In Mſ. Gud. et edd. Rh. Steph. Cuſp. Liv. legitur *illuxerat*. Rhen. ad marginem: Opinor, legendum *illuſerat*. Et ſic eſt in Mſ. Moerl. Schonhov. ad oram ed. Rhen. *illexerat* fortaſſe; et ita etiam nos legere iubet Acidalius, et in Lang. inuenit Liuineius, et ediderunt Pariſienſes cum Patarolo et Cellario. Sequens *ut ἐκβατικὰς* eſſe capiendum, facile patet. *Iaeg.*

VI, 4. *insulam, quam diuortio sui)* Inſulam Batauiam, quam olim, teſte Plinio, prope centum millia paſſuum in longitudinem extenſam, nunc multo anguſtiorem, Rhenus, in duas partes ſe diuidens, undequaque inuoluit. Idem autem ille fluuius ex altera parte Rhenus dicitur, Vahalis ex altera. Huc irrumpere auſos Francos obſedit pariter Conſtantius et ad deditionem coëgit. B.

VI, 4. *demissis statim obsessa nauigiis)* Obſecutus ſum Acidalio, iubenti nos legere *dimiſſis*, i. e. circumundique miſſis. Alias, inquit, ſimplex *miſſis* erat melius. *Demittere* et *dimittere* in Mſſ. facile et ſaepe confundi, ſatis conſtat. Fortaſſe tamen, ne quid diſſimulem, *demiſſis* h. l. idem eſt ac *deductis*, ſc. ex naualibus, in quibus hiberno tempore naues ſubductae ſeruantur; ſed exemplum deſidero, quo probetur, τὸ *demittere* hac in re adhiberi. Cogitabam quoque, an *demiſſa nauigia* fortaſſe dicantur, quae amne ſecundo deuecta ſunt. Verum et haec ratio auctoritate deſtituitur. *Iaeg.*

VI, 4. *sorte communi)* morte in pugna. Sic Liuineius et Cellarius. Sed totum locum bene conſideranti patebit, ſortem communem captiuitatis hic intelligendam eſſe; praeſertim, ſi admittatur lectio Cellariana, de qua nunc uidebimus. *Id.*

VI, 4. *eligeret, et ex aequo captiuitati traderet,)* Haec eſt ſcriptura edd. Rh. St.

ret, relatura cum reliquiis suis infamiam proditionis suorum.

VII. Dies me ante deficiet quam oratio, si omnia patris tui facta uel hac breuitate percurram. Cuius etiam suprema illa expeditio non Britannica tropaea, ut uulgo creditum est, expetiuit, sed, diis iam uocantibus, ad intimum terrarum li-
2 men accessit. Neque enim ille, tot tantisque rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumque Pictorum siluas et paludes, sed nec Hiberniam proximam, nec Thulen ultimam, nec ipsas, si quae sunt,

St. Liv. Paris. et Pataroli, qui et in Mf. D. Marci sic legi testatur. Cusp. habet uitiose *et ex equo*. Cod. Liv. et Bert. *equos captiuit*, absurde quidem, sed tamen ita, ut uerae scripturae uestigia transluceant. Liuineius coniicit, f. *et ex aequo se capt.* et hoc ita explicat: „*ex aequo*, h. e. integris copiis, „et incerto utrimque praelii „euentu. Infra: *ut sibi non „murum scandere, sed ex aequo congredi uiderentur.* „Hoc uult aperte, aequo „Marte et paribus ad uictoriam momentis, quae iniquiora in altum subeuntibus.„ Haec Liuineius. Cod. Put. pro *ex aequo* praefert *quos*; et sic praeter Gud. etiam Moerl. in quo legitur: *forte communi, eligeretur, quos captiuitati traderet.* Haec lectio firmat coniecturam Acidalii, ita corrigentis: *eligeret ex se, quos capt.* Quae correctio perspicuum sensum parit: (uerba sunt Cellarii:) quum uulgaris lectio, *et ex aequo*, quod *aequo Marte* interpretantur, sequentibus male concilietur. Secutus igitur uestigia codicum et Cellarii exemplum a uulgata lectione discessi. *Id.*

VII, 1. *suprema illa expeditio*) aduersus Pictos. B.

VII, 1. *uulgo certum est*) Sic edd. omnes et Mss. plerique. Bert. habet *cretum*. Liuineius et Acidal. suspicantur *creditum*. Quod, cum in Put. Gud. et Moerl. inueniatur, quo minus reciperem, nihil uisum est obstare. *Ineg.*

VII, 2. *Thulen ultimam*) Vltima insularum Oceani Thule f. Thyle fuit credita. Virgil. Georg. 1, 30. — — — *tibi seruiat ultima Thule.*

V. quae de Thule in Notit. Orbis antiqui commentati sumus. C.

sunt, Fortunatorum insulas dignabatur adquirere, sed, quod eloqui nemini uoluit, iturus ad deos, genitorem illum deorum, ignea caeli astra refouentem, prospexit Oceanum, ut, fruiturus exinde luce perpetua, iam uideret illic diem paene continuum. Vere enim profecto illi superûm templa 3

VII, 2. *Fortunatorum insulas*) De Fortunatis insulis, quas plerique iam credunt Canarias esse, earumque situ, uariae opiniones erant ueterum, ut nec defuerint, qui in Britannico mari illas quaererent. V. Mureti Var. Lect. L. V. c. I. *Id.*

VII, 2. *genitorem Deorum Oceanum*) Respexit fortassis ad illud Homeri, Iliad. ξ. v. 201,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν
καὶ μητέρα Τηθύν.

Oceanumque, deorum originem et matrem Tethyn.

Ceterum poëtico heic more panegyrista, quod fati erat, *mori illo itinere*, ad consilium refert et uoluntatem, ut consecrationi simul inseruiat. *Id.*

Ex sententia Thaletis, Orpheique etiam Oceanum *rerum principem* uocat Claudianus, de IV. Cons. Honor. v. 23. ad quem locum v. Gesner. *Iaeg.*

VII, 2. *ignea caeli astra refouentem* etc.) Cusp. his praeponit uerba: *fluctibus suis*, quae quidem sententiae adcommodata sunt; sed ex glossemate irrepsisse uidentur. Liuineius haec addit: „De „Cleanthis ac Stoicorum sen„tentia dictum, qui astra to„ta ignea esse et Oceani hu„moribus ali putauerunt, „quia nullus ignis sine pastu „aliquo possit permanere. „Cicero, de Nat. Deor. l. 2. „Achoreus, sacerdos, apud „Lucanum l. 10.

„*Nec non Oceano pasci Phoe„bumque polumque*
„*Credimus.*„ cf. Lipsi. Physiolog. Stoic. l. 2. diss. 14. t. 4. opp. p. m. 585. sq. Mox in sequentibus pro *fruiturus* Cusp. Liv. et ms. Gud. *futurus*, Rh. Steph. *fructurus*, et in marg. *fruiturus*, uti etiam in Bert. reperitur et editum est a Paris. Pat. et Cell. *Iaeg.*

VII, 2. *diem paene continuum*) Propter sphaerae obliquitatem et solis deflexionem. Iuuenalis, Sat. 2, 161. *minima contentos nocte Britannos.* Tacit. Vita Agric. 12. *Nox clara et extrema Britanniae parte breuis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas.* B. Add.

templa patuerunt, receptusque est consessu caelitum, Ioue ipso dexteram porrigente. Quinimo statim sententiam rogatus, cui imperium decerneret, dixit, ut decebat Constantium Pium: manifeste enim sententia patris electus es imperator.
4 Quod quidem ita nos dicere cum ueritas iubet, tum pietati tuae, ut uideo, gratissimum est. Sed cur tantummodo priuatis tuis adfectibus blandiamur, cum omnium deorum fuerit illa sententia, et

Add. Caes. de B. G. 5, 13. Plin. H. N. l. 2. c. 75. et ibi Hard. et Scalig. ad Manil. Astron. l. 3. v. 301. p. m. 212. et huius paneg. c. 9, 3. *Ineg.*

VII, 3. *consessu caelitum*) Rh. Steph. *concessu coeli*, et in marg. *consessu*. Liv. *consessu caeli*. Put. *consensu coelitum*. Moerl. *consensu coeli*. Schonhov. *consessu caelitum*, et plane ita Mss. Gud. cum ed. Cusp. (excepto, quod separant, quod iunctim legendum est, *caeli tum*) et sic Paris. Pat. cum Cellar. Iidem quoque supra *illi sup. temp. patuerunt*, ut codd. Liv. Bert. Lang. Schonhov. Put. Moerl. et ed. Cusp. habent, pro deprauato Rhen. Steph. et Liv. *illum s. t. petierunt*. *Id.*

VII, 3. *dixit, ut decebat Constantium Pium*) Cusp. Rh. Steph. *ut decebat, dixit Constantinum Pium*, Cod. Liv. Bert. Moerl. *dixit, ut dec. Constantium Pium*. Recte. Ii enim, Liuineius inquit, qui *Constantinum* scripsere, *dixit* interpretati sunt *pronuntiauit, nominauit*: falso. Est enim sensus, rogatum sub decessum patrem, cui imperium relinqueret, ea locutum, quae Pium decerent. Videtur autem, ut Baunius monet, Constantius peculiari quodam nomine *Pius* dictus. c. seq. s. 2. *Dii boni, quanta Constantium Pium, etiam in excessu suo, felicitate donastis!* et infra c. 14, 4. *Gratulare, Constantine, naturae ac moribus tuis, quod te talem Constantius Pius genuerit*. Paneg. VIII, c. 4, 3. *Erat ille Maximiani suppositus; tu Constantii Pii filius*, et eiusd. pan. et cap. s. 4. *te, Constantine, paterna pietas sequebatur*. Mox in sequentibus Cusp. Rhen. Steph. Liv. Parisiensis prior, *electus est imperator*. Sed Liuineius et Acidalius iam uidit, legendum esse *es*; quod in cod. Gud. Put. et Moerl. reperitur, et a Baunio, Patarolo, Cellarioque iam fuit receptum. *Id.*

et quidem iam pridem auctoritate perſcripta, quamuis tum pleno firmata ſit conſilio? Iam tunc enim caeleſtibus ſuffragiis ad ſalutem rei publicae uocabaris, cum ad tempus ipſum, quo pater in Britanniam transfretabat, claſſi, iam uela facienti, repentinus tuus aduentus illuxit: ut non aduectus curſu publico, ſed diuino quodam aduolaſſe curriculo uidereris.

VIII. Non enim ulla Perſarum, Cydonumue tela

VII, 4. *auctoritate praeſcripta, quamuis tum* etc.) Id eſt, irreuocabilis quaſi praeſcriptionis iure. B.

Non miror, Baunium parum feliciter uerſatum eſſe in explicando loco, qui leui medicina indiget. Eam uero adferunt codd. Gud. Put. et Moerl. in quibus legitur: *auctoritate perſcripta.* In conſilio deorum, tamquam ſenatu, ante aduentum Conſtantii, non aderat legitimus quaſi et plenus ſenatorum numerus, ideoque ſententia eorum auctoritate tantum perſcripta ſ. ſenatus auctoritas perſcripta fuit; accedente autem Conſtantio, conſilioque tum pleno, ſententia illa ueluti ſenatus-conſulto firmata eſt. Vocem *perſcribere* in hac re proprie uſurpari, multis probat Manutius, ad Cic. ep. ad div. 1,2, 11. p. 27. ed. Graev. et facile fieri poſſe, ut *perſcribere* et *praeſcribere* confundantur, nemo ignorat. Non dubitaui itaque, in contextum recipere hanc lectionem, probatam etiam Puteano. In ſequentibus uerbis uariat ſcriptura. Rhen. Steph. Liv. habent *quae tum pl.* in Lang. Cuſp. et Schonhov. eſt: *quamuis pleno;* in cod. Liv. et Bert. quibus et accedit Moerl. *quamuis tum pleno*; quod recte ſecuti ſunt Pariſ. Pat. et Cellar. *Iaeg.*

VII, 5. *caeleſtibus ſignis ſuffragiis*) Sic Rhen. Steph. Liv. Verum importuna iſta uox *ſignis*, quae ſine dubio ex margine in contextum irrepſit, abeſt a cod. Liv. Bert. Put. Moerl. et Cuſp. poſterioribusque edd. eamque abeſſe debere, et Liv. et Acidal. recte iudicarunt. Hic porro, in ſequentibus, pro *curſu* legendum eſſe ſuſpicatur *curru*; pro *transfretabat* in Mſ. Moerl. uitioſe legitur *transferebat.* *Id.*

VIII, 1. *Cydonumue tela*) Cretae populus Κύδωνες, *Cydones*, ut Strabo, l. 10. refert; quorum oppidum *Cydonia*

tela tam certis iactibus destinata fixerunt, quam tempestiuus patri tuo, terras relicturo, comes adfuisti; omnesque illius curas, quas praesaga et tacita mente uoluebat, praesentiae tuae securitate
2 laxasti. Dii boni, quanta Constantium Pium etiam in excessu suo felicitate donastis! Imperator, transitum facturus in caelum, uidit, quem relinquebat heredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemtus, uniuersus in te consensit exercitus, te omnium mentes, oculique signarunt; et, quamquam tu ad seniores principes de summa rei publicae quid fieri placeret retulisses, praeuenerunt tamen studio, quod illi mox iudicio probauerunt.

donia, Cydonea et *Cydon* uocabatur. Arundinem illa regio fert telis aptissimam, unde Virgilio sunt eclog. 10, 59. *Cydonia spicula*: Silio 10, 261. *Cydonea uiolatus arundine.* C.

VIII, 1. *certis iactibus* etc.) Mss. Moerl. exhibet *certis ictibus.* Pro *fixerunt* Rittershusius malit *fixerint*; praeter necessitatem; significat enim: *umquam fixerunt* aut *figere solent*; quae significatio temporis praeteriti, ut apud Graecos indefiniti, in Latinis scriptoribus haud raro obseruatur, et frequentissima est in scriptis Senecae Philosophi. Sic v. g. de Constant. Sapient. c. 11. *Pueri os parentum feriunt, et crines matris turbauit, lacerauitque infans, et sputo adspersit, aut nudauit in conspectu suorum tegenda, et uerbis obscenis non pepercit; et nihil horum contumeliam dicimus.* Porro, loco τοῦ *adfuisti*, cod. Bert. habet *aduenisti.* *Iaeg.*

VIII, 2. *in te consensit exercitus*) Rhen. Steph. Liv. *consedit*, Cod. Gud. Liv. et Bert. *conscendit*, Moerl. *conscendet*, Lang. Cusp. et Schonhov. *consensit*, quod uerum esse censet Liuineius; ita tamen, ut etiam scripturam aliorum cum fide repraesentandam sibi esse credat, etsi ex ea nihil exsculpere se posse fateatur. Nostram hanc lectionem etiam exhibent cum Parisiensibus Cellarius et Patarol. *Id.*

VIII, 2. *tu ad seniores principes*) v. h. paneg. 1, 4. et antecedentis c. 5, 3. *Id.*

uerunt. Purpuram ſtatim tibi, cum primum copiam 3
tui fecit egreſſus, milites, utilitati publicae magis
quam tuis adfectibus ſeruientes, iniecere lacri-
manti. Neque enim fas erat, diutius fleri princi-
pem conſecratum. Diceris etiam, Imperator in- 4
uicte, ardorem illum te depoſcentis exercitus fu-
gere conatus equum calcaribus incitaſſe. Quod
quidem, ut uerum audias, adoleſcentiae errore fa-
ciebas. Quis enim te Cyllarus, aut Arion poſ- 5
ſet eripere, quem ſequebatur imperium? Illa, in-
quam, illa maieſtas, quae Iouis ſubiecta nutu,
nec

VIII, 3. *cum primus*) Ita Rhen. Steph. Liv. Pariſ. Pat. Cellar. habent. *cum primo* Cuſp. et Schonhov. in ora Rhen. *cum primum* Put. eiusque comes Moerl. quod praefero. In ſeq. pro *fas erat* idem Moerl. *fas eſt*. *Id.*

VIII, 5. *Quis enim te Cyllarus aut Arion*) pernicium equorum exempla; Cyllarus quidem Caſtoris aut Pollucis; Arion, Ἀρείων, Herculis et poſtea Adraſti. Virgil. Georg. 3, 89.

Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

Et Valerius Flaccus, 1, 425.

Vectorem pauidne Caſtor dum quaereret Helles,
Paſſus Amyclaea pingueſcere Cyllaron herba.

Propertius 2, 25, 37.

Qualis et Adraſti fuerit uocalis Arion.

Tzetzes ad Heſiodi Scut. Herc. v. 120. Ἀρείων ἵππος, ᾧ ἐπεχούμενος Ἀδρασὸς ἐν ταῖς Θήβαις ἐξέφυγεν. Ἀρείων ἵππος Ἡρακλέους. Adde Pauſaniam Arcad. c. 25. Apollodorum, 3, 6. extr. C.

VIII, 5. *Iouis ſubiecta nutu*) Mſ. Gud. uitioſe: *boni ſubrata nutu*. Acidalius legi iubet *ſubuecta*; idque recepit Cellarius. Sed illud, quod omnes ſcripti et edd. habent, non ſollicitandum uidetur; nec ſcio, cur *ſubuehere alicui maieſtatem* facilius ferri queat, quam *ſubiicere*; quod h. l. idem eſt, quod *adferre, dare, adponere*. Ouid. Met. 7, 304.

Spes eſt uirginibus Pelia ſubiecta creatis.

Idem Met. 13, 717 ſq.

— — *Nati*

nec Iridi, deûm nuntiae, ſed pinnis commiſſa Victoriae, tam facile te comitata eſt, quam cito
6 ad terras caelo miſſa perueniunt. Sic modeſtiam tuam atque pietatem et differendi imperii conatus oſtendit, et rei publicae feliçitas uicit.

IX. O fortunata, et nunc omnibus beatior terris, Britannia, quae Conſtantinum Caeſarem pri-
2 ma uidiſti! Merito te omnibus caeli ac ſoli bonis natura donauit, in qua nec rigor eſt nimius hiemis, nec ardor aeſtatis, in qua ſegetum tanta fecunditas, ut muneribus utriſque ſufficiat, et Cereris

— — — *Nati rege Moloſſo*
Irrita ſubiectis fugere incendia pennis.

Iouis itaque, cuncta ſupercilio mouentis, nutu, (in quo ipſo ineſt maieſtas,) data eſt et adiuncta Conſtantino maieſtas et dignitas imperatoria. De *maieſtate* v. Salmaſ. ad Trebell. Gallien. c. 14, p. m. 228. *Iaeg.*

VIII, 5. *ſed prius commiſſa uictoriae*) Sic edd. omnes, praeter Cellar. in qua legitur *ſed ipſi comm. Vict.* quod neſcio unde ſit petitum. Cod. Bert. et Put. exhibent *pinis*, Moerl. et Gud. adcurate *pinnis*, quod uerum eſſe facile liquet. Victoriam pinnatam fingi quis neſcit? v. Paneg. Nazar. c. 32, 4. et Pacat. c. 39, 1. *Id.*

VIII, 5. *te comitata eſt*) Bert. habet *continuata eſt*, quod Ritterhuſ. et Acidalius probant, et idem, quod *ſequi*, eſſe contendunt. At lectionem iſtam Bert. ut ineptam, ſpreuit Liuineius, licet *continari* uel *continuari*, pro *comitari*, *ſequi*, apud Symmachum, ep. 1, 53. legatur. *Id.*

VIII, 5. *cito ad terras caelo miſſa perueniunt*) cf. Paneg. VII, Eumenii, Flauienſ. nomine, c. 10, 2. *Id.*

IX, 1. *prima uidiſti*) v. paneg. 5. c. 4. ſ. 3. Mſ. Moerl. praefert: *praeuidiſti*. *Iaeg.*

IX, 2. *rigor eſt nimius hiemis*) Rhen. et Steph. *nimis hiemis*. Acidalius putat, hunc errorem ab haeſitatione librarii ortum eſſe, et, eiecta uoce *nimis*, legi iubet *rigor eſt hiemis*. Verum illud *nimius* reperitur in ed. Cuſp. Liuin. et poſterioribus, et in cod. Put. et Moerl. et adſcriptum eſt in margine ed. Rhen. a Schonhouio. *Id.*

IX, 2. *muneribus utrisque*) Rhen. Steph. Liv. *utriusque*. Verum

reris et Liberi, in qua nemora ſine immanibus beſtiis, terra ſine ſerpentibus noxiis; contra pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte diſtenta, et onuſta uelleribus; certe quidem, propter quod uita diligitur, longiſſimae dies, et nullae ſine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planities non attollit umbras, noctiſque metam caeli et ſiderum tranſit adſpectus: ut ſol ipſe, qui nobis uidetur occidere, ibi adpareat praeterire. Dii boni, quid hoc eſt, quod ſemper ex aliquo ſupremo fine mundi noua deum numina, uniuerſo orbi colenda, deſcendunt? Sic Mercurius a Nilo, cuius fluminis origo neſcitur, ſic Liber ab Indis,

Verum *utrisque* eſt in codd. Liv. Bert. Schonhov. Pat. Moerl. et edd. Cuſp. Pariſ. Pat. et Cellar. *Id.*

IX, 3. *propter quod uita diligitur, longiſſimae dies*) Rhen. Steph. Liv. *certe, quod propter uitam diligitur.* „Obſcura ſententia, inquit „Liuineius, et libri uariant, „in queis optimi meus et „Bert. referunt, *certe quidem propter uita diligitur*, „nullo omnino ſenſu. Egre„gie eſt in Cuſp. *certe quidem, quod propter uita diligitur* etc. Ait, caram et „iucundam eſſe uitam diei „ac luminis cauſſa, φυσικώτατα. Quae eſt enim ſine luce et tamquam in Cimmeriis tenebris gratia, uoluptasque uiuendi? Id adeo de ſe aeſtimet quisque.„ Haec ille. Lectionem Cuſp. ſequuntur Pariſienſis prior, Pat. et Cellar. Baunius uero *certe quidem, propter quod u. d.* ut in ora ed. Frob. notauit Schonhov. et probauit etiam Puteanus, qui teſtatur, in Pulm. legi: *certe quidem, quod uita diligitur.* Gud. et Moerl. mendoſe: *c. quid. propter uitam dil.* Porro, *longiſſimae dies*, ſine ulla ſcripturae uarietate, inueniitur in omnibus, contra Grammaticorum praecepta et Latinitatis exempla. Voſſius quidem, de Analog. I, 28. in f. adfert locum Tullii, ex orat. pro Cn. Plancio, c. 41. *o reliquas omnes dies* etc. Sed ibi in melioribus libris legitur: *o reliquos omnes dies.* Ceterum, de Britannia v. not. ſupra ad c. 7, 2. *Id.*

prope conſciis ſolis orientis, deos ſe gentibus
5 oſtendere praeſentes. Sacratiora ſunt profecto mediterraneis loca uicina caelo, et inde propius a diis mittitur imperator, ubi terra finitur.

X. Imperatoris igitur filius, et tanti imperatoris, et ipſe tam feliciter adeptus imperium, quomodo rem publicam uindicare coepiſti? Ignobilem, credo, aliquam barbarorum manum, quae repentino impetu et improuiſo latrocinio ortus tui auſpicia tentaſſet, adfeciſti poena temeritatis.
2 Reges ipſos Franciae, qui, per abſentiam patris tui, pacem uiolauerant, non dubitaſti ultimis punire cruciatibus; nihil ueritus gentis illius odia
3 perpetua et inexpiabiles iras. Cur enim ullam reputet

IX, 5. *Sacratiora mediterraneis loca uicina caelo)* Viciniora caelo dicit litora Oceani, tamquam ultima terrarum, quibus caelum innitatur: ex uulgi opinione, qua terrarum orbem ut diſcum concipit, in extremitate caelo undique cohaerentem. Quod appendix noſtrae Geographiae antiquae exemplis pluribus illuſtrauit. C.

X, 1. *Ignobilem, credo, aliquam barbarorum manum repentino impetu et improuiſo latrocinio ortus tui auſpicia tentaſſe. Affeciſti poena temeritatis reges ipſos Franciae)* Omnibus examinatis diſtinguendum, reſcribendumque uiſum: *auſpicia tentantem affeciſti poena temeritatis. Reges ipſos Franciae* etc. At, minutos quosdam perduelles perſecutus es primis tuis auſpiciis. Minime, inquit; ſed in Francorum regg. ſtatim inuectus es. G.

Hanc emendationem Gruteri egregie confirmant codd. Put. et Moerl. quorum interpunctionem et lectionem, a Gruteri coniectura non multum diuerſam, re ipſa ſuadente, ceteris praetuli, adeoque in contextum recepi. *Iaeg.*

X, 2. *Reges ipſos Franciae)* qui cap. ſeq. 11. ſ. 6. nominatim notati ſunt. C.

X, 2. *odia perpetua) perpetua* eſt in Bert. Schonhov. Put. Moerl. et edd. Pariſ. Cell. Pat. reliqui illud omittunt. *Iaeg.*

reputet iuſtae ſeueritatis offenſam imperator, qui, quod fecit, tueri poteſt? Tuta clementia eſt, quae parcit inimicis, et ſibi magis proſpicit, quam ignoſcit. Te uero, Conſtantine, quantumlibet 4 oderint hoſtes, dum perhorreſcant. Haec eſt enim uera uirtus, ut non ament, et quieſcant. Cautior licet ſit, qui deuinctos habet uenia perduelles, fortior tamen eſt, qui calcat iratos. Renouaſti, Imperator, ueterem illam Romani 5 imperii fiduciam, quae de captis hoſtium ducibus uindictam morte ſumebat. Tunc enim captiui 6

X. 3. *Tua clementia eſt*) Sic forte legendus hic locus: *Stulta clementia eſt, quae parcit inimicis, et ſibi magis proſpicit, qui ignoſcit.* Priorem uocis *ſtulta* ſyllabam praecedentis dictionis poſterior ſyllaba abſorpſit. P.

Lege: *ſtulta clementia eſt, q. p. i. nec ſibi* etc. A.

Fortaſſe *ſua clementia eſt. Schonh.*

Non poſſum eis accedere, quibus libet reponere *ſtulta cl. eſt, quae par. in. nec ſibi* etc. eſt enim directe contra mentem Panegyriſtae. Sed neque diuinationi illi *ſua* eſt ratio. Placet mihi adhuc, quod dudum poſui in ſuſpicionum nugis, *tuta clementia eſt*, etc. confirmauique idem pluribus argumentis ad Tacit. Hiſtor. 1, 72. v. quoque Iuſtin. 11, 21. G.

Indubie rectum eſt *tuta*, i. e. cauta et prouida. Infra mox: *Cautior licet ſit, qui deuinctos habet uenia perduelles* etc. Iterum: *Hoc eſt, Imperator, non pacem emere parcendo, ſed uictoriam quaerere prouocando. L.*

Secutus exemplum Cellarii et Pataroli *tuta* in contextum admiſi. *Iaeg.*

X, 4. *quantumlibet oderint hoſtes*, etc.) Tragicum, *oderint, dum metuant*, quo C. Caeſar Caligula aduerſus ciues uſus erat, Sueton. c. 30. noſter in Conſtantino rectius ad hoſtes adplicauit. C.

X, 4. *per ueniam*) Sic plerique: at rectius Cuſp. Schonhov. Gud. Moerl. *uenia*, cuius illud interpretamentum eſſe uidetur. *Iaeg.*

X, 6. *Tunc enim captiui reges* etc.) Cic. in Verr. 5, 30. *At etiam qui triumphant, eoque*

reges, cum a portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simulatque in Capitolium currum flectere coeperat imperator, abrepti
7 in carcerem, necabantur. Vnus Persés, ipso Paullo, qui dedentem se acceperat, deprecante, legem illius seueritatis euasit. Ceteri omnes, in uinculis luce priuati, aliis regibus dedere documentum, ut mallent amicitiam colere Romanam, quam

eoque diutius uiuos hostium duces seruant, ut, his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum, fructumque uictoriae P. Rom. percipere possit; tamen cum de foro in Capitolium flectere currum incipiunt, illos duci in carcerem iubent: idemque dies et uictoribus imperii et uictis uitae finem facit. Id.

X, 7. *Vnus Persés* etc.) Hic locus, foede corruptus in Mſ. Gud. et ed. Cuſp. Rhen. Steph. in quibus legitur: *unus pro se ipso Paulo qui sedentem se acceperat*, optime emendatus est a Liuineio, qui *pro se*, auctoritate Lang. mutat in *Persés*, et pro *sedentem* ex uet. cod. suo, Bert. et Lang. reſcribit *dedentem*, a quo non ualde abludit Put. praeferens *decentem*; idem tamen, una cum Moerl. et Gud. omiſſa uoce *se* pro *acceperat* habet *susceperat*; minus bene. In ſequentibus poſt *Ceteri* inſerta eſt uox *omnes*, omiſſa in reliquis, ex cod. Liv. Bert. Cuſp. et pro *amicit. col. Romanorum*, iisdem libris auctoribus, poſitum *Romanam*. Editores ceteri, Liuineium ſecuti, locum hunc ita, ut nos, dederunt. In ed. Pataroli poſt *documentum* eſt τελεία σιγὴ, omiſſis uerbis *ut mallent — iustitiam*. Credo, errorem eſſe operarum; nam in translatione uerborum omiſſorum ſententiam exprimit. Ceterum loco huic illuſtrando Liuineius adiungit Plutarchum, in Aem. Paullo: τῷ δὲ Περσεῖ, καίπερ (f. οἰκτείρας) οἰκτεῖραι τὴν μεταβολὴν καὶ μᾶλλα βοηθῆσαι προθυμηθεὶς, οὐδὲν ἔυρετο, πλὴν μετασάσεως ἐκ τοῦ καλουμένου κάρκερος παρ' αὐτοῖς, εἰς τόπον καθαρὸν καὶ φιλανθρωποτέραν διαίταν. Id.

quam exaſperare iuſtitiam. Adeo et hoc boni 8
confert poena hoſtibus irrogata, ut non ſolum
inimici ferocire non audeant, ſed etiam amici
impenſius reuereantur.

XI. Inde eſt igitur, Imperator, pax iſta,
qua fruimur. Neque enim Rheni iam gurgitibus,
ſed nominis tui terrore, munimur. Quamlibet
ille aut arefcat aeſtu, aut reſiſtat gelu, neutro
hoſtis audebit uti uado. Nihil enim tam inſupe- 2
rabili uallo natura praecluſit, quod non penetret
audacia, cui aliqua conandi ſpes relinquatur. Ille
eſt inexpugnabilis murus, quem exſtruit fama uir-
tutis. Sciunt poſſe Franci tranſire Rhenum, 3
quos ad necem ſuam libenter admittas; ſed nec
uictoriam poſſunt ſperare, nec ueniam. Quid
ipſos maneat, ex regum ſuorum cruciatibus me-

 tiun-

X, 8. *reuereantur*) Cuſp. *te uer.* quod diſplicet Liuineio. *Id.*

XI, 2. *Nihil enim — — praecluſit* etc.) Mſ. Moerl. omittit τὸ *enim*, et, cum cod. Gud. Liv. et Bert. habet *praecludit*. In ſequentibus *fama uirtutis* pro *uirtuti*, ex coniectura et emendatione neceſſaria Liuineii et Acidalii, bene iam receptum eſt a Baunio. *Id.*

XI, 3. *Sciunt poſſe ſe Franci tranſire Rhenum*) Addidi *ſe*, ex ſuſpicione Liuineii. Ita enim ſenſus uidetur requirere. B. Schonhov. *Sciunt poſſe Franci tranſiri Rhenum.* Non male quidem; ſed ſine dubio a correctoris manu. Verior eſt ſcriptura edd. et codd. reliquorum, quam hic exhibemus. Nam penes Modum infinitum *me*, *te*, *ſe*, *illum*, *nos*, *uos* omitti ſolent. Terent. Heaut. 4, 1, 48. *Quid renuntiauit olim feciſſe?* ſc. *ſe*. Salluſt. Catil. 31, 7. *ea* (ſc. *ſe*) *familia ortum*; ad quem locum v. Cort. cf. Curt. 9, 1, 7, et 2, 15. et 4, 17. Quamuis itaque τὸ *ſe* ſenſus requirat, non tamen in contextum fuit recipiendum; ideoque receptum a Baunio delendum iudicaui. *Iacq.*

tiuntur, ideoque tantum abeſt, ut amnis illius tranſitum moliantur, magis ut coepto ponte de-
4 ſperent. Vbi nunc eſt illa ferocia? ubi ſemper infida

XI, 3, *magis ut comperta poteſtate deſperent.*) Ingens hic qua in ſcriptis, qua in editis uarietas, ſed quae ab uno fonte et origine, ut ita dicam, manarit. In cod. meo et Bert. lego, *coëmpta ponte*, iratis Orbilio et Grammaticis; in Cuſp. *coepto ponte*, in Rhen. *coëmpta poteſtate* et in margine *al. pace*. Suſpicor, in exemplari principe fuiſſe *compta põte*. Qua in ſcriptura oblitus ſit librarius, per imum p. lineolam traducere, hoc nimirum modo *p*. Id ueteribus libris *per* aut *par* ualet. Hoc compendium qui non adſecuti *e* interiecere, ut eſſet, *coëmpta*, de quo poſtea. Quod proximum eſt, de illo *põte*, conſtat, *põte* in ueteribus libris et *ponte* et *poteſtate* ualere. Igitur, (quod hoc opere rarum) litem ſecundum hanc noſtram lectionem do, addico, et *comperta poteſtate* expono, *comperto, tranſiri poſſe*. Oſtendi, quam praeferam; nunc reliquas confutabo. Qui *coëmpta* reſcripſerunt, (quae, meo animo, labes haud ſane nupera,) uellem, quid ad transeundi deſperationem faceret coëmpta facultas, expediſſent. Deinde, quis ſtupor, redimere, quod deſperes? Acceſſit (ſi DIs placet) Rhenanus, qui *al. pace* adnotaret. Audio, ſed ex antiqua formula res ſuas ſibi habere eum ſine inuidia iubeo, poſtquam ne id quidem ad deſperationem quidquam. Supereſt extrema, *coepto ponte*, quam a correctoribus eſſe paene eſt ut adſeuerem. Nam primum, non mihi poteſt eripi, quin *ponte* ex illo *põte*, h. e. *poteſtate*, ſit corruptum; et pons ille Agrippinenſis, opus Conſtantini, de quo infra, (eum enim intelligunt,) non Barbaris, ſed in Barbaros comparatus, neque hercule nudus et ſine praeſidio relictus. Prolixior fui, quam ſtatueram, ſed illuſtrem locum indictum praeterire non debui. L.

Legitur alias, *coëmpta poteſtate*, alias *coepto ponte deſperent*. Vtrumque mire ſugillat Liuineius: ſed non ita tamen, quin magis mihi placeat illud *coepto ponte*, quam uulgatum. At pons, inquit, a Conſtantino non barbaris, ſed in barbaros comparatus fuit. Adſentior; et hoc eſt, quod uult auctor, eos, audito, iniici pontem Rheno, animis ſtatim deiectos, ac, tantum abeſt ut molirentur tranſitum Rheni, deſperarent ſalutem propriam. Certe

infida mobilitas? Iam ne procul quidem Rhenum audetis accolere, et uix securi flumina interiora potatis. Contra hinc per interualla dispositа magis ornant limitem castella, quam protegunt.

Certe pontem nondum perfectum, liquet ex sequentibus, c. 13. tam initio, quam fine, ubi est: *ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui iam seruiunt inchoato.* G.

Acidalius pro *desperent* legit *deserant*, idque patere adfirmat ex sequentibus. Sed hoc nihili est, nec tollit difficultatem. Baunius haec uerba *comperta potestate* ita explicat: *ex quo intellexerunt, quid possis.* Sed multo melior uidetur expositio Liuineii. In Mſ. Moerl. legitur: *cotempta pote*, unde non facile sani quid potest extricari. Gud. *coemta pote.* Schonhov. notat: *coepto ponte*; uti Puteanus quoque legi iubet, et in Pulm. scriptum se inuenisse testatur. Cum his etiam facit Cellarius, lectionem hanc simpliciorem esse ceteris iudicans, quem sequor. *Iaeg.*

XI, 4. *audetis accolere*) Cusp. St. Liv. *attollere*; Mſ. Moerl. et Gud. *oculos audetis attollere*; uox *oculos* fine dubio a correctore, nescientе quid sibi uellet τὸ *attollere*, adiecta fuit. Schonhov. et Acidal. coniicit: *accolere*; et sic, teste Liuineio, habent schidae Langianae, quarum auctoritatem posteriores editores merito sunt secuti. In sequentibus loco τοῦ *petitis*, ut est in Rhen. et Steph. Liuineius, ex cod. suo, Bert. Lang. Cusp. quibus et Schonhov. Put. et Moerl. accedunt, restituit *potatis*, idque tuetur exemplo Virgil. Eclog. 1,63.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Et oraculo Pythio Megarensibus dato, apud Scholiast. Theocriti ad Idyll. 14.

Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμειγον,
Ἵπποι θρηϊκίαι, Λακεδαιμόνιαι δὲ γυναῖκες,
Ἄνδρες δ' οἱ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.

Quibus addi potest Horat. od. 2, 20, 20. *Rhodani potor*, et Claudian. in Eutrop. 2, 251. *Pro Rheno poturus Halyn.* Nimirum *potare* in hisce locis idem est, quod *accolere*; uti monet Cella-

Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, et toto noſtri greges flumine bicorni
6 merſantur. Haec eſt tua, Conſtantine, de Aſcarici, Regaiſique ſupplicio quotidiana atque aeterna uictoria, omnibus quondam ſecundis praeliis
7 anteponenda. Semel acie uincitur, ſine fine documento. Cladem ſuam, quamuis multi pereant, uulgus ignorat; compendium eſt deuincendorum hoſtium, duces ſuſtuliſſe.

XII.

Cellarius, addito inſuper loco Virgil. Aen. 7, 715.

Qui Tiberim, Fabarimque bibunt. Id.

XI, 5. *toto noſtri greges flumine bicorni merſantur.*) Sequor *merſantur*, (quod exhibent plurimi et optimi libri pro *uerſantur*, ut in aliis legitur; *Iaeg.*) Adluſum eſt enim ad Virg. Georg. 1. *Balanumque gregem fluuio merſare ſalubri*, *Toto* etiam, non *tuto*, quod in Lang. offendi, probo. Infra, *cum totus armatis nauibus Rhenus inſtructus ſit* etc. L.

Rheno merſantur. Virg. I. 8. extr.

——— *Rhenusque bicornis.*

Scilicet propter duplex oſtium, antequam tertium, Druſiana foſſa, adderetur. C.

XI, 6. *de Aſcarici, Regaiſique ſupplicio)* Haec eſt ſcriptura Lang. a qua non longe diſcedit Schonhov. *de Aſchariche Ragayſique ſuppl.* Ceteri exhibent monſtra uerborum, ſc. Cuſp. Rhen. Liv. *de Aſacari cinere Gaiſique ſuppl.* Put. *de Aſacari cumero Genſique*, Gud. *de Aſſaccari Cymero Craiſique*, Moerl. *de Aſacari Cymero Gaiſique.* Acidalius ad h. l. ita: Forte *Conſtantine Pie*, uel relicto *de.* Reliqua ex Nazarii Paneg. uidentur emendanda, ſi modo illic regum horum nomina ſatis recte perſcripta. Ibi ita eſt: *Tu ferociſſimis regibus, Aſcarico et Comite, captis tanta laude res bellicas auſpicatus es.* Nec refert tantum quod ait *captis.* Nam poſt de his ipſis, *quaſi geminos Dracones necares per ſaeuiſſimorum regum famoſa ſupplicia ludebas.* Ergo hic uideatur reponendum *Aſcarici nece Comitisque ſupplicio.* Haec ille. Aſt, ſatis probabiliter Liuineius putat, comiti illi Aſcarici nomen fuiſſe Regaiſi, adeoque palmarem correctionem uocat hanc lectionem noſtram, quam ed. Gruter. Baun. Pat. et Cellar. iam exhibuerunt. *Iaeg.*

XII. Vt tamen omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur, nec ſola hoſtes regum ſuorum ſupplicia maererent, etiam immiſſa Bructeris uaſtatione feciſti, Imperator inuicte. In 2
quo prima conſilii tui fuit ratio, quod exercitu repente traiecto inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres, ut qui palam congredi maluiſſes, ſed ut illa natio, perfugiis ſiluarum et paludium bellum ſolita fruſtrari, fugae tempus amitteret. Caeſi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quidquid fuit pecoris, captum, aut truci- 3
datum eſt. Vici omnes igne conſumti. Puberes, qui in manus uenerunt, quorum nec perfidia erat apta militiae, nec ferocia ſeruituti, ad poenas ſpectaculo dati, ſaeuientes beſtias multitudine ſua fatigarunt. Hoc eſt, Imperator, fretum eſſe 4

XII, 1. *nec ſola — feciſti)* Haec eſt lectio optimorum et plurimorum. Rh. St. Liv. habent: *nec hoſtes regum ſ. ſ. m. etiam immenſam B. uaſtationem feciſti*, ſenſu parum commodo. *Id.*

XII, 2. *non quo aperto Marte diffideres)* Liuineius permulta hic exempla adfert, in quibus *quo* ita poſitum eſt, ut *quod* uel *quaſi* ſignificet, quae, cum talia hodie nemo facile ignoret, non uiſum eſt transſcribere. His tamen non obſtantibus Gruterus, ſolius euphoniae cauſſa, ſine ulla auctoritate, praefert *non quod* a. *M.* eumque ſequitur Cellarius. Verum nimis ſuperbum uidetur hoc aurium iudicium. In ſequentibus pro *perfugiis* Moerl. habet *profugiis*, quae uox quamquam in uetuſtioribus operum Ciceronis exemplis aliquot locis occurrat, in accuratioribus tamen ceſſit τῷ *perfugiis*, adeoque nec hic admittenda eſt. *Id.*

XII, 3. *ad poenas ſpectaculo dati)* Inhumanus mos, captiuos beſtiis obiicere; aduerſus quem Prudentius in Symmach. 2, 1125.

Nullus in urbe cadat, cuius ſit poena uoluptas. C.

uirtute ſua atque fortuna, hoc eſt, non pacem emere parcendo, ſed uictoriam quaerere prouocando.

XIII. Inſuper etiam Agrippinenſi ponte faciundo reliquiis adflictae gentis inſultas, ne umquam metus ponat, ſemper horreat, ſemper ſupplices manus tendat, cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, et ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quoties uelis, in hoſticum tranſeundi: quippe cum totus armatis nauibus Rhenus inſtructus ſit, et ripis omnibus uſque ad
2 Oceanum diſpoſitus miles immineat. Sed pulchrum tibi uidetur, (et reuera pulcherrimum eſt,) ut Rhenus ille, non ſolum ſuperioribus locis, ubi aut latitudine uadoſus, aut uicinia fontis exiguus, ſed etiam ibi nouo ponte calcetur, ubi totus eſt, ubi iam plurimos hauſit amnes, quos hic noſter ingens fluuius, et barbarus Nicer, et Moenus inuexit,

XIII, 1. *Agrippinenſi ponte faciundo*) Ad Agrippinenſem coloniam pontem coeperat Rheno imponere, ut hoſtes terreret. *Faciundo* i. e. *coepto*, ut ſupra dixit, et *inchoato*, ut ſub fin. h. cap. quo a perfecto, qui non fuit, diſtinguit. *Id.*

XIII, 1. *in hoſticum*) ſic cod. Liv. Bert. Cuſp. Schonh. cum melioribus; ceteri *in hoſtem*. Mox pro *totus arm. nav.* in Moerl. legitur *tot arm. nav.* et l. 3. idem cod. *tō maxime* poſt *Conſtantine* omittit. *Iaeg.*

XIII, 2. *hic noſter ingens fluv.*) Adſentior Rhenano, cui ingens hic fluuius *Moſella* eſt, qui et adluit Treueros, ubi dicta haec laudatio, et ad Confluentes Rheno miſcetur. *Noſter* autem, i. e. Romanus, (ne quis erret,) cui contrarium *barbarus*. Nemeſianus Cynegetico:

Mox ueſtros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, Diui fortiſſima pignora Cari,

Atque

uexit, ubi iam immani meatu ferox, et aluei unius impatiens in ſua cornua geſtit excedere. Seruit 3 profecto, Conſtantine maxime, ipſa rerum natura numini tuo, cum in illa gurgitum altitudine tantarum molium fundamenta iaciuntur, fidam et ſtabilem firmitatem habitura. Iunxerit quondam 4 licet Helleſponti anguſtias claſſe connexa Perſarum rex potentiſſimus: temporarius ille tranſitus fuit. Simili nauium continuatione Baianum ſinum ſtrauerit ab Auguſto tertius Caeſar: delicata fuit illa uectatio principis otioſi. Hoc opus et diffi- 5 cile factu, et uſu futurum eſt ſempiternum. Certe quidem iam tibi in exordio ſui hoſtium mouit obſequia, qui pacem ſupplices petierunt, nobiliſſimos obſides obtulerunt. Ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi ſint, qui iam ſeruiunt inchoato.

XIV. Talibus te pro utilitate ac dignitate publica rebus intentum auerterunt in ſe noui motus

Atque canam noſtrum geminis ſub finibus orbis
Litus, et edomitas fraterno Numine gentes,
Quae Rhenum, Tigrimque colunt. L.

XIII, 4. *ab Auguſto tertius Caeſar*) Caligula. Sueton. c. 19. *Baiarum medium interuallum Puteolanas ad moles — ponte coniunxit, contractis undique onerariis nauibus.* B.

XIII, 5. *in exordio ſui*) Supple *imperii.* Id. Hoc quid ſibi uelit, equidem neſcire me fateor. Recte exponit Cellarius: „quum pons coepit fieri. „De ponte enim dicit, injtiis ſuis *obſequia* barbaro„rum *mouiſſe*, i. e. ad ob„ſequendum terrore illos „perduxiſſe:„ Ceterum, pro *tibi in exordio ſui* Rh. Steph. Liv. in contextu *ter in exordio ſuo*; noſtra uero lectio reliquorum omnium nititur auctoritate, nec poteſt cuiquam dubia videri. *Iaeg.*

XIV, 1. *auerterunt*) Ita Bert. Cuſp. Put. Moerl. Grut. Pariſ.

tus eius hominis, quem succeſſibus tuis maxime fauere decuiſſet. De quo ego quemadmodum dicam, adhuc ferme dubito, et de nutu numinis
2 tui exſpecto conſilium. Quamlibet enim merito pietatis tuae queſtibus arguatur, debet tamen ſibi uox priuata moderari, praeſertim cum eum, qui tibi ex tantis beneficiis tuis, et tanto neceſſitudinum fauore ingratus exſtiterit, adhuc contemplatio

Pariſ. Pat. Cellar. Reliqui *auertunt.* *Id.*

XIV, 1. *noui motus eius hominis*) Maximiani Herculei, genero ſuo Conſtantino inſidiantis, et ſollicitantis exercitum. Eutrop. 10, 2. Lactant. Mort. Perſec. c. 29. C.

XIV, 2. *uox priuata*) Sic, praeter Rh. Steph. Liv. qui mendoſe praeferunt *prima*, reliqui recte. Rh. in ora: *al. patria*, quod perinde ineptum eſt. *Iaeg.*

XIV, 2. *qui tibi*) Vox *tibi* deeſt in cod. Moerl. recte quidem, ut arbitror. Nam *ingratus*, cum *beneficii immemorem* ſignificat, non tertium caſum, ſed praepoſitiones *in*, *erga*, *aduerſus* cum quarto ſibi ſolet adſciſcere. *Id.*

XIV, 2. *ex tantis beneficiis tuis*) v. Infra, ſ. 6. h. cap. Proxime *neceſſitudinum*, h. e. ductae in matrimonium Fauſtae, eius filiae. In quo ipſo cum fauorem et beneficium ponit, blanditur ſcilicet Conſtantino. L.

XIV, 2. *et tanto neceſſitudinum fore ingratus extiterit adhuc contemplatui cogat ut quamuis irati reuereat.*) Haec eſt lectio Rh. St. Liv. Francof. Pariſ. Loco τοῦ *fore*, Rh. et Gruter. ſuſpicantur, legendum eſſe *iure*. Put. Gud. et Moerl. habent *fonte*, Lang. Cuſp. Schonhov. *fauore*, quod Cellarius ac Patarol probauere. Mox pro *exſtiterit* Moerl. *extiterat*, idemque porro una cum Gud. et Put. *adhuc contemplari cogat*, *ut quaſi ira referueat*. Rhen. locum mendoſum hunc in modum coniectura reſtituit: *iure ingr. exſtiterit, adhuc contemplari ui cogatur, quamuis iratum reuereatur.* Sic quoque Schonhov. Sed, „quid „hoc ſententiae? inquit Aci„dalius. Non capio. Con„iiciemus et nos, etſi uerum „uix tangemus: forte, *tanto „neceſſitud. iure* (*uel foedere*) „*ingr. exſt. adhuc clementia „tua tegat, quamuis iram re-*

„re-

platio tui cogat, ut, quamuis irati, reuereamur. Quid faciam igitur, ut tam profunda uulnera suspensa manu tractem? Vsurpabo nimirum illa communia omnium facinorum patrocinia, quae tamen plerumque etiam a sapientibus adseruntur, neminem hominem peccare nisi fato, et ipsa scelera

„*reatur.*„ Verum haec coniectura nimis longe a uestigiis scripturae recedit, eique adeo ipse Acidalius substituit meliorem, sc. *adhuc contemplatio tui cogat, ut quamuis irati reuereamur.* Confirmat hanc loco seq. paneg. *Nisi quod uestri contemplatione constabat de uictoria nobis posse dubitari.* Liuineius ex Lang. profert *adhuc contemplari cogamur, tuque quamuis iratus reuereare.* „Plane, inquit, et melius. Quis neget? sed in quo *contemplari* „meis auribus responset, cui „significationem idoneam „non inuenio. Mihi, si coniecturam admittimus, rescribi placeat, *adhuc contemplatio tui cogat, ut quamuis irati reuereantur. Reuereantur,* „inquam, κατὰ τὸ σημαινόμενον, ut Grammatici loquuntur, etsi praecessit *uox* „*priuata*„ in quo *priuati* continentur. Ante etiam *contemplatio tui* reposui, curte „in autographo fuisse *contemplo tui* leuiter suspicatus. „Atque ita Iurisconsulti *mutuam pecuniam dare alicuius* „*contemplatione, arborum* „*contemplatione fundum comparare*, et similia dixerunt.„ Haec Liuineius. In tanta lectionis et coniecturarum uarietate optimum uidetur, sequi Acidalium, a quo non multum diuersus abit Liuineius, itemque Cellarius, qui pro *contemplatio*, nescio qua de caussa, *contemplatione* exhibet. *Iaeg.*

XIV, 3. *ut tam profunda uulnera* etc.) Pacatus in Theodosium: *altorum uulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo.* *L.*

XIV, 3. *neminem hominem peccare nisi fato* etc.) Tangit hic Stoicos, qui, ut apud Eusebium legitur, Praepar. Euang. L. 6. p. 143. ed. Rob. Steph. δίκην ἀψύχων κινεῖσθαι ἡμᾶς τῇδε καὶ τῇδε ὑπό τινος ἔξωθεν δυνάμεως νευροσπαστουμένους εἰς τὸ ἐπ' ἀνάγκαις ἐθελῆσαι τάδε πρᾶξαι καὶ ἑλέσθαι παρὰ προαίρεσιν

lera mortalium actus esse fortunae, contra au-
4 tem deorum munera esse uirtutem. Gratulare, Constantine, naturae ac moribus tuis, quod te talem Constantius Pius genuerit, talem siderum decreta formarint, ut crudelis esse non possis.
5 Illum autem credo, cum, uenturus in lucem, optionem uitae, qua uteretur, acciperet, sortem incurrisse fugiendam, quae multis hominibus iniustum, et postremo ipsi uoluntarium fer-
6 ret exitium. Vt enim alia mittam, hoc ipsum nonne fati necessitas tulit, ut ille pietati tuae hanc referret uicem, quem tu ab Vrbe pulsum, ab

ρεσιν ἕτερα docebant. Virtutem uero Deorum munus esse, nec natura, nec exercitatione parari, Platonis sententia fuit, non Stoicorum, qui illam hominum studio posse parari credebant. Diogen. Laert. in vita Zenon. 7, 1, 54. ὅτι δὲ διδακτή ἐστι, (sc. ἡ ἀρετὴ,) δῆλον ἐκ τοῦ γίνεσθαι ἀγαθοὺς ἐκ φαύλων. *Iaeg.*

XIV, 4. *Const. Pius genuerit*) Moerl. *genuerauerit*; et infra s. 6. pro *ille* habet *illi*; falso. *Id.*

XIV, 5. *illum autem non credo* etc.) Dele *non*. *A.*

Negationem sustuli post Acidalium, ut sensus sit: cum animo tuo abeundum fuit in mortale corpus, o Constantine, te talem siderum decreta formarunt, ut crudelis esse non possis: Maximiano uero illa sors obtigit, quae et ipsi et multis aliis exitio fuit. *Sortitio* autem illa ex Platonicorum doctrina sumta est. B.

Importunum illud *non*, licet plerosque libros insederit, Pataroli exemplum secutus, exesse iussi. De uoluntario Maximiani exitio Lactant. de Mort. Persec. 30, 5. ita: *Datur ei potestas liberae mortis*,

Ac nodum informis leti trabe nectit ab alta. *Iaeg.*

XIV, 6. *pietati tuae hanc referret uicem*) insidias et parricidium moliendo, quum Constantinus illum undique pulsum exceperat, quod munus fuit pietatis. C.

XIV, 6. *ab urbe pulsum*) Roma eiectum, ubi Maxentium filium ad priuatam uitam redigere, sibi sumta eius purpura, conatus: milites reniten-

ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum tuis prouinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti?

XV. Quid, oro, sibi uoluit? quid optauit? aut quid amplius adipiscereturhis, quae a te fuerat consecutus? cui tu summa et diuersissima bona, priuatum otium et regias opes, dederas, cui digredienti ad annulos sederas, cui impensius etiam,

nitentes, deturbantesque habuit. Eutrop. 10, 2, 7. *Id.*

XIV, 6. *ab Illyrico repudiatum*) Quum per litteras Diocletianum, Salonis agentem, hortatus est, ut depositam resumeret potestatem, Eutrop. 10, 2, 5. *Id.*

XIV, 6. *palatio recepisti.*) Sic plures et meliores, pro *cepisti*, uti legitur in Rh. St. Liv. *Iaeg.*

XV, 1. *Quid, oro, sibi uoluit*) His uerbis ipse usus est Constantinus, teste Laetantio, l. c. cap. 29, 7. *Accedit propius Imperator, et in muro adstantem adloquitur, non aspere, nec hostiliter, sed rogat: quid sibi uoluisset?* etc. *Iaeg.*

XV. 1. *quid optauit? aut quid* etc.) Notanda hic est uarietas lectionis in Cod. Moerl. *Quid, oro, sibi uoluit, quod optauit, ut quid amplius adipiscereturiis — consecutus? quin tu etc.* Gud. *ut quid amplius adipiscereti s.* Mox idem *quin* pro *cui.* Sed nihil mutandum. *Iaeg.*

XV, 1. *ad annula foederas)* (Sic Liv. Francof. et Paris. prior.) Hoc quid sit, ne Pythius quidem dixerit. Ceteri omnes libri exhibent *ad annulos* s. *anulos federas;* aeque obscure, sed quod exponeret amicus, uir doctus, *sinister federas,* a consuetudine, qua ueterum Graecorum, qua Romanorum, qui annulum habuere in digito sinistrae manus, qui minimo est proximus, ut Gellius 10, 10. ac Macrobius ex eo Saturn. 7, 13. prodiderunt. Quod equidem nec refutem, nec sane laudem. Nam et longius petitum est et exemplum eius phraseos desiderem. Calide etiam adolescenti, (*Is. Pontano,*) qui Macrobium nuper edidit, *ad annulos haesteras* rescriptum, et acceptum ut esset, *comes aderas.* Sic enim in notis ad 2, 10. Quod nihil attinet coarguere. Ceterum uir eruditus, qui *ad mulos* olim correxit, (*Lipsius Epist. Quaest.* 3, 24.) non mihi persuadeo fuisse, ut sibi ipse satisfaceret. Cui enim probet, *ad mulos sedere* id esse,

etiam, quam tibi, occurrere obſequia noſtra mandaueras,

eſſe, honoris deferendi cauſſa mulis adequitare ei, qui curru uehatur? Mihi uelut quarto pedato (ut ſymbolam quoque conferam,) in mentem uenerat ſuſpicari, latere in his nomen aliquod loci, quo Conſtantinus Herculeum digredientem in Galliam Narbonenſem pro officio comitatus ſit, quod nunc quidem in lucem non educo. Tu uideſis, mi lector, et huic (ut ita dixerim) lampadi ſuccede. L.

Manifeſta corruptio. Dubia et uaria medicina. Mercurialis, *digredienti annulos dederas*: Quomodo, credo, et Lipſius, qui et habet neſcio quid de *mulis*. Caeſar Baronius in Annal. Eccleſiaſt. uulgatum *ad annulos ſederas* retinet, et *annulos* interpretatur, ad quos in parietibus defixos equi aut iumenta alia deligantur. Quaſi Conſtantinus deſederit ad illos annulos, uſque dum equum adſcenderet Maximinus. O Criticum! Coniiciam ego quoque, ſed pari uenia F. *Cui digredienti adambulo haeſeras*. Quod ſane magnae humanitatis in principe uiro. *Adambulo* ut *Anteambulo*. *Adambulandi* uerbum nobis commendatum in Suet. Tiber. 25. A.

Codd. Put. Gud. et Moerl. habent *anulos dederas*. Etſi ea, quam cum Cuſp. Rh. Steph. Grut. Baun. Cell. Pat. damus, lectio non uacat difficultate, meliorem tamen eſſe aliis liquido apparet. Liuineii coniectura nimis ſoluta eſt et incerta, nec quidquam ex illa conficitur. Merito etiam diſplicet *adambulo* Acidalii, qui in Suet. Tib. c. 25. nullum inuenit praeſidium; ibi enim *obambulans* legitur: Apuleii tamen auctoritate tuum eſt *adambulandi* uerbum eo, quo hic accipiendum eſt, ſignificatu, ſc. ut idem ſit ac *comitari eundo pedibus*. Ille enim Metam. 8. p. 213. ed. Elmenh. lin. 35. ſqq. *iuuenis — — circumgeſtantibus Deam — adambulabat*. Alias ſignificat *accedere*, ut Plaut. Bacchid. 4. 5, 8. Nec feliciores ſunt *muli* Lipſiani, ut iam Liuin. et Acidal. uiderunt. Et *ſedere ad mulos* qua ratione idem eſſe poſſit ac *ſedere curulibus mulis* (haec enim Lipſii eſt explicatio) equidem non expedio. Verum Lipſius ipſe tantum abeſt ut multum huic coniecturae tribuerit, ut potius nugas ſe loqui ſit confeſſus. Scriptura Mercurial. Put. Moerl. commodo ſenſu nobis carere uidetur; Iuretus tamen ſic legi debere coniecit, eamque coniecturam fide cod. Pithoeani confirma-

daueras, cuius omnibus iuſſis ſic ſtatueras obedire, ut penes te habitus, penes illum poteſtas eſſet imperii. Quisnam ille tantus fuit, non ardor po- 2
tentiae, (quid enim te imperante non poſſet?) ſed error iam deſipientis aetatis, ut, tot natus annos, grauiſſimas curas et bellum ciuile ſuſciperet? Nullis, ut res eſt, muneribus fortunae explentur, 3
quorum cupiditates ratio non terminat; atque ita eos felicitas ingrata ſubterfluit, ut ſemper pleni

Cc ſpe-

firmatam reperit. Probat eam quoque Patarol; ſed nimium friget ſententia. Relinquitur itaque, ut, dum adferantur meliora, amplectamur lectionem codd. ſuffragio munitam et quadamtenus explicabilem. Siniſtrum quidem latus dextro fuiſſe dignius et nobilius tradidit G. Longus, de Annul. Signator. c. 9. p. m. 76 ſqq. itemque Io. Goropius; ſed hunc Lipſius Elect. 2, 2. refutat, omnemque opinioni huic ſpeciem adimit. Verum eſt, non reperiri exemplum huius phraſeos: *ſed quam multa*, (inquit Gruterus ad h. l.) *exſtant apud auctores*, (addo *praecipue ſequioris aetatis*,) *quibus haud facile inuenias fratrem geminum germanum?* Addenda eſt, quam paene praetermiſi, coniectura Baunii, qui ex uerbis *ad annulo foederas* exſculpit „*te ad aram* „*annulo foederaueras*, ſeu „quando foedus cum eo in„iſti, ſeu cum eius filiam in „uxorem accepiſti. Duplex „haec enim, ait, obtinebat „apud Romanos conſuetu„do.„ Talia multis confutare nihil attinet. Vix quidquam poteſt infelicius excogitari. *Iaeg.*

XV, 2. *tot natus annos*) Mſſ. Moerl. et Gud. *tot iam nat. annos.* *Id.*

XV, 3. *felicitas ingrata*) Noue *ingrata*, ut apparet, pro *cui grati non ſunt, qui eius compotes.* L.

Ingrata eſt felicitas eorum, qui bona ſua non norunt, nec iis delectantur, nec adeo gratiam Diis habent. Hic ſignificatus nouus haberi non poteſt. *Iaeg.*

XV, 3. *pleni ſperum*) Ἀφχαϊζει; nam *ſperum* et *ſperibus* antiqui inflexerunt. Nonius in *ſperem.* L.

In Cuip. Rh. Steph. et textu Liuin. legitur *ſpei*; *ſperum* eſt ex cod. Liv. et Bert. quos

ſperum, uacui commodorum, praeſentibus care-
4 ant, dum futura proſpectant. At enim diuinum illum uirum, qui primus imperium et participauit et poſuit, conſilii et facti ſui non poenitet, nec amiſiſſe ſe putat, quod ſponte transcripſit.
5 Felix beatusque uere, quem ueſtra, tantorum principum, colunt obſequia priuatum. Sed et ille multiiugo fultus imperio, et ueſtro tegitur laetus umbraculo, quos ſcit ex ſua ſtirpe creuiſſe,
6 et glorias ueſtras ſibi iuſte uindicat. Hunc ergo illum

quos reliqui ſequuntur. Archaiſmus eſt, ſi a *ſperes* ducas. Sed tunc potius *ſperium* legeretur. Malim itaque habere pro genit. plur. uocis *ſpes*, quae πλησυντικῶς apud Ciceronem et optimum quemque ſaepius reperitur. *Iaeg.*

XV, 4. *diuinum illum uirum*) Diocletianum, qui Salonae, ubi priuatus uiuebat, per litteras a Maximiano ad reſumendum imperium inuitatus: *Vtinam*, inquit, *Salonae poſſetis uiſere olera noſtris manibus inſtituta; profecto numquam iſtud tentandum iudicaretis.* B.

XV, 5. *ueſtra tantorum principum*) Galerii et Conſtantini obſequia ſenem Dioclctianum colebant. C.

XV, 5. *Sed et ille multiiugo — uindicat.*) Transponenda haec credo, *et ueſtro tegitur laetus umbraculo, et glorias ueſtras ſibi iuſte uindicat, quos ſcit e ſua ſtirpe creuiſſe. Hunc ergo illum etc.* Non aliter aequabilis oratio. A.

XV, 5. *ex ſua ſtirpe*) Per adoptionem. Nam Maximiano Herculeo ad imperii ſocietatem adſcito Galerium quoque Maximianum Caeſarem creauit, a quo deinceps Seuerus, Maximinus, Licinius adſumti. Herculeus uero et ipſe Caeſarem Conſtantium dixit, qui decedens Conſtantinum filium ſuffecit. L.

Ex magno conſenſu habent libri ſcripti et editi, pro uitioſo *et*, quod in textu Rh. St. et Liv. legitur. *Iaeg.*

XV, 6. *Hunc ergo illum* etc.) Diocletianum *paduit*, Herculeum, quem ipſe olim fratrem et Auguſtum adſciuerat, quum ille nunc repeteret imperium, *imitari.* C.

Lectio,

illum, qui ab illo fuerat frater adſcitus, puduit imitari; huic illum in Capitolini Iouis templo iuraſſe poenituit. Non mirum, quod etiam genero peierauit.

XVI. Haec eſt fides, haec religio Palatini ſacrarii deuota penetralibus, ut lente et cunctanter, iam ſcilicet cum illis belli conſiliis, itinere confecto, conſumtis copiis manſionum, ne quis conſequi poſſet exercitus, repente intra parietes conſideret purpuratus, et bis depoſitum tertio

Lectio, quam hic damus, in omnibus, quos conſulere potui, libris reperitur, excepto Liv. exemplo, quod uitioſe *Hunc ergo illum, quae ab illo fuerat fratre adſc.* exhibet. Verum ipſe Liuineius et in ſuo ſe codice inueniſſe *frater* teſtatur, et in notis recte ſic ſcribi monet. *Iaeg.*

XV, 6. *huic illum in Capitol. Iouis templo*) Cuſp. mendoſe *huic illum ne C. I. t.* Rh. St. Liv. *huic illum et C. I. t.* Schonhov. *huic illumine Capitolini* etc. monſtroſe quidem, ſed tamen ita, ut uera reliquorum ſcriptura, quam noſter contextus oſtendit, facile transluceat. *Id.*

XV, 6. *iuraſſe poenituit.*) Herculeum poenituit, Dioeletiano iuraſſe de abdicatione imperii. C.

XV, 6. *Non mirum, quod etiam g. p.*) cod. Liv. *non miror*; ſic etiam Cuſp. et Schonhov. qui inſuper *iam* poſt *etiam* intrudunt, ex uitioſa repetitione ultimarum litterarum. Melius in Mſ. Moerl. et Gud. *non miror, quod et g. p.* *Iaeg.*

XVI, 1. *Haec eſt fides* etc.) Ironia, perfidiam Maximiani Herculei perſtringens. C.

XVI, 1. *cum illis*) Haec uerba deſunt in Mſ. Moerl. *Iaeg.*

XVI, 1. *copiis manſionum*) commeatibus et annona. L.

XVI, 1. *intra parietes conſideret purpuratus*) Herculeus uidelicet, genero Conſtantino doloſe aduerſus barbaros proficiſci iuſſo, in palatio Arelatenſi reſumſerat imperium. v. c. 18. C.

XVI, 1. *bis depoſitum*) Primum Mediolani, ubi Dioeletiani, quem patris loco habebat, exemplo et auctoritate inductus depoſuit purpuram. Tum reſumtum imperium iterum Treueris abdicauit. Ac tandem tertio uſurpauit imperium. B.

uſurparet imperium, litteras ad ſollicitandos exercitus mitteret, fidem militum praemiorum oſtentatione turbare tentaret; ſecure ſcilicet uſurus exercitu, quem uenales manus habere docuiſſet.
2 Quo quidem illius errore declaratum eſt, Imperator, quantus te militum tuorum amor complecteretur, qui te omnibus donis, quae ille promiſerat, omnibus honorum oblationibus praetule-
3 runt. Rara illa uirtus continentiae, uix a paucis ſapientiae praeceptoribus, tamen aliquando, ſeruata, propter te, Conſtantine, omnium hominum eſt facta communis; nec ſolum hi, quos ratio litterariae uitae, quiesque mitigauit, ſed etiam ille mili-

XVI, 1. *turbare tentaret;*) Quid, ſi *turbare* additicium hic? A.

Cod. Gud. cum Moerl. habet *turbaret*, omiſſa uoce *tentaret*. Satis recte. *Iaeg.*

XVI, 2. *Quo quidem illius)* Haec eſt ſcriptura plurimorum et optimorum, pro *Quid? quod illius err.* ut in ed. Rh. St. Liv. et *Quod quidem ill. e.* ut in Cuſp. uitioſe, ſed tamen proxime uerum, legitur. *Id.*

XVI, 3. *tamen aliquando)* Cuſp. Rh. St. Liv. *tantum aliquando;* uerum cod. Liv. Put. Moerl. cum edd. ceteris *tamen:* probe. *Id.*

XVI, 3. *omnium hominum eſt facta communis)* Liv. in textu *omnium hominum eſt ſcientia communis:* male; nec quisquam ex reliquis editoribus, quod quidem ſciam, cum illo facit. *Id.*

XVI, 3. *nec ſolum hi, quos — mitigauit)* Variant h. l. libri. Rh. et St. *nec ſolum his, quos literatae uitae quies* etc. Liv. *nec ſolum hi, quos litterae, uitae quies mit.* Cuſp. *nec ſolum his, quos rō* (ratio) *lr̄e, uitae quies m.* Eamdem uocem *ratio* agnoſcunt etiam codd. Liv. Bert. Lang. Put. *nec ſolum ii, quos ratio litterariae uitae, quiſque mitigauit:* forte *quiesque* addit Puteanus: atqui ſic habet aperte Gud. ac Moerl. In edd. Francof. Pariſ. Pat. et Cellar. *nec ſ. hi, quos ratio, literae, uitae q. m.* Sequor Put. et Moerl. quorum lectio ſine controuerſia ceteris elegantior eſt. *Litterae* ex compendio

militarium ardor animorum, reſpectu tui, lucra contemſit. Fuerint aliqui exercitus alacritate ac uiribus tuo ſimiles; tibi uni contigit, exercitum habere ſapientem. Multi olim fortaſſe praui duces, armis impares, largitione certarunt: ſed breuis eorum fuit et caduca popularitas, quos facile uicit, quiſquis imitatus eſt. Hic firmus, hic aeternus eſt rei publicae cuſtos, quem ipſum per ſe milites amant, cui non blandita, nec uendita ſeruit adulatio, ſed ſimplex et ſincera deuotio. Dona tua, Conſtantine, manifeſte ſunt grata militibus, ſed hoc gratiora, quod tua ſunt. Quaecumque porrigis, manu tua, fiunt acceptiora. Quam nemo poteſt tecum hac ambitione contendere! Inſuperabile genus eſt largitionis, cum ipſe militi praemium eſt imperator. Itaque tribuis tu quidem tuis exercitibus etiam plura, quam cupiunt, ſed tuum te magis nomen, tua de

4 5 6 7 8 9

pendio ſcripturae non recte intellecto pro *litterariae* irrepſit. *Id.*

XVI, 4. *Fuerint — tuo ſimiles)* Mſ. Moerl. *Fuerunt — tui ſim.* *Tui* etiam legitur in Rh. St. Cuſp. Liv. *tuis* Gud. Sed cod. Lang. cum reliquis edd. *tuo.* *Id.*

XVI, 5. *largitate certarunt:)* Sic Rh. St. Liv. Rectius ceteri omnes *largitione.* *Id.*

XVI, 8. *manu tua)* *tua* deeſt in Mſ. Moerl. Pro ſequentibus uerbis *Quam nemo* in Put. legitur *quoniam;* male. *Id.*

XVI, 9. *Itaque tribuis tu quidem tuis exerc.)* Cuſp. Rh. Steph. Liv. ordine uerborum paullulum mutato *tu tuis quidem*, quod neſcio an lectioni reliquorum ſit praeferendum: Put. et Moerl. *tu quid. exerc. tuis.* Cod. Bert. cum edd. ceteris ita, ut nos quoque exhibemus. Sed haec minutioris ſunt curae. *Id.*

memoria patris auctoritas, tuae aetatis gratia, tua denique iſta uenerabilis forma commendat.

XVII. Pulchrum enim, dii boni! et caeleſte miraculum imperator adoleſcens, in quo illa, quae iam ſumma eſt fortitudo, adhuc tamen creſcit: in quo hic fulgor oculorum, haec uenerandapariter et grata maieſtas praeſtringit ſimul et in-
2 uitat adſpectus. Talem magnum illum regem, talem Theſſalum uirum mente concipio, quorum ſumma uirtus pulchritudini coniuncta celebra-
3 tur. Non fruſtra enim doctiſſimi uiri dicunt: natu-

XVI, 9. *de memoria patris*) Praepoſitio *de* apud eius aetatis ſcriptores ferme ſumitur pro eo, quod eſt *propter*. Ita apud Tertullianum et Cyprianum ceterosque eius aeui ſcriptores. B.

Hoc ſignificatu *de* etiam a ſcriptoribus optimae aetatis frequenter adhibetur. v. c. Terent. Eun. 3, 2, 3. *Ecquid nos amas de fidicina iſtac?* ubi Donatus: *De*, propter; ut ſit, propter fidicinam. *Iaeg.*

XVI, 9. *tuae aetatis gratia*) Cuſp. Rh. Steph. Liv. et Mſ. Moerl. *tua aet. gr. Tuae* eſt in Bert. cuius lectionem edd. reliquae ſequuntur. *Id.*

XVII, 1. *praeſtringit*) Cuſp. Rh. Steph. Liv. et Mſ. Gud. *perſtringit*; melius cod. Liv. cum reliquis *praeſtringit*; ſiquidem, uti docet Cannegieterus ad Auian. Differt. p. 319. aliter *praeſtringi*, aliter *perſtringi* oculus dicitur: illud fit, cum ſplendore hebetatur; hoc, cum telo, rimam uel uulnus faciente, percutitur. cf. etiam Schwarz. ad Paneg. 2, 2, 1. *Id.*

XVII, 2. *magnum illum regem*) Alexandrum M. de cuius forma Plutarchus in Vita. C.

Liuineius intelligit Agamemnonem; minus probabiliter. *Iaeg.*

XVII, 2. *Theſſalum uirum*) Achillem, Pelei, Theſſaliae regis filium. Stat. Silv. 2, 7, 55. de Achillis et Hectoris pugna:

Ludes Hectora, Theſſalosque currus. C.

In Mſ. Moerl. deeſt uox *uirum*; et in ſequentibus pro *pulchritudini* corrupte legitur *multitudini*. *Iaeg.*

naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex uultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos caeleſtis ſpiritus intrarit habitator. Itaque te cum ingre- 4
dientem milites uident, admirantur, diligunt, ſequuntur oculis, animo tenent, deo ſe obſequi putant, cuius tam pulchra forma eſt, quam certa diuinitas.

XVIII. Statim igitur ut foedum illud facinus audierant, ultro a te proficiſcendi ſignum petiuerunt; cum uiatica dares, id ipſum ſibi moram facere, pluſque iam ſe, quam ſufficeret, ex largitionibus tuis habere dixerunt. Inde arreptis 2
armis portas petierunt, tot dierum iter a Rheno

XVII, 3. *domicilia corporum digna*) Quem ad modum *gratior eſt pulchro ueniens in corpore uirtus*, et forma pro praeiudicio quaſi indolis ac ingenii ſaepe accipitur: ita e contrario deformitas degeneres animos creditur arguere. Sic Vell. 2, 69, 4, de Vatinio: *in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo, ut animus eius dignissimo domicilio incluſus uideretur*. cf. Pacati Paneg. c. 6, 3. Nouimus, quo uſque noſtrae aetatis ſagacitas in rimandis hiſce arcanis ſit progreſſa. *Id.*

XVII, 3. *quantus illos*) Lege *illo*. A.

Neceſſaria emendatio Acidalii, niſi malimus *illos* referre ad *hominis*, quod generatim ſumtum multitudinis habet ſignificationem. Sed praeſtat certe lectio Acidalii. *Ineg.*

XVII, 3. *caeleſtis ſpiritus — habitator*.) Animi particulae ſunt aurae diuinae. Nam

Igneus eſt ollis uigor et caeleſtis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque.

Virg. Aen. 6, 730 ſqq. *Id.*

XVIII, 2. *portas petierunt*) Schonhov. ad oram ed. Frob. adſcripſit *portus*, addito *fortaſſe ſcil. Cabillonenſes*.

uſque ad Ararim ſine ulla requie peregerunt; indefeſſis corporibus, animis flagrantibus, creſcente in dies ardore uindictae, quanto propius
3 accederent. Tum quidem tua, Imperator, cura, qua refouendis eorum uiribus a Cabillonenſi portu nauigia prouideras, feſtinantibus paene non placuit. Segnis ille et cunctabundus amnis numquam fuiſſe tardior uidebatur. Carinis tacite labentibus, et ripis lente recedentibus,
4 ſtare ſe, non ire clamabant. Tum uero uſum pedum manibus aggreſſi incubuere remigiis, et natu-

nenſes. Sed rectius lectionem, quam omnes reliqui tuentur, explicat Cellarius, *portas* intelligens *caſtrorum.* *Iaeg.*

XVIII, 2. *indefeſſis corp.*) Suſtuli errorem, qui plurima exempla typis exſcripta infedit, in quibus legitur: *inde feſſis*, diſiunctis ſyllabis unius uocis. Mox ſ. 3. pro *Tum* cod. Liv. Bert. Moerl. *cum*, et hic etiam pro *paene* exhibet uitioſe *praeire.* *Id.*

XVIII, 3. *Cabillonenſi portu*) fluuiali portu in Arari, flumine nauigabili, ad Cabillonum oppidum. Vetus inſcriptio apud Gruter. p. 375.

PATRONO NAVTARVM ARARICORVM ET RHODANICORVM. C.

XVIII, 3. *ripis lente recedentibus*) Phraſis, uti uocant, optica, quae orationi non parum uenuſtatis conciliat, et a poëtis praecipue frequentatur. Sic Virg. Aen. 3, 72.

Prouehimur portu: terraeque urbesque recedunt.

et eiusd. libri v. 536.

— — *refugitque a littore templum.*

et l. 5. v. 198 ſq.

— — *uaſtis tremit ictibus aerea puppis:*
Subtrahiturque ſolum. —

Ouid. Met. 6, 512.

Admotumque fretum remis, tellusque repulſa eſt.

et 8, 139.

Vnda ſonat, mecum ſimul ab mea terra recedit. *Iaeg.*

XVIII, 4. *incubuere remigiis*) Recte *remigiis*, quod codd. Liv. Bert. Cuſp. Schonhov. Put. et Moerl. et ed. Cuſp. pro uitioſo ceterorum *nauigiis* praeferunt, receptum iam in ed. Francof. Pariſ. Cellar.

naturam fluminis urgendo uicerunt, et tandem eluctati Araris moras, uix ipso Rhodano fuere contenti: parum illis uidebatur concitus ruere, minus solito Arelate properare. Quid multa? Confitendum est, Imperator, cum hoc tuo uigore corporis, hoc mentis ardore, laborasti interdum, ut, quem ducebas, sequereris exercitum. Tanto enim omnes impetu ferebantur, ut, cum illum, Arelate deserto, comperissent abiisse Massiliam, confestim nauibus euolarent, effusoque cursu non iam Rhodani curricula, sed ipsa quodammodo uentorum flamina praeuerterent. Tantus illos incenderat amor numinis tui, ut, quamuis scirent oppugnandam esse munitissimam ciuitatem, sufficere sibi crederent, peruenire.

Cellar. Patar. firmatumque a Liuineio locis Virg. Aen. 6.

— — *nunc nunc incumbite remis*
Hectorei socii.

et eiusd. operis libro 10.

Nunc, o lecta manus, ualidis incumbite remis. *Id.*

XVIII, 4. *Araris moras*) Poëta nescio quis (*Claudian. de Conf. Mall. Th.* 53.) *Lentus Arar, Rhodanusque celer.* Lucanus l. 6. de ui carminis magici, rerum naturas conuertente, *Nilum non extulit aestas, Maeander direxit aquas, Rhodanumque morantem, Praecipitauit Arar.* Hercules apud Senecam, lude in mortem Claudii Caesaris: Vbi Rhodanus ingens amne praerapido fluit, Ararque dubitans, quo suos cursus agat, Tacitus quietis adluit ripas uadis. L.

XVIII, 5. *cum hoc tuo uig.*) Superflua est omnino uox princeps *cum*; forsan etiam tertia *tuo*. G.

XVIII, 6. *uentorum flamina*) Loco τοῦ *flamina* Liuineius in suo cod. reperit *flaua*, et pro hoc coniectura substituit *flabra*. Sed nihil mutandum. *Ineg.*

XVIII, 7. *peruenire*) Cusp. Rh. Steph. *praeuenire*. Nostram lectionem, petitam ex Bert. (cui et Put. cum Moerl. se addunt comites,) iam recepere Francof. Paris. Pat. Cellar. *Id.*

XIX. Massilia enim, ut audio, in profundum mare prominens, et munitissimo accincta portu, in quem angusto aditu mediterraneus refluit sinus, solis mille quingentis passibus terrae cohaeret, qua firmissimus et turribus frequens
2 murus opponitur. Quippe olim Graecos, Italosque illuc conuenas, cum artibus ingenioque pollerent, etiam ipse docuit locus, omnia, quae bello usui forent, largius in eam partem, quae adiri posset, impendere, cum natura in ceteris
3 sumtum operis remisisset. Itaque illam tum, grauí

XIX, 1. *profundum mare*) Moerl. *prof. maris.* Minus recte. *Id.*

XIX, 1. *mediterraneus*) Cusp. Rh. Steph. Liv. Francof. Parisf. prior, Patar. *meridianus*, et sic etiam Moerl. Verum huic uoci hic non est locus. Mare *meridianum* Plinio H. N. 6, c. 17. s. 21. idem est quod *Indicum*. Itaque cum Pontano ad Macrob. Sat. 5, 15. Liuineius iam coniecit, legendum esse *mediterraneus*: cui socium se adiungit Acidalius, scribens: „An *marinus?* Sed uerum, „credo, est *mediterraneus*. Sic „Paneg. 4, 17, 4. *quam late „omnis Oceanus et mediterra„neí sinus adluunt*. Sic Mamer„tini Genethl. Max. Aug. di„cto, 16, 5. *qua Tingitanum „littus — in mediterraneos „sinus admittit Oceanum.*„ Iure igitur, meritoque hanc emendationem recepit Baunius et Cellarius, quos sequimur. Mox τὸ *solis*, quod non comparet in Cusp. Rhen. St. et textu Liuin. auctoritate codd. Liuin. Bertin. Put. Moerl. stabilitum, recte legitur in edd. reliquis. Pro *quingentis* Moerl. exhibet *ducentis*. *Iaeg.*

XIX, 2. *Quippe olim Graecos* etc.) De conditoribus, situ et disciplina Massilienſis ciuitatis v. Strabo, l. 4. non procul ab initio, p. m. 124 sq. Pomp. Mela 2, 5, 25. ibique interprett. Iustin. 43, 3. sqq. *Id.*

XIX, 3. *Itaque illam tum*) Pro *illam* Liuineius coniecit, legendum esse *iam*. Cod. Moerl. habet *illam tam*. *Id.*

XIX, 3. *graui fato* etc.) Caesarem B.C. 1, 35 sqq. lege. Fatum descriptum l. 2. c. 22. C.

ui fato, Caeſari portas, pro duce ſeniore, claudentem, terra marique, admotis machinis, aggeribus exſtructis, naualibus praeliis ſaepius oppugnatam, quam territam, uix obſeſſio diuturna patefecit; cum tamen Graeculi magiſtratus et ipſum Caeſarem et mox duces eius et copias non tam uiribus ſuis, quam moenibus, repuliſſent. At 4 enim primo tuo, Imperator, aduentu, primoque impetu exercitus tui nihil eiusdem Maſſiliae altitudo

XIX, 3. *duce ſeniore*) Cn. Pompeio. *Lucanus*, I, 129.

Nec coiere pares: alter uergentibus annis
In ſenium, longoque togae tranquillior uſu
Dedidicit iam pace ducem. — *Iaeg.*

XIX, 3. *cum tamen*) τὸ *tamen* deeſt in Moerl. *Id.*

XIX, 3. *et mox duces*) Rh. St. Liv. *et nos duc.* „De„le, inquit Acidalius, ineptiſ„ſimum *nos;* niſi forte *mox* „mutandum; quod conſide„retur.„ Bene. *Mox* legitur in codd. Liv. Bert. Lang. Cuſp. Schonhov. Put. Moerl. et edd. inde a Francofurtenſi. *Id.*

XIX, 4. *At enim non primo tuo aduentu*) Sic Cuſp. Rh. Steph. Liv. In margine Rh. et St. pro *non* notatur al. *in*. Cod. Liv. et Bert. habent *num*: in Lang. Put. et Moerl. et edd. cett. importunum *non* omiſſum eſt. *Id.*

Corruptum ac nihili utrumque et *non* et *num*; melior lectio, quae in Lang. Sed obſeruo, et alibi ſubſtitutum *non* pro *uero*. (Eſt autem, expertus loquor, permagna utriusque uocis uicinitas, maxime ſi hanc curte et per compendium ſcribas.) Nam ecce in Conſtantium Caeſarem, ubi legitur, et recte, *ultra Oceanum uero quid erat praeter Britanniam?* in ueteri cod. noſtro eſt mendoſe *ultra Oceanum non quid erat* etc. Haec mihi ratio, cur emendatius rear, *At enim uero pr.* etc. Mox *eiusdem Maſſiliae* deleam, ut gloſſema, et *creberrimae* aperte rectum. Supra, *qua firmiſſimus et turribus frequens murus opponitur.* L.

Alias *in*. Vtrumque deleo, *in* et *non*. A.

Non abeſt in Lang. Abiicio et ipſe. R.

Legitur alias *num*: ex quo formandum *nunc*. Nam reſpondet illi: *Itaque illam tum* etc. G.

tudo murorum, nihil creberrimae turres, nihil loci natura remorata eſt, quo minus et portum caperes et urbem continuo, ſi uelles. Quippe tanta fiducia murum omnem milites inuaſerant, ut ſtatim ſine dubio adſcenſuri fuiſſent, niſi in parandis, quas admouerant, ſcalis coniecturam oculorum ſublimitas fefelliſſet. Sed ſic quoque multi, ſcalarum breuitate decepti, quod ſupererat adſcenſui, extentis corporibus aequabant, et ſuccedentium humeris ſubleuati iam interualla pinnarum uncis manibus inuaſerant: adeo nihil periculi in uindictae exſecutione metuebant, ut ſibi non murum ſcandere, ſed ex aequo congredi uiderentur.

XX. Sed, o ſingularem tuam, Conſtantine, pietatem, et ſua ſemper officia etiam inter arma ſeruantem! ſignum receptui dediſti, et uictoriam diſtuliſti, ut omnibus tibi liceret ignoſcere, ne quid atrocius faceret miles iratus, quam clementiae

XIX, 4. *nihil celeberrimae turres*) Sic Rh. St. et Liv. in contextu. Sed Bert. Lang. Cuſp. Put. Moerl. cum ceteris edd. *creberrimae*, probante Liuineio et Iac. Gronouio ad Melam 2, 5, 25. et re ipſa loquente. In ſequentibus ſ. 6. *Sed ſic quoque* etc. Cuſp. Rh. St. Liv. et cod. Moerl. omittit τὸ *Sed*: quod ex Bert. cod. poſterioribus edd. inlatum eſt. Mox pro *extentis corp.* Moerl. habet *extenſis*. Denique pro *interualla praeuiarum*, uti abſurde legitur in Rh. St. Liv. iam Rhenanus egregia coniectura ſubſtituit *interu. pinnarum*; et ſic inuenitur in ed. Cuſp. librisque Bert. Lang. Schonhov. Put. (aliquantulum tamen corruptum, *pennarum*) et Moerl. *Iaeg.*

XX, 1. *et ſua ſemper*) Cod. Moerl. *tua ſemper*. Minus recte. Mox ſ. 2. pro *caueris* mendoſe *carueris*. *Id.*

XX, 1. *ne quid atrocius*) Forte *neu quid*. L.

tiae tuae natura pateretur. In quo licet optimi 2
imperatoris ſollicitudine caueris, ut inducti in fraudem milites poenitendi tempus acciperent, atque ultro ueniam precarentur; nos tamen, qui mitiſſimos ſenſus tuos intuemur, (nihil eſt enim tam perſpicuum, quam in pectore tuo bonitas,) illi te intelligimus peperciſſe, quem, ſi prima copiam habuiſſet irruptio, eripere ferro nemo potuiſſet. Ita, quod ad pietatem tuam pertinet, 3
Imperator, et illum et omnes, quos receperat, reſeruaſti. Sibi imputet, quisquis uti noluit beneficio tuo, nec ſe dignum uita iudicauit, cum per te liceret ut uiueret: tu, quod ſufficit conſcientiae tuae, etiam non merentibus pepercisti. Sed, ignoſce dicto, non omnia potes: dii te uindicant et inuitum.

XXI.

XX, 2. *eripere fere nemo pot.*) Sic Rh. St. Liv. Rectius autem Bert. Lang. Cuſp. Schonhov. una cum ceteris omnibus *ferro*. *Iaeg.*

XX, 3. *receperat*) Leg. *deceperat*. Paullo ſuperius: *ut inducti in fraudem milites poenitendi tempus acciperent*. A.

XX, 3. *reſeruaſti.*) Forte *conſeruaſti*. L.

Haec Liuineii coniectura non uidetur improbabilis, ſi cogitemus, has uoces etiam alibi inter ſe permutari. Sic in Paneg. 7. Flauienſium nomine dicto, c. 14. 1. 4. pro *conſeruator* in aliis legitur, male quidem, *reſeruator*. Verum et uulgata lectio poteſt defendi, eo, quod uerba compoſita ex *re* pro ſimplicibus a ſequioris aeui ſcriptoribus adhibita fuerunt, uti iam monuimus. Et licet fortaſſe nullum aliud huius uſus in hoc uerbo exemplum proferri poſſit: id tamen neceſſe non eſſe, ſed ſufficere analogiam, docet Erneſtius, uir ſummus, ad Sueton. Aug. 78. *Iaeg.*

XX, 3. *Sed ignoſce dicto*) Mirificus locus, et, ſi quis alius eſt, artificii plenus. Quia enim Conſtantinus Maximianum aut re uera ſtrangulari iuſſerat,

XXI. Quod quidem nobis ſemper optandum eſt, ut proſperos habeas etiam ultra uota ſucceſſus, qui omnem ſpem in gremio maieſtatis tuae ponimus, et tuam ubique praeſentiam, quaſi dari
2 poſſit, expetimus. Ecce enim, dum a limite paulliſper abſceſſeras, quibus ſe terroribus barbarorum perfidia iactauerat ſcilicet, dum ſibi illa proponunt: quando perueniet? quando uincet? quando feſſum reducet exercitum? cum repente, audito reditu tuo, uelut attoniti conciderunt. Nec tuum pro re publica uotum amplius, quam unius
3 noctis cura, tetigit. Poſtridie enim quam, accepto illo nuntio, geminatum itineris laborem ſuſceperas, omnes fluctus reſediſſe, omnem, quam reliqueras, tranquillitatem rediiſſe didiciſti; ipſa hoc ſic ordinante fortuna, ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret, diis immortalibus ferre, quae uoue-

iuſſerat, aut iuſſiſſe credebatur, necem hanc deorum ultioni adtribuit, atque ipſo inuito contigiſſe ait. Quem locum paene exſcripſit Pacat. in Theodoſ. c. 44, 2. *Sed bene eſt, quod non omnia potes; tui te uindicant et inuitum.* B.

XXI, 1. *ultra uota*) Bert. et Put. cum Gud. *ultra tua uota.* *Iaeg.*

XXI, 2. *quando uincet?*) Cuſp. Rh. St. Liv. abſurde *quando ueniet?* Noſtram lectionem, a Liuineio iam e ſuo et Bert. codice prolatam, tuentur ceteri omnes. *Id.*

XXI, 2. *Nec tuum pro re publ. uotum amplius quam — tetigit.*) Plus una nocte te ſollicitum tenuit. B.

Liuineius e Bert. cod. adfert: *conciderunt metuum*: ex quo coniectura effingit: *ne tuum*; quod conſpirat cum eiusdem Bert. uti et Moerl. lectione, quae pro *tetigit* in fine ſententiae habet *tetigiſſet.* *Iaeg.*

XXI, 3. *ornante fortuna*) Poteſt rectum eſſe: tamen malo *ordinante.* A.

Ornante legitur in Mſ. Gud. et ed. Rh. et Steph. in reliquis omnibus *ordinante.* *Iaeg.*

uoueras, ubi deflexiſſes ad templum, toto orbe pulcherrimum, immo ad praeſentem, ut uidiſti, deum. Vidiſti enim, credo, Conſtantine, Apol- 4
linem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem, quae tricenum ſingulae ferunt omen

XXI, 3. *templum, toto orbe pulcherrimum)* Apollinis templum, cuius numen praecipue, ante quam Chriſtianus fieret, uidetur coluiſſe: ſed qua urbe Galliarum id fanum fuerit, minus certum eſt. Iacobus de la Baune Auguſtodunenſe templum intelligit, pro reſtaur. ſchol. c. 9. laudatum: ſed hoc mox Eumenius a pulcherrimo illo diſtinguit. *Praecipue*, inquit, *Apollo noſter*, i. e. Aeduorum. Deinde nondum Conſtantinus Auguſtodunum uenerat, ideo c. 22. uotis, precibusque ſic inuitatur ab rhetore: *ut patriam meam uideas ducente pietate;* de pulcherrimo autem templo illo dicitur, *ad praeſentem ut ueniſti deum.* Vrbem ergo in uia ſitam, qua transiit Conſtantinus, intelligo; Lugdunum forſan aut Viennam, aut aliam eiusdem tractus. Gruterus p. 36. ex Viennenſi lapide:

APOLLINI AVG.
SACRVM
NATTIA SOLLII FIL.
SEVERA
EX VOTO. C.

XXI, 3. *ad praeſentem, ut ueniſti, deum.)* Sic edd. omnes; ſenſu parum commodo. Veram nobis lectionem oſtendunt cod. Liv. Bert. Gud. Moerl. *uidiſti;* quam proinde recipere non dubitauimus. *Iaeg.*

XXI, 4. *Apoll. tuum)* Cur tuum? An quod Conſtantinus Apollinem praecipue coluerit? Magis credam, quod coniectauit *Patinus, in Numiſm. Imper.* quia ille imperator laetus erat et pulcherrimus. Inducunt me, ut plus aſſentiar, quae ſequuntur in noſtro: *cum tu ſis, ut ille, iuuenis* etc. Quidquid ſit, numos ſane uidemus Conſtantini, quorum auerſa facies Apollinem ſ. Solem refert. Pat.

Cf. infra, c. 22. ſ. 2. Ex hoc loco πολυθρύλλητον illud uiſum Conſtantini M. explicat, idque, ſeu fictum, ſeu in ſomnis oblatum, ab Euſebio longo poſt tempore ad modum Patrum Eccleſiae expoſitum, interpolatumque fuiſſe tradit V. C. *Wernsdorf.* in Muſ. Crit. Vol. 2. Faſc. 1. n. 1. *Iaeg.*

omen annorum. Hic est enim humanarum numerus aetatum, quae tibi utique debentur ultra Pyliam senectutem. Et immo, quid credo? uidisti

XXI, 4. *humanarum numerus aetatum)* Ergo aetas una tricenum annorum. Hanc Graeci γενεὰν dixerunt, quam Censorinus c. 17. ex Heraclito et Zenone definit XXX. annis: quasi *orbem aetatis, dum natura humana a sementi ad sementim reuertitur.* Vnde est, quod Herodianus 3, 8. ludos saeculares dicit τριῶν γενεῶν διαδραμουσῶν ἐπιτελεῖσθαι, *trium spatio aetatum decurso celebrari.* C.

Frustra uestigo, quodnam hoc omen annorum sit, et merum Oratoris leporem iudico; nisi dicamus, laureas coronas longam aetatem polliceri ex qualitate arboris ipsius, quae fulmine non percutitur, quare dicta est graece ἀλεξίκακος, arcens mala: aut uero nostrum adhaerere illi diuinatorum opinioni, cuius specimen affert Cic. de Diuinat. 1, 23. narrans de Cyro, quod ex eo, quia per somnum sibi uisus esset ter solem appetere, magi dixerunt, ex triplici appetitione solis XXX. annos Cyrum regnaturum esse portendi. Pat.

XXI, 4. *debentur)* Sic Liv. Francof. Paris. Cellar. Patar. et codd. Put. et Moerl. pro *debent*, ut legitur in ceteris. *Iaeg.*

XXI, 5. *Et immo, quod credo?* etc.) Bene cod. noster, Bert. Cusp. *quid credo;* sed addo insuper et a distinctione lucem: *Et immo, (quid credo?) uidisti.* Correctio enim quaedam est eius, quod praecessit, uidisti enim, (credo) Constantine etc. Supra, quod pulcherrimum illud toto orbe templum, quodue tricenum annorum in coronis laureis omen, frustra in Zosimo et historiis uestigo. *Nec scire fas est omnia,* inquit ille. Tu admone, quisquis es, Lector. L.

Lege: *Etsi quid credo? imo uidisti, teque in illius* etc. Pendet haec correctio a superioribus his: *uidisti enim, credo, Constantine, Apollinem tuum.* A.

Epanorthosis, qua superiora s. 4. *uidisti enim, credo, Const.* reuocantur et corriguntur hoc sensu; quid dico dubitanter, *credo,* te uidisse? Certum est, et omnino tu uidisti. C.

Eadem haec explicatio a librario inserta est cod. Put. Gud. et Moerl. in quibus legitur: *quid dico credo? Iaeg.*

ſti, teque in illius ſpecie recognouiſti, cui totius mundi regna deberi uatum carmina diuina cecinerunt. Quod ego nunc demum arbitror contigiſſe, cum tu ſis, ut ille, iuuenis, et laetus, et ſalutifer, et pulcherrimus imperator. Merito igitur auguſtiſſima illa delubra tantis donariis honeſtaſti, ut iam uetera non quaerant. Iam omnia te uocare ad ſe templa uidentur, praecipueque Apollo noſter, cuius feruentibus aquis periuria

6

7

D d puniun-

XXI, 5. *ſpecie*) Ita bene Rh. St. Francof. Pariſ. Cellar. Pat. cum quibus faciunt codd. Liv. et Moerl. prò *ſpem*, ut reliqui habent. Mox pro *Quod ego* Moerl. *quid enim*; mendoſe. *Id.*

XXI, 7. *uideantur*) Forte *uidentur*, inquit Liuineius; et ſic bene dedit Patarol. *Id.*

XXI, 7. *Apollo noſter*) Auguſtodunenſe Apollinis delubrum. Idem Eumenius pro reſtaur. ſchol. c. 9. *Maeniana inter Apollinis templum atque Capitolium.* C.

Chaſſenaeus, Catal. Glor. Mundi, P. 22. Conſid. 60. Apollinem Auguſtoduni conditorem fuiſſe contendit. *Pat.*

XXI, 7. *cuius feruentibus aquis* etc.) De aquis periurii ultricibus multa referunt auctores. Apud Palicos in Sicilia fontem fuiſſe aiunt, in quem, teſte Ariſtotele lib. de admirand. audit. n. 55. ſi inſcriptam iuris iurandi tabellam proiicerer iuraturus aliquis, ſupernatabat tabella, ſi fidem ſeruaturus erat: ſin minus, ibat illa peſſum, periuro combuſto. Macrob. Saturn. 5, 19. *Hanc aquam uitae integris hominibus ſuauem eſſe, periuris uero letiferam.* Id ipſum de eodem fonte tradit Diodorus Sicul. l. XI. quem tamen Solinus, c. 4. in Sardinia ponit; in quo errare Salmaſio et aliis uiſus eſt, qui in Sicilia eum fuiſſe uolunt, eumque periuris non necem, ut alii uolunt, ſed caecitatem tantum adtuliſſe. Idem Philoſtratus in Vita Apollonii refert de fonte iuxta Tyanam, Cappadociae urbem, Ioui ſacro, *qui et frigidus ebullire, et, cum ceteris foret innoxius, periuris puſtulas liuentes et uomicas facere calamitoſas dicebatur.* Idem exſtat apud Plin. H. N. 31, 2. De fonte alterius generis agit Ouid. Faſt. l. 5. in quo dum ſe periuri

puniuntur, quae te maxime oportet odisse.

XXII. Dii immortales, quando illum dabitis diem, quo praesentissimus hic deus, omni pace composita, illos quoque Apollinis lucos et sacras sedes et anhela fontium ora circumeat? Quorum scaturigines, leni tepore nebulosae, arridere, Constantine, oculis tuis, et oculis sese 2 inferere uelle uideantur. Miraberis profecto illam quoque numinis tui sedem, et calentes aquas sine

iuri mercatores abluerent, a Mercurio petebant, ut non praeterita tantum, sed et futura periuria aqua eluerentur. *Ablue praeteriti periuria temporis, inquit.*

Ablue praeterita perfida uerba fide.

Nec curent Superi, si qua locutus ero. B.

XXI, 7. *quae te maxime oportet odisse.*) Nescio quid inconcinnum in hac sententia. An mutandum, *quae te maxime optant adiisse.* Non tamen muto. A.

Nescio, qua de caussa Acidalius de mutando hoc loco cogitauerit. Nihil uerius et planius. Periuria maxime odisse oportebat principem, *cuius maxime interest, non peierari*, ut Plinius ait, paneg. 65, 2. *Iaeg.*

XXII, 1. *praesentissimus deus)* Constantinus. B.

XXII, 1. *sacras sedes)* Placet; non *aedes*, ut legitur in codice meo; (*et Gud.*) Supra, *Immortales Deos in suo quemque templo ac sede ueneramur.* Infra mox, *Numinis tui sedem.* Pro restaur. schol. *quantum me studium par sit impendere non ipsis modo litteris, sed etiam templo ac sedibus litterarum.* Pacatus in Theodos. *quod facere magnas urbes ingressi solemus, ut primum sacras sedes et dicata Numini summo delubra uisamus* etc. Sed e Bert. exscriptum *bedes*; quod non capio; fidei tamen caussa, et quia insolens, adnotandum putaui. L.

XXII, 1. *uelle uideantur.*) Forte *uidentur.* *Id.*

XXII, 2. *numinis tui sedem*) Sic optimi codd. et edd. omnes, exceptis Rh. St. Liv. in quibus legitur *muneris. Numen* est Apollo, quem Constantinus praecipue coluit. Quod confirmant, Baunio et Patarolo teste, numi aliquot, in quibus sub Apollinis forma exhibetur, addito titulo: *Soli inuicto.* In sequentibus Moetl. et Gud. pro *soli* mendose praefert *solis.* *Iaeg.*

ſine ullo ſoli ardentis indicio, quarum nulla triſtitia eſt ſaporis aut halitus, ſed talis hauſtu et odore ſinceritas, qualis fontium frigidorum. Da- 3
bis et illic munera, conſtitues priuilegia, ipſam denique patriam meam, ipſius loci ueneratione, reſtitues. Cuius ciuitatis antiqua nobilitas, et 4
quondam fraterno populi Romani nomine gloriata, opem tuae maieſtatis exſpectat, ut illic quoque loca publica et templa pulcherrima tua liberalitate reparentur; ſicut hic uideo hanc fortunatiſſimam ciuitatem, cuius natalis dies tua pietate celebratur, ita cunctis moenibus reſurgentem, ut ſe quodammodo gaudeat olim corruiſſe, auctior tuis facta beneficiis. Videō circum maximum, 5
aemulum, credo, Romano: uideo baſilicas, et forum, opera regia, ſedemque iuſtitiae in tantam altitudinem ſuſcitari, ut ſe ſideribus et caelo digna et uicina promittant. Quae certe omnia ſunt praeſentiae tuae munera. Quaecumque enim 6
loca frequentiſſime tuum numen illuſtrat, in his

XXII, 3. *patriam meam*) Augustodunum. C.

XXII, 4. *fraterno pop. Rom. nomine*) quia Aedui antiquo foedere Romanorum fratres haberi uoluerunt: neque negarunt Romani: Tacit. II, 25. adde Paneg. III. pro reſtaur. ſchol. 4, 1. *Id.*

XXII, 4. *fortunatiſſ. ciuitatem*) Bert. *fortiſſimam.* Non placet. L.

Treuerenſem, ubi hanc orationem dicebat. B.

XXII, 6. *Quaecumque enim loca* etc.) Lege *quaecumque enim loca praeſentiſſimum tuum numen illuſtrat, in his omnibus omnia et moenibus et muneribus* etc. Volebam etiam mutare *luſtrat*: ſed illo altero ubique in ea re utuntur. Paneg. Flauienſ. *Vrbem illam ſola opis tuae exſpectatione uiuentem illuſtrare dignatus es.* Paneg. Max. Aug. *Has prouincias tuas frequenter illuſtres.* Mamert. Genethl. Max. Aug. *Tu modo Galliae oppida illuſtraueras.* A.

et hominibus omnia, et moenibus, et muneribus augentur: nec magis Ioui, Iunonique recubantibus nouos flores terra ſubmiſit, quam circa tua, Conſtantine, ueſtigia urbes et templa conſurgunt. Ideoque hoc uotis meis ſufficit, ut patriam 7 meam uideas, ducente pietate, quia ſtatim erit reſtituta, ſi uideris. Sed enim iſta felicitas, uiderit, an adhuc meae debeatur aetati.

XXIII. Interim quoniam ad ſummam uotorum meorum tua dignatione perueni, ut hanc meam qualemcumque uocem, diuerſis otii et palatii officiis exercitam, tuis auribus conſecrarem, maxi-

XXII, 6. *in his et hominibus omnia* etc.) codd. Bert. Put. et Moerl. *in iis omnia et hominibus et m.* etc. Moerl. mox *Ioui ac Iunoni.* Rh. St. Cuſp. Liv. *Ioui et Iunoni;* Bert. *Ioui Iunonique*, idque arripuerunt Francof. Pariſ. Pat. Cell. *Iaeg.*

XXII, 6. *nouos flores terra ſubmiſit)* Ex Homeri Il. ξ. v. 347. ſq. C.

XXII, 7. *ducente pietate*) Cod. Moerl. *ducentem*, i. e. quae te pietate ſua inuitat et allicit: quod ualde arridet. *Iaeg.*

XXII, 7. *uiderit)* Sic libri omnes, quos conſului, ſcripti et editi: excepto Grut. et Cellarii exemplo, quod praefert *uideris*; et Mſ. Gud. qui *uideas.* Acidalius, Rectum *uiderit*, inquit, etiam *uideris.* *Id.*

XXIII, 1. *otii et palatii officiis)* Fuerat enim ſacrae memoriae magiſter, de quo officio ſupra paneg. 4. c. 11. Praeterea Maenianis ſcholis a Conſtantio praefectus fuerat, quod otii officium uocat. B.

XXIII, 1. *tuis auribus*) H. e. te auditore. L.

Cod. Liv. Cuſp. Rh. St. quibus etiam accedit Moerl. habent *in tuis aur.* quod merito diſplicet Liuineio; adeoque hic et Francof. cum poſterioribus edd. particulam *in* recte omittunt. *Iaeg.*

XXIII, 1. *conſecrarem,*) Sic dixit, ut Pacat. in Theodoſ. *Ille cohoneſtatus adfatu, ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt.* Rurſum: *ut crebro, ciuilique progreſſu non publica tantum opera luſtraueris, ſed priuatas quoque aedes diuinis ueſtigiis conſecraris.* L.

maximas numini tuo gratias ago; tibique, quod ſupereſt, commendo liberos meos, praecipueque illum iam ſumma fiſci patrocinia tractantem, in quem me totum tranſtulit pietas; cuius felix ſeruitus, ſi quando reſpexeris, maxime tuae conueniet aetati. Ceterum, quod de omnibus liberis dixi, lata eſt, Imperator, ambitio. Praeter illos enim quinque, quos genui, etiam illos quaſi meos numero, quos prouexi ad tutelam fori, ad officia palatii. Multi quippe ex me riui non

XXIII, 1. *fiſci patrocinia*) *Summa fiſci patrocinia tractare* nihil aliud eſt, quam fungi munere aduocationis fiſci, i. eſſe aduocatum et patronum fiſci: quae duo munera interdum ab uno eodemque gerebantur. Is autem cauſſis fiſcalibus pro fiſco interueniebat, in aula apud Comitem theſaurorum, i. e. ſacrarum largitionum; in urbe, apud praefectum aerarii; in prouinciis uero, apud procuratorem Caeſaris. Atque hic quidem nihil decernere poterat, quin prius aduocatum fiſci audiiſſet. *l. ultima Cod. de aduocat. fiſci.* *B.*

Male Baunius duo facit munera, quod unum modo eſt; *aduocatus* a *patrono fiſci* non magis eſt diuerſus, quam in foro aduocatus a patrono cauſſae. v. Guther. de Offic. Dom. Aug. 3, 1. p. m. 408. ſqq. *Iaeg.*

XXIII, 2. *Praeter illos enim*) Male Cod. Moerl. *τὸ enim* et mox poſt *ſectatores mei τὸ etiam* omittit; et infra ſ. 3. pro *nimium* habet *minimum*; falſo. *Id.*

XXIII, 2. *Multi quippe ex me* etc.) Locus hic, foeda antea labe corruptus, ſanitatem debet ingenio Liuineii, qui citra libros medicam ei manum feliciter admouit. In ed. Rh. St. et contextu Liv. legitur: *multi quippe ex meri humo ignobiles fluunt.* „Ad „marg. Rhen. *ex mea*; ſed et „*humo* non conuenit, et quod „*ignobiles* dicit, plane contra „ſententia uult. L. F. *ex mea* „*domo non ignobiles.*„ Haec Acidalius. In not. Schonhov. proxime uerum legitur: *ex me uiui non ignob.* In cod. Put. ut et Gud. pro *humo* eſt *uino.* Ex quo Puteanus facile eruit *ex me riui nobiles*, uel *ex me riui non ignobiles.* Haec uero eſt ipſiſſima emendatio

non ignobiles fluunt, multi ſectatores mei etiam prouincias tuas adminiſtrant: Quorum ſucceſſibus laetor, omniumque honorem pro meo duco, et, ſi forte hodie infra exſpectationem mei dixero,
3 in illis me confido placuiſſe. Si tamen hoc quoque tuum mihi numen indulſerit, ut ex hac oratione non eloquentiae, quod nimium eſt, ſed quantulaecumque prudentiae, et deuotae tibi mentis teſtimonium referam, cedant priuatorum ſtudiorum ignobiles curae; perpetua mihi erit materia dicendi, qui me probauerit, imperator.

datio Liuineii, quam diſertim poſt reperit in Lang. et Cuſp. excepto quod hic pro *fluunt* mendoſe exhibet *fiunt*; in Bert. eſt: *ex meo riuo ignob.* non obſcuris eius, quod Liuin. repoſuit, ueſtigiis. Lectionem ſic emendatam amplexi ſunt editores Francof. Pariſ. Pat. Cellar. *Riuos* appellat, uenuſta metaphora, *ſectatores* et diſcipulos ſuos. *Id.*

XXIII, 3. *Sed tamen*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. Praeclare uero cod. Liv. et Bert. *Si tamen*; quod deinceps ab omnibus editoribus eſt receptum. *Id.*

VII.

EVMENII
GRATIARVM ACTIO
CONSTANTINO AVGVSTO
FLAVIENSIVM NOMINE.



De huius panegyrici auctore, et quo tempore ac loco pronuntiatus sit, in Eumenii uita, panegyrico tertio a nobis praefixa, diximus.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio: *Reddit rationem, cur Flauiensium nomine imperatori gratias agere Treueris maluerit, quam Augustoduni, dum in ea urbe esset imperator.*

Distributio I. *Quam merito Constantinus Aeduis subuenerit.* II. *Quanta eorum causa fecerit*, c. 2.

I. Pars. *Aedui omnium primi fratres populi Romani a senatu appellati, iidem rei publicae supra ceteros populos addicti, Galliarum aduersus tyrannos, quantum in ipsis fuit, defensores; et ideo Constantii liberalitatem experti*, c. 3. *septem mensium obsidionem acerbissimam ferre maluerunt, ac demum Claudio imperatore, cuius opem imploraruant, in Gothica expeditione occupato, cum auxilii spes nulla esset, urbem hostibus diripiendam tradere, quam fidem suam uiolare*, c. 4. *Huc usque quam bene meritis Aeduis subuenerit; nunc quam grauiter afflictis. Noui census acerbitate premebantur*, c. 5. *Accedebat soli iniquitas*, c. 6. *Magna ex parte uasta loca et squalida, abrupta itinera.*

II. PARS. *Eorum urbem ingreditur Conſtantinus mirifico concurrentium populorum ſtudio*, c. 7. *Benigne ſingulos compellat, quid omnium maxime ſua cauſa factum uelint*, c. 9. *Relaxat cenſum, definit uectigalium numerum, reliqua remiſſuras, quantum fiſco ſuo deberent, interrogat: iis ſeptem millia capitum remittit, hoc eſt, quartam amplius partem cenſuum: utrum id ſufficeret percontatus*, c. 10. *quinque annorum reliqua uectigalia remittit.*

IN FINE: *Luſtrum illud laudat: atque inde ad Quinquennalia principis laudanda orationem conuertit*, c. 13.

VII.

VII.

EVMENII GRATIARVM ACTIO CONSTANTINO AVGVSTO FLAVIENSIVM NOMINE.

Si Flauia Aeduorum, tandem aeterno nomine nun-

Eumenii) Eumenio inſcripſi cum aliis de cauſſis, tum quod prima ſtatim oratione priuati ſui ſtudii litterarum meminit, quod Auguſtoduni obiuiſſe, Conſtantii Caeſaris iuſſu, ipſe teſtatur pro reſtaur. ſchol. agunturque gratiae de ſeptem millibus capitum in cenſu et reliquis quinque annorum debitis remiſſis. Monendus es autem mihi, lector, actionem hanc totam a Bartholomaeo quodam Chaſſenaeo recitari prooemio Commentariorum in Conſuetudines Ducatus Burgundiae, e uetere MS. ut apparet, Philippi Bruneti, Aeduorum Suffraganei; qui cetera fere codicibus noſtris deterior, una et altera tamen complexione eſt auctior, ut in re praeſente oſtendemus. Docuit id adeo me nuper admodum P. Andreas Schottus, (ne quem ſua laude defraudem,) uetere mihi amicitia, quae olim Louanii e morum atque ſtudiorum ſimilitudine contracta, coniunctiſſimus, homo diligentia ſumma et incredibili lectione. L.

I, 1. *Si Flauia Aeduor.*) Haec Flauia eſt Auguſtodunum, primaria Aeduorum ciuitas, quae Flauiae nomen uel accepit uel adſumſit in memoriam acceptorum a Conſtantino beneficiorum. Id enim huius principis gentile nomen fuit, et omnium, qui ex familia eius poſt ipſum imperarunt, tractum a progenitore Criſpo, Claudii Gothici fratre, de quo Trebell. Pollio, c. 3. *Gentes Flauias, quae Veſpaſiani et Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, propagauit.* Vnde eſt, quod in nummis Conſtantii patris legitur: FL. VAL. CONSTANTIVS NOB. C. et alio poſteriore: IMP. C. FL. VAL. CONSTANTIVS P. F. AVG. Et in nummis filii; IMP. C. FL. VAL. CONSTANTINVS P. F. AVG. C.

I. 1. *aeterno nomine*) Quae olim Auguſtodunum, a D. Con-

nuncupata, ſacratiſſime Imperator, commouere ſe funditus, atque huc uenire potuiſſet: tota profecto coram de tuis in ſe maximis pulcherrimiſque beneficiis una uoce loqueretur; tibique, reſtitutori ſuo, immo, ut uerius fatear, conditori, in ea potiſſimum ciuitate gratias age-
2 ret, cuius eam ſimilem facere coepiſti. Sed quoniam id non poteſt, (geſtit animo,) quod natura non patitur; clamoreſque ſuos, quibus quo-

D. Conſtantio transnominata, qui per Claudiam matrem, Criſpi filiam, (is Diuo Claudio Imp. frater) in gente Flauia. L.

Auguſtodunum intelligit, quam urbem Eumenius Flauiam appellat. Credo, ut Flauio Conſtantino potius aduletur, quam ex rei ueritate. Cur enim apud Ammianum Marcellinum nulla huius nominis mentio? Maxime cum is apud Imperatorem ageret, qui eſſet ex gente Flauia. An id ei nomini contigiſſe dicamus, quod Romae? quae cum olim *Commodiana* a Commodo Aug. dicta ſit, nullum reliquit huius nominis ueſtigium. B.

Aeterno nomine eſt imperatoris nomine, quia imperatores illo tempore *aeternos, perpetuos*, i. e. aeternitate dignos, laudauerunt. Gruter. p. 279. inſcript. 4.

AETERNO IMPERATORI NOSTRO MAXIMO OPTIMOQVE PRINCIPI AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO PIO FELICI INVICTO AVGVSTO. C.

I, 1. *commouere ſe funditus*) Haud abſimile illud Tullii in Piſon. n. 52. *mihi Roma ipſa prope concuſſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatorem ſuum procedere uiſa eſt.* B.

I, 1. *in ea potiſſimum ciuitate*) Treuerenſi, ubi commorari imperatores ſolebant, cum in Galliis uerſabantur, proindeque ubi habitam hanc orationem uolunt Liuineius et Rhenanus. *Id.*

I, 1. *ſimilem facere*) Scilicet praeſentia tua et immoratione; uideturque Conſtantinus bellis, aut negotiis ita poſcentibus, Flauia Treueros digreſſus, clarum alioqui domicilium principum, ut Ammianus appellat l. 4. L.

I, 2. *Sed quoniam non poteſt,*

quotidie laudes tuas tollit in caelum, exaudiri a te non finit interiecta longinquitas ſua: (id, quod fieri decebat,) gaudiorum patriae meae nuntium ſponte ſuſcepi, ut eſſem iam non priuati ſtudii litterarum, ſed publicae gratulationis orator. Nolui enim, ſacratiſſime Imperator, cum in illo aditu

poteſt, (geſtit animo,) quae Natura non patitur,) Reſcribam: *Sed quoniam id non poteſt (Et geſſit animo) quod Natura non patitur.* *Id.*

Plane ineptum, quod in parentheſi, ita quidem ſi retineatur. Interpolatum enim ego credam, et gloſſulam abiiciam, uerba, *non poteſt*, ſic reſtitutis ceteris: *ſed quoniam, quae geſtit animo, natura non patitur.* *A.*

Vox *poteſt* ob multas litteras, quas communes habuit cum *etſi*, illud ipſum *etſi* abſorbuit; legendum enim uidetur: *Sed quoniam non poteſt, etſi animo geſtit, quae natura non patitur*, commate admodum eleganti. G.

ID ante *NON* Liuin. ex ſuo cod. Bert. Lang. et *quod* pro *quae* ex ſuo deſumſit. Lectionem, quam nos exhibemus, inde a Francof. tenent edd. omnes. Vitioſam eſſe, facile patet; ſed qua ratione ſit emendanda, ſatis certo definiri non poteſt. Prae reliquis tamen probabilis uidetur coniectura Gruteri. In ſequentibus uox *interiecta* non comparet in cod. Moerl. Et ſane abeſſe poteſt; uerum, cum omnes libri reliqui eam tueantur, loco non eſt mouenda. *Iaeg.*

I, 2. *priuati ſtudii litterarum)* Eumenium agnoſce, quem Conſtantius Aeduenſibus ſcholis praefecerat. B.

I, 3. *Nolui enim*) Imo *nolui tamen* legendum erat, ſi libris uiſum fuiſſet. G.

Poſſit *enim* fortaſſe h. l. idem ualere ac *autem*; ſiquidem ſatis certum eſt, ut apud Graecos γὰρ et δὲ, ſic apud Latinos *enim* et *autem* inter ſe non numquam permutari. Sed maius quid reſtat. Pro *nolui* Cuſp. habet *Volui*, falſo, ut iudicat Liuineius. Verum conſideranti mihi uniuerſam h. l. orationis ſeriem, non omnino quidem aptam illam et concinnam, et, praeter initium ſeq. ſect. *Nec mihi uerba* etc. praecipue infra, quae his noſtris reſpondent, *Sed habui rationem* etc. conferenti, eo prope modum inclinat animus, ut arbitrer, Cuſpiniani lectionem anteponendam eſſe uulgatae. Interim tamen, quoniam reliqua exem-

aditu palatii tui ſtratum ante pedes tuos ordinem indulgentiae tuae uoce diuina, porrectaque hac inuicta dextera ſubleuaſti, numini tuo gratias
4 agere. Nec mihi uerba quamuis imparata defuiſſent,

exempla, quorum inſpiciendorum mihi copia fuit, omnia τὸ *Nolui* tuentur, idque ſenſum non manifeſto abſurdum parit, rem integram relinquo arbitrio doctiorum, contentus, quid mihi uiſum ſit, indicaſſe. Mox pro *ſacratiſſime Imp.* Cuſp. Rh. Steph. *ſacer Imper.* male; *ſacer* enim, cum de homine dicitur, quid fere ſignificet, ſatis conſtat. *Iaeg.*

I, 3, *palatii tui)* Flauienſis, ut exiſtimo. Infra: *Exornauimus uias, quibus in palatium peruenitur, paupere quidem ſupellectile*, et quae ſequuntur. L.

I, 3. *ſtratum)* Mſ. Moerl. et Gud. *ſtantem;* falſo: nam *ſtare* et *dextera ſubleuari* inter ſe non congruunt. *Iaeg.*

I, 3. *ante pedes tuos ordinem)* Forte *ampliſſimum ordinem.* L.

Is omnino eſt intelligendus: ſed propterea non eſt opus inſerere uocem *ampliſſimus*, cum etiam ſine illa, κατ' ἐξοχήν, *ordo* ſignificet *ſenatum*, et *decuriones municipiorum.* Sic Sueton. Caeſ. 14. *Obtinuiſſetque adeo, transductis ad ſe iam pluribus, et in his Ciceronis, conſulis, fratre, niſi labantem ordinem confirmaſſet M. Catonis oratio.* Et Vitell. 2. *Quintus caruit ordine, cum, auctore Tiberio, ſecerni mimus idoneos ſenatores, remouerique placuiſſet.* Tacit. Annal. 11, 25, 3. *Famoſos probris quonam modo ſenatu depelleret anxius, mitem et recens repertam, quam ex ſeueritate priſca rationem adhibuit, monendo, ſecum quisque de ſe conſultaret, peteretque uias exeundi ordinis.* Haec de ſenatu Romano. De municipii decurionibus idem Tacit. Hiſt. 2, 52, 4. *Onerabat pauentium curas ordo Mutinenſis, arma et pecuniam offerendo, appellabatque Patres Conſcriptos, intempeſtiuo honore.* Patarol uocem *ordinem* abundare, et *ſtratum* de Eumenio intelligendum eſſe, aut ordinis nomine magiſtratum quempiam aut legatos aut aliquem alium ciuium ordinem innui dicit. *Iaeg.*

I, 4. *Nec mihi uerba quamuis imparata def.)* Forte *imparato.* L.

Mſ. Moerl. *imperato*, Gud. *quamquam imperator;* quod confirmat coniecturam Liui-

ſent. Quis enim aut praeparare ſe ad beneficia tam inſperata potuiſſet, aut ab tanta gratulatione cohiberet? Sed habui rationem loci ac temporis, ne meus ille ardor animi, ſtudiumque dicendi ubi quidem (quod mihi ad immortalitatem ſufficeret,) probaretur, ſed propter adſiſtentium paucitatem minus, quam te dignum eſſet, iret in populos; et te, uno die de ſalute noſtra multa tractan-

Liuineii, per ſe iam ſatis probabilem ac tantum non certam. *Iaeg.*

I, 4. *Quis enim aut praeparare ſe — cohiberet?*) Excuſat, quod non prius gratias egerint Flauienſes, nec praeſenti in urbe ſua Conſtantino: quia inſperata fuiſſent eius beneficia, poſt quae diſceſſerit ſtatim in Treueros. C.

Rh. St. Liv. τὸ *ſe* poſt *praeparare* non exhibent; ſed cum illud in cod. Liv. Bert. Cuſp. Put. et Moerl. editisque ceteris legatur, non opus habemus emendatione Acidalii, legere nos iubentis *praeparari* et *cohiberi*. Speciosior eſt coniectura Baunii, pro *cohiberet* ſubſtituentis *cohibere*, quod tamen non omnino neceſſarium. Ceterum, pro *ab tanta* Chaiſſ. *a tanta*, et mox pro *ac temporis* habet *et temp.* notante Liuineio; et pro *ſtud. dicendi* in Moerl. legitur falſo *ſtud. diuinandi. Iaeg.*

I, 5. *iret in populos et te uno die de ſalute n. m. tractantem*) Rh. St. Liv. Cuſp. *iret in populo ſed*; ex quo Liv. et Acidal. rectiſſime effinxerunt lectionem noſtram, quam edd. reliquae omnes praeferunt. *Ire in populos* ſic dictum eſt, ut in Paneg. Plinii, c. 55, 1. *ibit in ſaecula*, ad quem loc. v. Schwarz. Pro *et te* cod. Put. Gud. et Moerl. habent *ſi te*; male; ſi ſeriem orationis conſideres. Liuineius pro *uno die* coniicit *illo die*; et ſane uoces *uno*, *ullo*, *illo* ſunt ex iis, quae a librariis inter ſe permutantur crebro, uti docet Brouckhuſ. ad Propert. 3, 7, 8. Verum haec emendatio, etſi non plane ſpernenda, non tamen idcirco admittenda uidetur; cum nec neceſſaria ſit, nec ullo libro ſcripto uel edito fulciatur. In ed. Rh. et Steph. pro *tractantem* leg. *tractante*, ſed iam in margine ſimul notatur al. *tractantem*, quod in reliquis omnibus comparet et ſine controuerſia unice uerum eſt. *Id.*

ctantem, moraretur oratio, quae pro magnitudine meritorum tuorum festinare non posset.

II. Nunc itaque, cum in hac urbe, quae adhuc adsiduitate praesentiae tuae prae ceteris fruitur, (habebit enim felicitatis aemulam Flauiam nostram,) totus tibi amicorum tuorum comitatus, et omnis imperii apparatus adsistat, et cum omnes homines omnium fere ciuitatum, aut publice missi, aut pro se tibi supplices, adsint; dicam, Imperator, ea, quae libenter agnoscas, et ceteri nobis indulta non crederent, nisi te
2 agnoscente dixissem. Primum est autem, sacratissime Imperator, in agendis gratiis ostendere, id, quod indultum sit, non fortuitae felicitatis, sed iustae fuisse clementiae. Nam cum omnes homi-

II, 1. *in hac urbe*) Treuerorum urbe, quae primis annis adsiduitatem praesentiae Constantini habuit. C.

II, 1. *Flauiam nostram*) Augustodunum Aeduorum. *Id.*

II, 1. *adsistat*) Lang. *assistant*, notante Liuineio; Rh. St. Cusp. Moerl. *assistit*. Nihil esse mutandum facile patet. In antecedentibus pro *felicitatis aem.* Rh. St. Liv. *felicitas aemulam*; sed ceteri omnes ueram praeferunt lectionem. *Iaeg.*

II, 1. *nisi te cognoscente dixissem.*) Sic edd. omnes. Liuineius ex codice suo et Bert. profert *agnoscente*, uti habet etiam Gud. et Moerl. Hanc lectionem uulgata meliorem et aptiorem quo minus in textum reciperem, nihil uisum est obstare. *Id.*

II, 2. *fortunae felicitatis*) Ita uitiose exhibent Cusp. Rh. St. Liv. Bene autem cod. Liv. Lang. Put. Moerl. Gud. *fortuitae*, uti iam Acidalius ex coniectura emendauit, et Francof. Paris. Pat. et Cell. praeferunt. Pro *felicitatis* forte etiam legendum *facilitatis*. *Id.*

II, 2. *Nam cum omnes homines, coram non indigentes, iuuare boni sit pr. etc.*) *Coram* in omnibus nostris qua scriptum, qua uulgatum; sed eruebam e compendiis litterarum *gratia*. Nam *grā* in uetere

homines, etiam non indigentes, iuuare boni ſit principis, tum praecipue bene meritis et grauiter

uetere ſcriptura *gratia* ualet. Idque ad *iuuare* adiungam, non ad *indigentes*. Mox *grauiter adfectis* haud immutem. Ita enim Seneca de Benef. 4, 37. *adfectum, ſemianimemque recreauit*. Et Velleius Paterculus l. 2. *hinc remiges firmiſſimi, illinc inopia adfectiſſimi*. Infra tamen eſt *adflictis*. *Dixi, quam bene meritis Aeduis ſubueneris Imperator, ſequitur, ut dicam, quam grauiter adflictis*. L.

Lege, *etiam non indig*. Forte etiam potius auctor hic ſcripſerit *adflictis*, quia id uerbi in eadem re infra: *Dixi, quam bene meritis* etc. Vtroque loco idem uerbi uſurpaſſe plane credo. Liuineius *coram* in omnibus Mſſ. quidem legit, ſed ex litterarum compendio *gratia* facit. Rittershuſ. *curae* uel *cura non indignos* coniicit, uel *cura indigentes*. A.

Duo illa uocabula *coram non* reformanda ſunt in unicam aliquam dictionem, quae notet aut *auxilium* aut *ſuppetias* aut ſimile quid: niſi potius fuit: *homines ſub Rom. imperio degentes*: quod magis ſuſpicer, ut nimirum ſcripturae compendia loco nocuerint. Haud tamen praeſtem, iisdem uerbis expreſſum auctori. G.

Liuineii explicatio mihi quidem parum ſe probat. Etiamſi largiamur, dici poſſe *iuuare aliquem gratia*, ea tamen uerborum transiectio, quae h. l. eſſet admittenda, non poſſet non adferre ambiguitatem uix ac ne uix quidem excuſabilem. Minus adhuc licet adiungere *gratia* ad *non indigentes*. Quis enim adeo ſit ineptus, ut principi, quem laudare inſtituit, dicat, eſſe homines, qui gratia eius facile carere poſſint? Gruteri emendatio *hom. ſub imp. Rom. deg.* nimis longe a ueſtigiis ſcripturae recedit; et dictio illa, conflata ex *coram non*, quae *auxilium* notet, non facile poterit excogitari. Melior his eſt ratio, qua Rittershuſius huic loco ſtuduit mederi: cui tamen praeſtare mihi uidetur coniectura Acidalii, facilitate ſua commendabilis, quam firmant codd. Put. Gud. et Moerl. in quibus diſerte pro *coram* exhibetur *etiam*. *Non indigentes* ſunt, qui nulla calamitate ſunt adflicti, uel qui forte ſua contenti nihil magnopere deſiderant, *(nam aeque egens eſt is, qui non ſatis habet, et is, cui nihil ſatis poteſt eſſe*, Auct. ad Herenn. 4, 17.) Eos *iuuare* eſt commodis eorum conſulere. Lectionem igitur hanc, cum

3 ter adfectis ſubuenire ſapientis eſt. Quod cum oſtendero, non tam ſtudio praedicandae patriae meae, quam officio demonſtrandae prouidentiae tuae, tum potiſſime beneficiorum tuorum magnitudinem proſequar, tam maiore uoto, quam inge-
4 nio. Quaenam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Aeduis ſe poſtulet antepo-

cum certiorem ueritatis fontem in tanta caligine inuenire non potuerim, in contextum recepi. *Iaeg.*

II, 3. *Quod cum oſtendam*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. Sed rectius cod. Liv. Bert. Put. Moerl. Gud. cum edd. reliquis *oſtendero*. *Id.*

II, 3. *tam maiore uoto, quam ingenio.*) Mſ. Gud. itemque Cuſp. Liv. *tuam maiore uoto* etc. In Bert. et Chaſſ. abeſt τὸ *tuam*, teſte Liuineio: ceteri omnes *tam*. *Id.*

Placet deleri *tuam*. Altera quidem illa in Rhen. lectio manca et curta eſt, *tam maiore uoto, quam ingenio* impari, aut quid ſimile, ut Virgilius dixit:

Tam magis illa fremens et triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnae.

et deliciae meae Propertius:

Tam maiora ſenis Tithoni gaudia uiui,
Quam grauis amiſſo Memmone luctus erat.

Vulgo editur *cum maiora*, neque rectius *cui maiora* eſt in Vaticano et Poſthii Mſ. quae tractauimus. L.

Aut ſupererit particula *tam*, niſi tamen pro ea reſcribi placeat *etiamſi*: aut deerit uox quaedam alia. Forte: *tam maiore uoto, quam ingenio maiore*: etſi quidem eo modo rectius ſcribatur, *tanto maiore uoto, quanto ingenio minore*. *Acid.*

Non hic emendatione opus, ut non nullis uidetur: nam Virgil. Aen. 7, 787.

Tam magis illa fremens etc. Ita Lucretius, Plautus, Terentius et alii pro *tanto magis*. Ac Tullius pro Deiotaro, n. 8. *Per dexteram te iſtam oro — — — — non tam in bellis et in praeliis, quam in fide firmiorem*. B.

Quid? ſi legas *tam maiorem l. maiorum uoto* etc. Beneficia maiora et ampliora noſtris uotis, quorum laudes, culpa ingenii, non ſatis potero praedicare. *Maiorem magnitudinem* dixit Plin. H. N. 8. c. 25. ſ. 37. de Crocodilo: *Nec aliud animal ex minore origine in maiorem creſcit magnitudinem*. *Iaeg.*

teponi ? Qui primi omnium inter illas immanes et barbaras Galliae gentes plurimis Senatusconsultis fratres populi Romani appellati sunt; et, cum a ceteris Rhodano ad Rhenum usque populis, ne pax quidem posset, nisi suspecta, sperari, soli et consanguinitatis nomine gloriati sunt, et nuper, ut media praeteream, Diuum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias soli uocauerunt, et ante pauciſſimos annos, quod maxime praedicandum, plurima patris tui beneficia, partim rebus effecta, perceperunt, partim animo significata, laetantur.

III. Fuit olim Saguntus foederata, sed cum iam taedio Punici belli nouare imperium omnis cuperet Hispania: fuit amica Massilia; (sed) protegi

II, 4. *fratres populi Rom.*) saepe dictum: propter foedus scilicet antiquissimum cum Romanis. Adi Plutarch. in Caesare p. 720. et Tacit. II, 25. C.

II, 4. *Rhodano ad Rhenum usque*) Propositio altera addenda *a Rhodano*.. *Acid.*

II, 5. *ut media praeteream)* Intelligo media, quae interceſſere inter tempus illud, quo populi R. fratres dicti sunt, et Claudii Imp. aetatem. Nec aliter ego explicem illa Statii, Silv. L. 3. carm. 2. *Iuque uicem medios narrabimus annos*; h. e. illos, qui interceſſerunt inter discessum et reditum Metii Celeris, cui carmen illud a poëta inscriptum. *Pat.*

II, 5. *diuum Claudium, parentem tuum*) agnatum tuum, quia Constantius, pater Constantini, nepos Crispi per filiam fuit, qui frater erat Claudii II. siue Gothici. De *parentis* notione diximus ad Eutrop. 1, 7. C.

II, 5. *ad recuperandas Gallias*) a Tetrico tyranno occupatas. B.

II, 5. *animo significata)* Chaſſ. notante Liuineio, *seruata*; nec uere, nec ueriſimiliter. *Ineq.*

III, 1. *fuit amica Massilia; protegi se maiestate* etc.) Liuineius et Acidalius *sed* ante

gi ſe maieſtate Romana gratulabatur: imputauere ſe origine fabuloſa in Sicilia Mamertini, in Aſia Ilien-

te *protegi* inferendum eſſe cenſent; et ſane non immerito uidetur deſiderari. Quare, ſecutus Cellarii auctoritatem, eam particulam, uncis incluſam, addidi, quamquam alias in nullo ſcripto uel edito libro conſpicitur. Pro *maieſtate* Moerl. habet cum Gud. *poteſtate*; quod minus conuenire liquido apparet. *Id.*

III, 1. *imputauere ſe orig. fab.)* magni fecerunt, ſe, quocumque modo, in fabulis obſcure delineato, ad Romanos originibus accedere. *Imputare* enim eſt, iactare tamquam meritum aut honorem inſignem. C.

III, 1. *orig. fab. in Sic. Mamert.* etc.) Meſſanenſes intelligit. Strabo, Geogr. l. 6. τοσοῦτον δὲ ἐπεκράτησαν οἱ Μαμερτῖνοι παρὰ τοῖς Μεσσηνίοις, ὡς ἐπ' ἐκείνοις ὑπῆρξεν ἡ πόλις. καλοῦσι δὲ Μαμερτίνους μᾶλλον ἅπαντες αὐτοὺς ἢ Μεσσηνίους· εὐοίνου τε σφόδρα τῆς χώρας οὔσης οὐ Μεσσήνιον καλοῦσι τὸν οἶνον, ἀλλὰ Μαμερτῖνον, τοῖς ἀρίστοις ἐναμίλλον ὄντα τῶν Ἰταλικῶν. Tu adi Lector et Feſtum in *Mamertini*. Quod proximum eſt, addit Strabo, Mamertinos gentem eſſe Campanam, et ab eadem mente ſcriptum Silio, Punic. 14, 196 ſq.

Incumbens Meſſana freto, minimumque reuulſa
Diſcreta Italia, atque Oſco memorabilis ortu.

Nam Oſci in Campanis. Atque haec hactenus clara; illud obſcurum, quae origo illa fabuloſa, quam Romanis imputarint. Si Eumenium capio, hoc ſenſerit: geſſiſſe ſe Mamertinos, itidem ut Ilienſes, pro Romani generis auctoribus. Ac de Ilienſibus res nota paſſim e poëtis, quos nihil attinet proferre, et Sueton. Claud. c. 25. *Ilienſibus*, (ait,) *quaſi Romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remiſit, recitata uetere epiſtola graeca S. P. Q. R. Seleuco regi amicitiam et ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes praeſtitiſſet.* Meminit et Strabo copioſe l. 13. quae non exſcribo, ne fruſtra ſim prolixus. De Mamertinis, quod huc proxime facit, Polybius, Hiſtor. I. οἱ δὲ Μαμερτῖνοι πρότερον μὲν ἐφερημένοι τῆς ἐπικουρίας τῆς ἐκ τοῦ Ρη-

Ilienſes: ſoli Aedui, non metu territi, non adulatione compulſi, ſed ingenua et ſimplici caritate fratres populi Romani crediti ſunt, appellarique meruerunt: quo nomine, praeter cetera neceſſitudinum uocabula, et communitas amoris appareret, et dignitatis aequalitas. Deinde, cum finitimae 2

Ῥηγίου, τότε δὲ τοῖς πρὸ γ μασιν ἑπταικότες ὁλοχερῶς, οἱ μὲν ἐπὶ Καρχηδονίους κατέφευγον, καὶ τούτοις ἐνεχείριζον σφᾶς αὐτοὺς καὶ τὴν ἄκραν, οἱ δὲ πρὸς Ρωμαίους ἐπέσβευον, παραδιδόντες τὴν πόλιν, καὶ διέμενεν βοηθήσειν σφίσιν, ὁμοφύλοις ὑπάρχουσιν. Genere et cognatione Mamertini Romanis iuncti erant, opinor, per Capyn, Troianum, qui e ducibus Aeneae in Italia. Virg. 10, 145. ſqq.

Adfuit et Mneſtheus, pulſi quem priſtina Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit,
Et Capys; hinc nomen Campanae ducitur urbi.

Decius uero Magius apud Silium l. 11, 176 ſqq. originem urbis a Capye repetit, qui Aſſaraco prognatus. Verba ſunt haec:

— — — Ille
Dardanius, cui ſacra pater, cui nomina liquit
A Ioue ducta Capys, magno cognatus Iulo:
Ille ego ſemihomines inter Naſamonas et inter
Saeuum atque aequantem rictum Garamanta ferarum,
Marmarica ponam tentoria mixtus alumno?

Veriſimile eſt autem, non Capuates ſolos, ſed omnino omnes Campanos Capye ſe parente oſtentaſſe. Merito ergo Mamertini per Capyn ſe in Romanorum maioribus numerant, Ilienſibus pares, ſed fabuloſa origine, inquit auctor: uere: nam et de Ilienſibus Lucan. 3, 211 ſqq.

Iliacae quoque ſigna manus peritura que caſtra
Ominibus petiere ſuis, nec fabula Troiae
Continuit, Phrygiique ferens ſe Caeſar Iuli. L. III, 1. *praeter cetera neceſſitud. uocabula)* Hoc eſt, *prae ceteris*, ne quis erret. Iuſtin. 23, 2, 6. *Vxorem ſuam Texenam, cum omni pecunia et familia, regalique inſtrumento, qua*

timae nationes, ipſi illi Romanae fraternitati, non gloriae, inuidentes, et uſque in perniciem ſui odiis incitatae, Germanos ſibi auxiliarios dominos inuocaſſent, princeps Aeduus in ſenatum uenit, rem docuit; cum quidem, oblato conſeſſu, minus ſibi uindicaſſet, quam dabatur, ſcuto in-
3 nixus perorauit. Impetrata ope, Romanum exercitum, Caeſaremque cis Rhodanum primus induxit. Semita enim Galliae uſque ad id temporis Tranſalpina Gallia nominabatur. Sed enim Aedui totum iſtud, quod Rheno, Oceano, Pyrenaeis montibus, cunctis Alpibus continetur, Ro-

quo praeter illum nemo regum ditior fuit, Aegyptum remittit. *Id.*

III, 2. *auxiliar. dominos*) *dominos*, abeſt Chaſſ. *Id.*

III, 2. *princeps Aeduus*) Caeſar, Gall. 1, 3. *Diuitiacum* uocat, *qui eo tempore principatum in ciuitate ſua* (Aeduorum) *obtinebat.* C.

III, 2. *in ſenatum*) Cod. Liv. Gud. et Moerl. *ad ſenatum*; ſed uulgata recte habet. *Iaeg.*

III, 2. *cum quidem*) Forte *cumque idem.* L.

III, 2. *oblato conſenſu*) Sic Rhen. St. Liv. uitioſe. Schonhov. *oblata conceſſu*, propius uerum. Hinc Acidal. Gruter. Put. legendum diuinabant, *conſeſſu*, quod a Bert. Lang. Cuſp. reliquisque exhibetur. *Iaeg.*

III, 3. *Imperata ope*) Sic Liv. Francof. et utraque Pariſ. At Cuſp. Steph. Cell. Pat. *impetrata*, uti Rittershuſ. etiam legi iuſſerat; quibus nunc quoque accedit auctoritas Gud. et Moerl. *Id.*

III, 3. *Caeſaremque*) Haec uox deeſt in Moerl. *Id.*

III, 3. *Semita*) Suſpecta uox *ſemita* Acidalio fuit, neque nobis eſſe deſinit. C.

III, 4. *Sed enim*) *Sed tantum* Chaſſ. Forte *Sed tum.* L.

Nihil uidetur mutandum. Nam *ſed enim* pro ſimplici *ſed* poni, ſatis conſtat. *Iaeg.*

III, 3. *Aedui totum iſtud* etc.) Potentiae ueterum Aeduorum etiam Caeſar teſtis eſt, B. G. 6, 12. C.

III, 3. *cunctis Alp.*) *τὸ cunctis* non legitur in cod. Put. *Iaeg.*

Romano imperio tradiderunt, hibernis hoſpitaliter praebitis, ſuppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedeſtribus equitumque copiis auxiliantibus. Ita in unam pacem ſociatis omnibus Celtarum, Belgarumque populis, eripuere barbaris, quidquid iunxere Romanis. 4

IV. Dicet aliquis, VETERA ISTA SVNT: et quidem hoc ſanctiora, quod uetera. Bonis enim meritis cum aetate dignitas et pondus accedit. Atque, ut magno natu parentes magis magisque in dies ueneramur et colimus; fratrum uero aequalitas, et liberorum ſuboles, blandiore licet, leuiore tamen animos tangit adfectu: ita beneficia antiqua grauiora ſunt, quamuis praeſen-

III, 3. *pedeſtribus equitum copiis*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. Puteanus inſeri iubet *et* ante *equitum*. Lang. habet *equitumque*, quod Francof. Pariſ. Pat. Cellar. recte receperunt. *Id.*

IV, 1. *Dicet aliquis: uetera iſta ſunt: et quidem hoc ſanctiora, quod uetera.*) Libenter geminem uerbum *ſunt*. *Dicet aliquis: uetera iſta ſunt. Sunt, et q. h. ſ. q. uetera. A.*

IV, 1. *cum aetate*) Viennenſis editio: *meritis eſt aetate;* ex quo formabat Bongarſius et multos deinde poſt annos Liuineius *ex aetate*, quod perplacet. G.

IV, 1. *magno natu par.*) Sic omnes, excepto Baunio et Patarolo, qui, ſecuti emendationem Acidalii, exhibent *magnos natu p.* Verum inutilis eſt mutatio, cum *magno natu eſſe* rectiſſime dicatur. Liv. 2, 8. *Creatus Sp. Lucretius Conſul, qui magno natu non ſufficientibus iam uiribus ad conſularia munera obeunda intra paucos dies moritur.* Corn. Nep. Pauſ. 5, 3. *Dicitur, eo tempore matrem Pauſaniae uixiſſe, eamque iam magno natu, poſtquam de ſcelere filii comperit, in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum aedis attuliſſe.* Hunc locum ſimiliter tentauit Lambinus, ſcribens *magnam natu;* ſed improbantibus uiris doctis. Idem Datam. 7, 1. *Ab hoc tamen uiro Sciſmas, maximo natu filius, deſciit, ad regemque transiit, et de defectione patris detulit.* Iaeg.

2 tia ſuauiora uideantur. Sed tamen, ſi illa uetuſtate obſoleuerunt, quid haec recentia, quae pueri uidimus? Attende, quaeſo, quanti ſit, Imperator, quod Diuum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias primi follicitauerunt; exſpectanteſque eius auxilium, ſeptem menſibus clauſi, et omnia inopiae miſeranda perpeſſi, tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cum feſſi ſeruare non poſ-
3 ſent. Quod ſi uobis et conatibus Aeduorum fortuna fauiſſet, atque ille rei publicae reſtitutor implorantibus nobis ſubuenire potuiſſet, ſine ullo detri-

IV, 1. *ſuauiora uideantur.*) Chaſſ. *ſuav. eſſe uid.* L.

IV, 2. *obſoluerunt*) Ita Cuſp. Rh. St. Melius reliqui omnes *obſoleuerunt.* *Iaeg.*

IV, 2. *quae pueri uidimus*) Vere dixit Eumenius, quia inter Claudii II. imperium et Conſtantini uix anni triginta ſex intercedunt. C.

Si Eumenius puer fuit ſub Claudio ſecundo, anno nempe Chriſti CCLXVIIII. natum eum fuiſſe ſub Gallieno, anno circiter CCLXI. mihi ueriſimile fit. B.

IV, 2. *recuperandas Gall.*) Chaſſ. *occupandas.* Retineo *recuperand.* Supra, *nuper Diuum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias ſoli uocauerunt.* L.

IV, 2. *rebellibus Gallicanis*) Videtur iam tum initium ſumſiſſe rebellio illa, quae Bagaudarum ſibi nomen impoſuit, a Diocletiano tandem per Maximianum Herculeum Caeſarem oppreſſa. C.

IV, 2. *obſeruare*) Sic omnes, excepto Put. cod. qui habet *ſeruare*, quod praefero, cum *obſeruare* pro *tueri, cuſtodire*, uix dici poſſe uideatur. *Iaeg.*

IV, 2. *non poſſent.*) Statim poſt haec uerba auctius Chaſſenaeus: *Cumque omni tempore de Populo R. bene meriti fuerint, tamen liberos in ſeruitutem abduci et agros ſuos uaſtari uiderunt.* L.

IV, 3. *Quod ſi uobis*) Vobis, i. e. Flauiae genti, quae ab Diuo Claudio, ut ſaepe iam moneo. *Id.*

IV, 3. *implorantibus uobis*) Sic Rh. et Steph. quod, adſtipulantibus ceteris omnibus, iam emendauit Acidalius, ſcribens *nobis.* *Iaeg.*

IV, 3. *ſubuenire potuiſſet*) Ipſe

detrimento Romanarum uirium, ſine clade Catalaunica, compendium pacis reconciliatis prouinciis attuliſſet fraternitas Aeduorum. Ob haec igitur merita, et priſca, diuus pater tuus ciuitatem Aeduorum uoluit iacentem erigere, perditamque recreare, non ſolum pecuniis ad calendaria largi-

 endis,

Ipſe Gotthorum bello diſtentus. Auctor in Conſtantin. A. *Ab illo enim diuo Claudio manat in te auita cognatio, qui Romani imperii ſolutam et perditam diſciplinam primus reformauit, immanesque Gotthorum copias, Ponti faucibus et Iſtri ore proruptas terra, marique deleuit.* Adi Trebellium Pollionem Diuo Claudio. L.

IV, 3. *ſine clade Catalaunica*) Intelligit, opinor, Aureliani aduerſus Tetricum in Catalaunis uictoriam, ipſo exercitum ſuum prodente duce. Vopiſcus Aureliano, Eutropius l. 9. Aurelius Victor. *Id.*

IV, 4. *uoluit iacentem erigere* etc.) Sic ſupra Incert. Max. et Conſt. c. 12, 1. *ut ſubſidia rei publicae iacentia erigeres, exanimata recreares, dilapſa colligeres.* P.

IV, 4. *pecuniis ad calendaria largiendis*) Hoc uoluerit, credo, dediſſe Conſtantium pro liberalitate ſua grandem reipubl. Flauienſium pecuniam, quam illi fenori collocarint. Solitos autem calendis ponere, quae, ut tardiſſime, idibus cogerent ac redigerent, Horatianus Alfius declarat, qui, *Iam iam futurus ruſticus, Omnem redegit idibus pecuniam, Quaerit calendis ponere.* Habebantque non priuati ſolum, ſed ciuitates quoque calendaria ſua, ex quibus qui fenori dabant, *calendarii* et *calendari*; curatores, qui redigerent, *iduarii* dicebantur. Quod me Petrus Pithoeus docuit, Aduerſar. ſubſ. c. 4. L.

Quid hoc? An *caldaria?* quia de lauacris ſubiicit. *Caldaria* legit et Rittershuſ. et firmat e paneg. 6, 22, 2. *Miraberis profecto illam quoque numinis tui ſedem, et calentes aquas ſine ullo ſoli ardentis indicio.* A.

Poſſet quis trahere ad pecuniam fenebrem; ſed inclinat tamen animus, duabus litteris eiectis formare *ad caldaria*; praeſertim cum ſequatur *et lauacris, quae corruerant.* Et tamen, ne quid diſſimulem, aliud quid initio fuiſſe ſuſpicor, quod non temere eruam. G.

Fenori dandis, ex quibus annuos quaeſtus facerent. Adi ſummos uiros, Iac. Gothofredum,

endis, et lauacris, quae corruerant, exſtruendis, ſed et metoecis undique transferendis; ut eſſet illa ciuitas prouinciarum uelut una mater, quae reliquas urbes quodammodo Romanas prima feciſſet.

V. Dixi, quam bene meritis Aeduis ſubueneris, Imperator: ſequitur, ut dicam, quam grauiter adflictis: qui locus nimium quantum plus mihi

fredum, ad Leg. I. Cod. Th. de Curat. Kalendariis, et Henr. Noris Cenotaph. Piſ. p. 37. C.

IV, 4. *ſed et metoecis*) Cuſp. Rh. Steph. Liv. *methycis*. Chaſſ. *methicis*, cod. Liv. Bert. Put. *meticis*. Moerl. et Gud. *metis*. Quae corrupta eſſe nemo non uidet. Liuineius iure, meritoque adſentitur Rhenano, hunc locum ita emendanti: „Opinor legi *metoecis*. Sunt autem „Graecis μέτοικοι, qui ſedes ſuas mutant, et ad habitandum alio proficiſcuntur. Fit horum mentio in „Cod. L. 4. de Iure fiſci, „l. 10. Suidas: μέτοικοι, οἱ „ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταναστάντες, καὶ εἰς ἑτέραν „οἰκοῦντες.„ Haec Rhenanus. Confirmat capitalem hanc emendationem Eumenius, pro ſchol. c. 4, 3. *ex ampliſſimis prouinciarum ordinibus incolas nouos*, i. e. metoecos. Vide ſis illud c. 4. quod hoc noſtrum haud parum illuſtrat; et ex quo ſuſpicari etiam poſſis, non uanam eſſe Acidalii et Gruteri ſententiam, qui in uerbis proxime antecedentibus pro *calendaria* legunt *caldaria*, quod Patarol in contextum recepit. Sic enim c. cit. ſ. 2. *Itaque maximas pecunias, et totum, ſi res poſcat, aerarium non templis modo ac locis publicis reficiundis, ſed etiam priuatis domibus indulgent.* Locorum publicorum nomine caldaria et balinea, quae collapſa reficiebantur, intelligi inter alia debere ueri ſimile uidetur; pecuniae uero ad calendaria datae, (quae locutio ualde eſt inſolens,) nulla ibi fit mentio. *Iaeg.*

V, 1. *nimium quantum*) Forte legendum: *mirum quantum*. *Put.*

Ita Tullius in Oratore, c. 26. *Sales, qui in dicendo nimium quantum ualent*: ſed et utrobique aliqui legunt *mirum quantum*. *B.*

mihi ſuppeditaret orationis, ſi fas eſſet, audiente te, rebus triſtioribus immorari. Vt igitur in praedicandis laudibus patriae meae uerecundia modum fecit, ne arroganter inſurgerem; ita in commemorandis eiuſdem malis et meus dolor, et tuarum aurium conſuetudo cohibebit. Nihil enim libenter audis, niſi quod tuis gratuleris. Sed tamen, quaeſo, Imperator, iniunge patientiam ſenſibus tuis, ut, quemadmodum praeſtantes ſcientia medici non aſpernantur uulnera inſpicere, quae ſanant, ita nunc tu paulliſper audias Aeduorum labores, quos ſuſtuliſti. Neque enim potes

V, 2. *laudibus*) Moerl. cum Gud. *meritis*. *Iaeg.*

V, 2. *niſi quos pro tuis gratuleris.*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. Francof. et Pariſienſes. Liuineius pro *quos* emendat *quo*, et ſequens uerbum transfert, ut ſit, *niſi pro quo tuis gratuleris*; et hanc emendationem tueri uult loco Cic. ep. ad div. 15, 14, 5. *Tibi cum pro rerum magnitudine, quas geſſiſti, tum pro opportunitate temporis gratulor.* Sed ex hoc loco non efficitur, ut *gratulari pro aliquo* recte dicatur pro *de aliquo*; melius aduocare poterat Plinium, ep. 4, 27, 5. *Interim ama iuuenem et temporibus noſtris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat.* Idem Liuineius teſtatur, a uiro docto, ſibique amiciſſimo olim eſſe correctum: *niſi quod pro tuis pertuleris*: et hanc correctionem iudicio lectoris permittit, qui eam, credo, parum felicem eſſe cenſebit. Eſt autem eius auctor ſine dubio Lipſius, qui epiſt. quaeſt. 4. 27. eam profert. Eamdem margini Frob. ed. adſcripſit Schonhov. In Chaſſ. eſt: *niſi quod tuis gratul.* quo ſuam emendationem confirmari aitLiuineius. Chaſſ. lectionem commendauit Acidal. et recepit in contextum Cellar. quem ſequi uiſum eſt tutiſſimum. In codd. Put. Gud. et Moerl. itemque ed. Pataroli legitur: *niſi quo pro tuis gratul.* Eiecto *pro* haec etiam lectio probabilis. Sic enim Coel. ad Cic. ep. 8, 13, 1. *Gratulor tibi adfinitate uiri, me dius fidius, optimi.* *Iaeg.*

potes sine experimento misericordiae ad laudem
4 clementiae peruenire. Iacebat illa ciuitas, non tam innixa Romanis, quam uirium defectione pro-

V, 3. *sine experimento misericordiae*) *Experim. miseriae* arbitror uerum, non *misericordiae*, errore ab exscriptoribus profecto. Nam *mīae* uetere scriptura et *miseriae* ualet et *misericordiae*. L.

Malim *miseriae*, i. e. nisi audias, nisi agnoscas alienam miseriam, clemens nec esse, nec haberi potes. B.

V, 4. *non tam innixa Romanis*) Inepta lectio. Eruebam ex cod. meo: *iuribus Rom*: i. e. pensitatione et uectigalibus. Pro restaur. schol. *Salarium me liberalissimi principes ex huius reip. iuribus in sexcenis millibus nummum accipere iusserunt.* Ipse Constantius ad Eumenium: *Denique etiam salarium te in sexcenis millibus nummum ex reip. iuribus consequi uolumus.* Franc. Modius e Bert. *moenium ruinis*, ingeniosius, meo animo, quam uerius legebat. Quod additur *noui census*, exponet Aurelius Victor, qui imperio inter Valerium et Herculeum A. A. ac Galerium et Constantium Caesares tributo, quo exercitus atque Imperator ali possent, legem nouam pensionibus inductam refert. Quae, sane illorum temporum, modestia tolerabilis in perniciem processerit. L.

Locus mihi sanus uidetur, quamuis non unus Aesculapiorum festinet ad eius medicinam. Dicit enim, quamuis Aedui uiderentur inniti Romanis, illud tamen tam parum profuisse, ut nihil differrent a prostratis. Posset etiam legi *innixa ruinis*; si modo aliquid mutandum. G.

Cod. Liv. habet *non tam nimium rom.* Bert. Gud. et Moerl. *menium rōnis*: τὸ *iuribus*, quod eruit Liuineius, locum habere non posse, ad orat. pro restaur. sch. c. 11,2. monstratum est; et sententia, quae ex ea lectione exsisteret, parum haberet elegantiae. Idem de uulgata est dicendum, quam probat tamen Gruterus. Non nego, intelligi et explicari illam posse; sed lectionem Modii, (ad quam codd. Liv. Bert. Moerl. ducunt:) *non tam moenium ruinis*, (de quibus supra c. 4, 4. et pro restaur. schol. c. 4,1. *ipsamque ruinarum eius magnitudinem cet.*) *quam uirium defectione prostrata*, multo esse argutiorem, id equidem eripi mihi non patior. Lipsius Excursu K. in L. 1. Annal. Taciti legendum putat *inuisa* pro *innixa*; sed hoc valde frigidum esse facile intelligitur. *Iaeg.*

proſtrata, ex quo eam noui cenſus exanimauerat acerbitas. Nec tamen iuſte queri poterat, cum et agros, qui deſcripti fuerant, haberemus, et Gallicani cenſus communi formula teneremur, qui fortunis nemini poſſumus aequari. Quo magis, Imperator, clementiae tuae gratias agimus, qui, remediis ſponte conceſſis, feciſti, ut, quod non poteramus iure petere, iuſte obtinuiſſe uideamur.

VI. Habemus enim, ut dixi, et hominum numerum, qui delati ſunt, et agrorum modum, ſed utrumque nequam; hominum ſegnitia, terraeque perfidia. Vnde enim nobis Remus, aut Neruius, aut ipſe ille de proximo Tricaſſinus ager?

V, 4. *noui cenſus exanimauerat acerbitas.*) Cenſus duplici modo fiebat, uel per capita ſ. per focos, uel per agros, qui propterea deſcribebantur a Cenſoribus, ut pro numero et modo agrorum eſſet uel maior uel minor. Igitur ſenſus eſt: Nos quidem exanimat noui cenſus acerbitas, qui aliarum prouinciarum fortunas aequare non poſſumus. Nihil eſt tamen, cur conqueramur, cum et agros, qui deſcripti ſunt, habeamus, neque quidquam a nobis petatur, quam (ſ. *quod non*) pro communi Gallici cenſus formula debeatur. B.

Pro *acerbitas* Cuſp. et Schonh. *enormitas.* Sed potior uulgata. *Ineg.*

V, 5. *Gall. cenſ. communi form. teneremur*) Mſ. Moerl. *Gallicani cenſus formula teneretur:* falſo; haec enim non iunguntur apte ſequentibus *qui ſ. n. poſſumus aequari.* Pro *aequari* Bert. habet *comparari.* *Id.*

VI, 1. *terraeque perfidia*) Fidem, perfidiamque terrae ac fundis attribui ſatis notum eſt, et magna exemplorum copia docet Brouckhuſ. ad Tibull. 2. 1, 19. Poſt haec uerba Chaſſ. habet *perdidimus.* Verum haec uox haud dubie ad tollendam difficultatem, ex neglecta interpunctione ortam, cum ſc. *nequam* et *hominum* iungerentur, fuit intruſa. *Id.*

VI, 1. *Remus aut Neruius*) Fertilioris agri exempla

ager? aut arator? quorum reditus cum labore
2 contendunt. Quamquam merito quiuis ignoſcat
ipſis cultoribus, quos piget laborare ſinè fructu.
Siquidem ager, qui numquam reſpondet impen-
diis, ex neceſſitate deſeritur, etiam inopia rusti-
canorum, quibus in aere alieno uacillantibus nec
3 aquas deducere, nec ſiluas licuit excidere. Ita,
quidquid olim fuerat tolerabilis ſoli, aut corrup-
4 tum eſt paludibus, aut ſentibus impeditum. Quin
etiam ipſe ille pagus Arebrignus manu ſeritur in-
uida,

pla in Gallia Belgica cum Aeduorum regione ſterili componit. C.

VI, 2. *Quamquam merito*) Correctio quaedam et excuſatio eſt eius, quod ante dixerat *hominum ſegnitia*. L.

VI, 2. *quiuis ſi ignoſcat*) Ita Cuſp. Rhen. Steph. Liv. Sed importunum *ſi* non comparet in Lang. Chaff. nec in Put. et Moerl. et, monitu Liuineii et Acidalii, a poſterioribus editoribus fuit deletum. *Iaeg.*

VI, 2. *piget laborare ſine fructu*) Nota haec Martialis:

In ſteriles campos nolunt iuga ferre iuuenci,
Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor. L.

VI, 2. *ager, qui numquam reſpondet impendiis*) τὸ *reſpondere* in re agraria ſimiliter uſurpat Virg. Georg. 1, 47. ſq.

Illa ſeges demum uotis reſpondet auari
Agricolae, bis quae ſolem, bis frigora ſenſit. *Iaeg.*

VI, 2. *in aere al. uacillantibus*) eo preſſis ac tantum non obrutis. Ita Cic. Catil. 2, 10. *Qui numquam emergent; qui, partim inertia, partim male gerendo negotia, partim etiam ſumtibus, in uetere aere alieno uacillant.* v. infra c. 12, 2. *Id.*

VI, 4. *pagus Arebrignus*) Cod. Liv. *Arebignus* Put. et Moerl. *Areprignus*. In Mſ. D. Marci uox *Arebrignus* deeſt, teſte Patarolo, qui, eius loco, *Verbigenus* legendum eſſe ſuſpicatur. Baunius dicit, ſed non probat, Arebrignum pagum eſſe Aeduorum circa Ararim ſinuium. *Iaeg.*

VI, 4. *manu ſeritur inuida*) Haec eſt lectio Rh. St. Liv. Baun. In codd. uero Liv. Bert. Moerl. D. Marci et edd.

uida, cuius uno loco cultura perexigua eſt: nam retro

edd. Cuſp. Francof. Pariſ. priore, Cellar. Pat. legitur *inani fertur inuidia.* Schonhov. *inani ſeritur inuidia.* Omnes corrupte. Patarol quidem lectionem ſuam ita interpretatur: fruſtra ſe iactat, tamquam inuidiam in aliis excitet, quod culturam uitium admittat; ſed uellem, exemplis hanc rationem firmaſſet. Puteanus coniicit: *manu ſeritur inuita*: putat tamen, uulgatam lectionem eſſe meliorem, *manu ſeritur inuida*, i. e. à *regret.* Sed hoc *pariter* exprimeretur uoce *inuita.* Baunius ita interpretatur: *aegre admodum ſeritur.* Martial. 3, 65, 10. *ſine inuidia*, (Graecorum more, ἀφθόνως,) dicit pro *facile et copioſe*; forſitan itaque *inuida manu* poſſit ſignificare *parce et maligne*; ſed nec hoc latis quadrare uidetur. Cellarius durum eſſe ait, *pagus ſeritur*, uel *ager* etiam *inuida manu ſeritur.* Verum non deſunt exempla, in quibus *ſeri* pro *conſeri* dicitur ager uel terra. Curt. 5, 1, 27. *Ac ne totam quidem urbem tectis occupauerunt: per LXXXX. ſtadia habitatur; nec omnia continua ſunt: credo, quia tutius uiſum eſt, pluribus locis ſpargi. Cetera ſerunt, coluntque, ut, ſi externa uis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius urbis ſolo ſubminiſtrentur.* Et eod. libro, c. 5, 24. *Armenta cum pecoribus ac frumento data, ut coli, ſerique attributus iis ager poſſet.* Porro Cellarius coniicit, legi poſſe: *inani feritur inuidia*, i. e. petitur, premitur; quaſi dicat, laudari pagi illius fertilitatem ad inuidiam uſque; ſed ſine cauſſa, quia uno loco tantum ſit uitifer, cetera ſiluis et rupibus horreant. Sic non opus, pro *uno loco* legere *imo*; nec *perexigua* pro *perſpicua*; ſi uidelicet *feriri inuidia* ferri auribus poteſt. Haec ille. *Feriri inuidia* poſſit ferri fortaſſe et defendi loco Horatii, Serm. 2, 1, 62.

— — *maiorum ne quis amicus*
Frigore te feriat.

et firmat hanc coniecturam lectio quoque Schonhouii, quam ſupra indicaui. Verum, cum admodum mihi difficile uideatur, in hac uarietate certam ueritatem reperire, nihil quidem definire uel mutare ſuſtineo: facere tamen non poſſum, quin profitear, lectionem a Cellario excogitatam mihi prae reliquis arridere. *Iaug.*

VI, 4. *cuius uno loco cultura perexigua eſt*) Sic edidit Baunius. Mſ. Moerl. Gud. itemque ed. Rh. Steph. Liv. habent *cuius in loco uitium cultura perſpicua eſt*, in quibus

retro cetera, ſiluis et rupibus inuia, ſecurarum ſunt cubilia beſtiarum. Illa autem, quae ſubiecta et usque Ararim porrecta planities, fuit quidem, ut audio, aliquando iucunda, cum per ſingulorum fines continua cultura procurſus fontium uallibus patentibus euehebat; nunc autem, intercluſis uaſtitate

bus uox *uitium* gloſſae margini adſcriptae et ex ſ. 6. petitae originem debere uidetur. Mſ. Bert. Lang. et ed. Cuſp. *cuius in uno loco u. c. p. e.* Francof. Pariſ. prior. Cellar. Patar. *cuius uno loco* etc. omiſſo τω *in*. Liuineius pro *uno* ponit *imo*, idque tuetur uerbis, quae in fine h. cap. leguntur: *cum ſupra ſaxa perpetua ſint, infra humilitas pruinoſa.* Pro *perſpicua* Acidalius legit *perexigua*. Ex his tam diuerſis lectionibus

Elige, cui dicas, tu mihi ſola places.

Mihi quidem maxime probatur Cellariana ratio, et hic et in uerbis proxime antecedentibus; eaque etiam confirmatur illis, quae ſ. 6. h. c. leguntur: *Ipſae denique uineae, quas mirantur ignari.* Si fuerunt, qui uineas mirarentur, culturam earum perſpicuam fuiſſe neceſſe eſt, et inuidia feriri uel peti poterant. *Id.*

VI, 4. *cubilia*) Chaſſ. ridicule *cubicula*. *Id.*

VI, 5. *porrecta planities*) Auguſtodunum *ab oriente et meridie montibus eleuatur nemoroſis, a ſeptemtrione uero et occidente uallibus deprimitur; ſaltem circa eius medietatem, a qua planities amoeniſſima in ſeptemtrionem ad longitudinem XII. M. P. ubi undequaque fontes, riuuliqne circumfluunt.* Haec Barthol. a Chaſſenaeo, *in prooem. commeht. ad Conſuet. Burgund. l.* 12. *c.* 60. Plura de Aeduenſis urbis origine, dignitate et ſitu uideri poſſunt apud Petrum a S. Iuliano, et Io. Munerium, qui ambo commentarios eam in urbem ediderunt. B.

VI, 5. *iucunda*) Lege *fecunda*. A.

VI, 5. *cum per ſingulorum fines*) Senſus eſt: cum aſſiduo cultu humum aut lapides hinc et inde adgerendo, ueluti canales quidam ad altitudinem aliquam attollebantur, quibus per patentes ualles in ſingulorum terras fontes inducerentur. B.

VI, 5. *uallibus patentibus*) Lege, *canalibus latentibus*; ſtatim *meatus* nominat. Nec tamen dixerim adfirmate. Vulgatum enim poteſt eſſe etiam uerum, ſalue intellectum. Forte et *callibus*. A.

ſtitate meatibus, quidquid humilitate ſua fuerat uberius, in uoraginem et ſtagna conuerſum. Ipſae denique uineae, quas mirantur ignari, ita 6
uetuſtate ſenuerunt, ut culturam iam paene non ſentiant: radices enim uitium, quarum iam ne- 7
ſcimus aetatem, millies replicando congeſtae, altitudinem debitam ſcrobibus excludunt, et ipſam propaginem non debitam, ſed obtectam, produnt imbribus eluendam, et ſolibus perurendam.

VI, 5. *humilitate*) Schonh. *humiditate*. Mox pro *in uoraginem et ſtagna* MS. Moerl. et Gud. *in uoraginum ſtagna*. Iaeg.

VI, 5. *conuerſum*.) Adde *eſt*. Senſus erit: Nunc autem, quidquid propter humilitatem loci melius irrigatum ab his aquis fuerat, adeoque et pinguius et uberius, id omne mutatum eſt in atram quamdam ac lutulentam uoraginem. B.

VI, 6. *mirantur ignari*) i. e. uineae, quas mirantur, qui ad luxuriam quamdam foliorum et ad ſarmentorum inutilem ſiluam attendunt, ignari, quid in iis uitii lateat. Id.

VI, 7. *millies replicando*) An *repaſtinando?* quod proprium uerbum huic rei. A.

VI, 7. *altitud. debitam ſcrob. excludunt* etc.) Radices, millies repaſtinatae, tantam fibrarum et ſurculorum ſiluam egerant, ut ſcrobes ad debitam altitudinem fodi non poſſent, proindeque ipſa uitium propago non ſatis obtecta uel corrumperetur imbribus, uel ſolis ardoribus ureretur. Pro *ipſam propaginem non debitam, ſed obtectam* lege *ipſam propaginem non obtectam*. Vocem enim *debitam* e ſuperiore uerſu in hunc haud dubie irrepſiſſe notat Cl. Puteanus; niſi forte cum Liuineio legeris *non diditam, ſed obtectam*, nempe leuiter etc. B.

Pro *debitam* Acidalius legi iubet *defitam* aut *defixam*; uſus loco *Columellae*, 3, 13. *Tum in terram bene paſtinatam et ſtercoratam rectum ſarmentum defigito*. Parum probabiliter; certe melior eſt Liuineii coniectura, ſi Puteanum, eiicientem *debitam ſed*, ſequi nolimus. Pataroł ita conuertit: *germogli, non radicati, ma ſol coperti da poca terra*. Iaeg.

VI, 7. *perdunt imbr. eluend.*) Sic Rh. St. Liv. Rectius

8 dam. Nec poſſumus, ut Aquitanis, aliiſque prouinciis familiare eſt, nouis uitibus locum ubique metari; cum ſupra ſaxa perpetua ſint, infra humilitas pruinoſa.

VII. Nam quid ego de ceteris ciuitatibus illius regionis loquar, quibus illacrimaſſe te, ipſe
2 confeſſus es? uidiſti enim, non ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta, aperta, florentia, uias faciles, nauigera flumina, ipſas oppidorum portas adluentia; ſed ſtatim ab eo flexu, e quo retrorſum uia ducit in Belgicam, uaſtà omnia, inculta, ſqualentia, muta, tenebroſa; et, ut militaris uia ſit, at confragoſa, et alternis montibus ardua

ctius autem ex cod. Liv. Bert. Put. Moerl. et Schonhov. et Cuſp. in reliquis edd. legitur *produnt*. *Id.*

VII, 2. *adluentia*) Pro hac uoce Moerl. habet uitioſe *abluentia*, quae uerba inter ſe ſaepius permutari docent ad Lucanum 6, 810. Oudendorp. et ad Liuium 26, 44. Drackenb. Mox pro *fluxu*, ut in Rh. St. Liv. edd. legitur, ceteri ſcripti et editi omnes, *flexu*, quod coniectura iam Acidalius facile eruit. *Id.*

VII, 2. *etiam militaris uia ſit confragoſa*) Eruebam e ſcripta lectione *uia ſitu confragoſa*, quod uix dubito, quin planiſſime probum. L.

Cum cuſtodiant Mſſ. duo, *uiã ſit ac confragoſa*, uidendum, an non fuerit, *et ut uia militaris ſit, at confragoſa*, etc. Nam qui emendant, *uia ſitu confragoſa*, oſtendere deberent, uias militares tales fuiſſe; quod falſum eſt. Nam uiae militares uiae erant omnium commodiſſimae, modo id pateretur rerum natura. Cui cum uis fieri non poſſit, adſerit auctor, uiam iſtam, quamuis militarem, fuiſſe tamen confragoſam et ineptam transmittendis carpentis onuſtis. G.

etiam mil. uia ex cod. Liv. et Bert. adripuere Francof. Pariſſ. Cellar. Pat. Antiquiores edd. omnes *et ut m. uia*. Duo Mſſ. qui cuſtodiunt *ſit ac*, ſunt Liv. et Bert. quibus et Moerl. cum Gud. eſt addendus. Si uulgata retineatur, importunum profecto eſt το *ſit*, nec ullo modo ferri poteſt. Liuineii emendatio,

ardua atque praeceps, ut uix ſemiplena carpenta, interdum uacua tranſmittat. Ex quo ſaepe accidit, ut obſequia noſtra tarda ſint, cum paucarum frugum nobis difficilior ſit euectio, quam ceteris plurimarum. Quo magis, Imperator, pietati tuae gratias agimus, qui, cum ſcires itinerum, regionum noſtrarum aditum atque adſpectum tam foedum, tamque aſperum, tamen illo deflectere, et urbem illam, ſola opis tuae exſpectatione uiuentem, illuſtrare dignatus es. Boni principis eſt, li-

3 4 5

datio, quam non recte cepiſſe uidetur Gruterus, (ex ea enim non ſequitur, ut putauerit, uias militares fuiſſe confragoſas,) ea igitur ſatis quidem ſpecioſa eſt; ſed dubito tamen, temere fortaſſe, an uia *ſitu confragoſa* eſſe dici queat. Quidquid ſit, lectionem Gruteri, ut certiorem et firmiorem, uiſum eſt amplecti. Patarol, una mutata littera, legi debere coniicit: *etiam mil. uia ſic confr.* quod nec ipſum ſpernendum. Mox Gud. Put. et Moerl. *ſed alternis motibus ardui aditus atque praecipites u. u. ſ. c. i. u. transmittant.* Τὸ *ſed* manifeſte depraua tum eſt, ex *et*; *motibus* ortum ex *mōtibus*. Cetera, quamquam non uitioſa, ſcripturae tamen reliquorum omnium non ſunt anteponenda. *Iaeg.*

VII, 3. *paucarum*) Sic pro *paruarum*, quod in Mſ. Gud. et in ed. Cuſp. Rhen. St. Liv. legitur, ex Lang. bene exhibent poſteriores edd. cum quibus etiam facit Moerl. *Id.*

VII, 3. *ceteris plurimarum*) Deſunt in omnibus noſtris, quae e Chaſſenaeo ſubſcribam. Sic igitur eſt in eo: *cet. plur. Horum locorum, Imperator, ingenium eſt huiusmodi, ut, te eorum adſpectum non horruiſſe, loco ſit ſummi beneficii; recreaſſe uero, plane non hominis, ſed diuinum opus omnes fatebuntur; nos proprie beneuolentia colemus ſempiterna. Quo magis etc.* Egregium fragmentum, et quo uno omnia eius exemplaris uitia bene compenſata. L.

VII, 4. *ſcires itinerum regionum noſtr.*) Poteſt a gloſſa eſſe uox *itinerum*, poteſt tamen et ferri. Nam *interim*, etſi non ineleganter etiam poſſit, uix audeam reſcribere. A.

libenter ſuos uidere felices; ſed melioris, inuiſe-
6 re etiam laborantes. Dii boni! quiſnam ille tum nobis illuxit dies? (iam enim ad praedicanda remedia numinis tui, ordine ſuo, peruenit oratio,) cum tu, quod primum nobis ſignum ſalutis fuit, portas ipſius urbis intraſti; quae te, habitu illo in ſinum reducto, et procurrentibus utrinque turribus, amplexu quodam uidebantur accipere.

VIII. Miratus es, Imperator, unde ſe tibi tanta obuiam effunderet multitudo, cum ſolitudinem ex uicino monte uidiſſes. Omnes enim ex agris omnium aetatum homines conuolauerunt, ut uiderent, quem ſuperſtitem ſibi lſbenter opta-
2 rent. Quod enim ad propagandos aliorum principum

VII, 6. *Dii boni!*) *DI mĩn* e Bert. notatur, ſi bene exſcriptum. Voluerit, opinor, librarius *immortales*, litteris modo inuerſis. Nam antiquaria ſcriptura *immortales*, ut norunt, qui ueteres codices inſpexerunt. L.

VII, 6. *iam enim ad praedicanda* etc.) In Cuſp. Rhen. Steph. Liv. mendoſe legitur: *iam enim ad praedicanda remedia ordine Numinis tui ſuperuenit oratio.* Sed ueram ſcripturam ex ſuo et Bert. Cod. protulit Liuineius, eamque exhibent quoque ceteri. Mox pro *portas ipſius urbis* idem Liuineii liber et Bert. *p. iſtius urb.* Quae in Mſſ. confundi, monet Drackenb. ad Sil. 6, 309. *Iaeg.*

VII, 6. *habitu*) an *aditu*, an *ambitu*. Sed nil mutandum. A.

VII, 6. *quae te — accipere*) Pro *te* Moerl. uitioſe *tu*, et pro *uidebantur*, exhibet *uidebatur*, ut non ad portas, ſed ad urbem referatur. *Iaeg.*

VIII, 1. *unde ſe*) Rhen. St. Liv. habent *unus ſe*: quod corruptum eſſe facile iam uidit Rhenanus, et ueram lectionem, quam ſcripti libri et editi omnes reliqui praeferunt, coniectura adſecutus eſt. *Id.*

VIII, 2. *Quod enim ad propagandos aliorum principum ſoll.* etc.) Hic aliquid deeſt, forſan reponendum annos. *Rh.*

Ad

cipum dies, ſollemni uerborum more, iuratur, tibi,

Ad abeſt in Bert. in Cuſp. editum *ad propag. ad aliorum*, etc. Mihi uenerat in mentem, ſuſpicari, *annos* excidiſſe, de Tertulliano, cuius ex apologetico uerba apponam, ut in Mſ. quodam offendi, et, meo animo, reſcribi debent: *Iam ſi pectoribus ad translucendum quamdam ſpeculatem materiam Natura obduxiſſet, cuius non praecordia inſculpta apparerent noui ac noui Caeſaris ſcenam congiariis diuidumdo praeſidentis etiam illa bora, qua adclamant: De noſtris annis tibi Iupiter augeat annos!* Sed in id uotum de more et ſollemniter iuratum, id uero, ut ingenue dicam, legere haud dum memini. Coniecturam quidem noſtram poſt reperi et in Rhenano. L.

Rhenanus *annos* inſerendum putauit; probo: quia ab ultimis ſyllabis uocis *propagandos* facile hoc potuit abſorberi. Probat et Rittershuſius, et pro *iuratur* legit *uouetur*. A.

In cod. Gud. legitur *propandos*. Pro *annos*, quod etiam Schonhov. addit, Put. et Moerl. cum Gud. habent *dies*. Quod tamen non *uitam* ſignificare, (hoc ſenſu enim *dies* Latine, ut Gall. *jours*, dici poſſe haud puto;) ſed *de diebus natalibus principum, quo imperium ſuſceperunt*, intelligi fortaſſe debet. Certe, cum *dies* ſimpliciter pro *die natali* uitae, in Cic. ep. ad Att. 13, 42. reperiatur, etiam de natali ſuſcepti imperii recte intelligi poſſe uidetur, quamquam exemplum huius uſus nondum inueni. *Propagare diem*, (paullo quidem aliter, quod facile agnoſco,) dixit Cic. Cat. 3, 11. *eamdemque diem intelligo, quam ſpero aeternam fore, et ad ſalutem urbis et ad memoriam conſulatus mei propagatam.* Id. Cat. 2, 5. *multa ſaecula rei publicae propagare.* Pro uoce itaque *annos*, quam Cellarius contextui interpoſuit, malui recipere τὸ *dies*, quod codd. auctoritate munitum eſt. Mox, pro *ſollemni*, Bert. notante Liuineio, *ſollemnium*. Sed elegantior eſt uulgatae lectionis hypallage. *Iaeg.*

VIII, 2. *iuratur*.) Rittershuſ. mauult *uouetur*; et Liuineius quoque haeſitat. At natali principum, quo imperium ſuſceperant, cum uoto pro ſalute ipſorum quoannis etiam iuratum fuiſſe, ex Plinii Ep. 10, 60. eſt manifeſtum. C.

Manifeſtum eſt, celebrantes natalem Principis *precatos* eſſe, ut illum Dii incolumem, florentemque praeſtarent; et *iuraſſe* ſc. in acta, nomenque illius. Haec non ſunt

Conſtantine, ſoli, ultra omnium noſtrum fata uicturo, ſecure uouemus, cui tam longa aetas pro-
3 pria debeatur. Magna eſt profecto uis poſt diuturnam aegritudinem atque maeſtitiam ſurgentium gaudiorum. Caluit in nobis ultra uires noſtras animus ad laetitiam, et, quodam praeſagio futurae felicitatis elati, tanta te exſultatione ſuſcepimus, quaſi iam indulgentiam, quam daturus eras,

ſunt confundenda. Itaque pro *iuratur* libenter ſubſtituerem *uouetur*, ſi libri addicerent. v. Lipſ. Exc. A. B. ad Tac. Ann. XVI. *Iaeg.*

VIII, 2. *ultra omnium noſtrum fata uicturo* etc.) Cod. Moerl. *noſtrorum.* Mox pro *ſecure* idem, nec non Liv. et Bert. *ſecuri.* *Id.*

VIII, 2. *ſecure uouemus*) Tutum eſt, tibi longos annos precari: haud dubie enim uota noſtra implebuntur; ſiquidem tibi, etiam absque uotis noſtris, longa aetas debetur, ut optimo principi. B.

VIII, 2. *cui tam longa aetas pr. deb.*) Mamertin. in Maximian. *Sed qui uelit omnia iſta complecti, ſaecula ſibi optare debet, et, quantam tu mereris, aetatem.* L.

VIII, 3. *Magna eſt prof. — gaudiorum.*) Plin. Hiſt. Nat. 7, c. 42. ſ. 43. *Exempla fortunae uariantis innumera ſunt. Etenim quae fecit magna gaudia, niſi ex malis?* Infra, paneg. Nazar. c. 32, 8. *Nihil eſt immoderatius, quam, poſt longam triſtitiam, repens gaudium.* conf. Pacat. c. 19. *Iaeg.*

VIII, 3. *ultra uires noſtras* etc.) *To noſtras* deeſt in Bert. Mox pro *futurae* idem, uti et Moerl. *uenturae.* Pro *et quodam praeſ. ſuſcepimus*, Rh. St. Chaſſ. male *ut q. p. — ſuſceperimus*; Cuſp. Liv. *ut q. p. — ſuſcepimus*; ceteri omnes ita, ut a nobis eſt editum. *Id.*

VIII, 3. *quam daturus eras*) Rh. St. *qua futurus eras.* Liv. neſcio unde, *quam uſurus eras.* Cod. Liv. Bert. Schonh. Lang. Cuſp. Put. Moerl. quos ceteri ſequuntur, *quam daturus.* Pro *eras* Moerl. uitioſe *eſſet.* Acidalius, lectionem Rhen. ſibi non placere teſtatus, facile reſcribi poſſe contendit: *Quaſi iam indulta, quae daturus eras, haberemus.* Sed, (fatebor enim,) mea ſecus eſt ſententia. Nam ſi u. g. in Plaut. Perſ. 2, 2, 32. (ubi uid. Taubmann.) *dictum habere* idem eſt ac *dixiſſe*, conſequens eſt, ut *indultum habere*

eras, haberemus. Exornauimus uias, quibus in palatium peruenitur, paupere quidem ſupellectile: ſed omnium ſigna collegiorum, omnium deorum noſtrorum ſimulacra protulimus; pauciſſima clarorum inſtrumenta modulorum, per compen- 4

habere ſignificet *indulſiſſe*, non *accepiſſe*; uti uult Acidalius. Et fac, ſignificatum, quem ſententia poſtulat, in iſta locutione ineſſe, idcirco tamen lectioni Rhen. non erit anteferenda, quae, auctoritate optimorum, u. g. Nep. Att. 17, 2. innixa, probabilior paene uulgata (*dare* enim *indulgentiam* recte et Latine dici uix credo,) probabilior, inquam, mihi uideretur, niſi obſtaret τὸ *haberemus*, quod cum illo *qua futuris eras* minus conuenit. Tenendum uero eſt, huius aetatis ſcriptores a recta et exquiſita ratione et lege loquendi non numquam aberrare, ideoque uerba eorum, licet a regula probatae Latinitatis recedant, non temere eſſe tentanda, ſi criticis rationibus ſatis uideantur munita. Quapropter conſenſum codd. h. l. coniectura Acidalii et lectione Rh. et Liv. quae unde petitae ſint non conſtat, potiorem eſſe iudicaui. *Id.*

VIII, 4. *ſed)* Vocem hanc Rh. St. Liv. omittunt; male. In ceteris exemplis, typis exſcriptis, et codd. Liv. Bert. Moerl. ea adeſt. Mox loco τοῦ *protulimus* itidem illi exhibent *pertulimus*; mendo ſine dubio ex compendio ſcripturae orto. *Id.*

VIII, 4. *ſigna collegiorum*) Treb. Pollio, Gallien. duob. c. 8. de pompis decenn. *Omnes uiae ludis, ſtrepituque et plauſibus perſonabant. Ipſe medius cum picta toga et tunica palmata inter Patres, (ut diximus,) omnibus ſacerdotibus praetextatis, Capitolium petiit. Haſtae auratae altrinſecus quingenae, uexilla centena, et praeter ea, quae collegiorum erant, dracones et ſigna templorum, omniumque legionum ibant.* Vopiſc. Aurelian. c. 34. de triumpho Imperator. *Iam populus ipſe Romanus, iam uexilla collegiorum atque caſtrorum, et cataphractarii milites, et opes regiae, et omnis exercitus, et Senatus, (etſi aliquanto triſtior, quod Senatores triumphari uidebat,) multum pompae addiderant.* Add. Alex. ab Alex. L. I. c. 26. Baunii ſententiam, *eruditorum hominum ſigna et imagines* hic intelligentis, non moramur. *Id.*

VIII, 4. *clarorum inſtrumenta*

dia ſaepius tibi occurſura, protulimus. Diuites nos crederet, qui ueritatem ſtudio aeſtimaret.
5 Sed enim prouidentiam tuam latere non potuit, quamuis bene diſſimulata, paupertas; intellexiſti officioſam et honeſtam inopum uanitatem.

IX. Sponte nos ad numinis tui aditum uocare, ſponte adfari, ſponte, quid opis deſiderare-
2 mus, interrogare dignatus es. Haec ſunt, Imperator, uera beneficia, quae non precibus efflagitata, ſed ex uoluntaria tua bonitate proueniunt, et,

menta modulorum etc.) Chaſſ. *cl. induſtria mod.* Sed nihil mutandum. Inſtrumenta muſica ſonora hic intelligi debere puto. Porro, *per compendia occurſura*, h. e. *per notos flexus uiarum.* Sic Florus 3, 3, 7. *Marius, mira ſtatim uelocitate occupatis compendiis, praeuenit hoſtem.* Iuſtin. 38, 9, 7. *Sed fugientem Phrahates, qui Arſacidae ſucceſſerat, equitum celeritate, per compendioſos tramites occupatum retrahit.* add. Schwarz. ad Plin. Paneg. 95, 5. Denique ultimam ſentent. huius uocem *protulimus* delendam cenſet Liuineius, ut otioſam. Facile quidem patet, non ſolum otioſam, ſed et inſuauem eſſe eiusdem uocis repetitionem. Puto tamen priore loco, poſt *ſimulacra* melius poſſe omitti. Ibi certe omiſit Patarol, quem ſequor. *Id.*

VIII, 4. *ueritatem ſtudio aeſtimaret.*) i. e. qui crederet, nos tantis re uera inſtructos eſſe opibus, quantas oſtentare ſtudebamus. *Id.*

IX, 1. *uocas;*) Codd. Bert. et Liv. *uocares*, adhaerente in fine littera prima ſequentis uerbi; hinc iam Liuineius recte coniecit *uocare*, uti legitur in Put. Gud. et Moerl. quos ſequor. *Id.*

IX, 1. *quod opus deſid.*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. Sed uera lectio, ex codd. Liv. Lang. Put. Moerl. petenda, iam a Liuineio et Acidalio commendata, adlatoque, quod mox infra legitur: *quid remedii poſceremus* confirmata, inde a Francofurt. in omnibus edd. reperitur. Pro *deſideraremus* Moerl. habet *deſideremus*; quod minus rectum. *Id.*

IX, 2. *bonitate*) Rh. St. Liv. *benignitate.* Vtrum malis, parum referre puto. *Id.*

et, citra ullam petendi moleſtiam, adipiſcendi uoluptatem dederunt. Neque enim parui negotii 3
eſt, imperatorem totius orbis, pro ſe peculiariter rogare, ſub tantae maieſtatis adſpectu perfricare frontem, uultum componere, confirmare animum, uerba concipere, trepidanter dicere, apte deſinere, exſpectare reſponſum. Has omnes dif- 4
ficultates, Imperator, uerecundiae noſtrae remiſiſti, non ſolum ultro percunctando, quid remedii poſceremus, ſed etiam tibi ipſi ſuggerendo,

IX, 2. *petendi moleſtiam*) Vetus eſt effatum : *Nihil carius emi, quam quod precibus emendum ſit.* Et uero beneficii ſui gratiam exſtinguit, qui non uotum rogantis occupat. Vid. *Senecam de Beneficiis.* B.

IX, 3. *ſub tantae maieſtatis affectu*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. Francof. Pariſ. prior, Pat. et cod. Moerl. cum ceteris. Liuineius coniecit *affatu*; Gruterus et Acidalius *adſpectu*; quod in contextum inſeruerunt Baunius et Cellarius. *Iaeg.*

IX, 3. *perfricare frontem*) pudorem in rogando deponere. Martial. 11, 27, 7.

Aut cum perfricuit frontem, poſuitque pudorem,
Succida palliolo uellera quinque petit. *Id.*

IX, 3. *trepidanter dicere*) Rectum hoc : ſed et rectum eſſe hoc in loco poſſit, quod alias plane contra, *intrepidanter.* A.

IX, 4. *remiſiſti*) Inepte cod. meus *renuiſti.* Mamertin. Grat. act. pro Conſulatu : *Parui autem, Imperator, putas eſſe beneficii, quod rogandi mihi periculum remiſiſti?* Auctor in Conſtantinum A. *Cum Natura in ceteris ſumtum operis remiſiſſet.* Plin. Paneg. *Prouinciis quoque in poſterum et iniuriarum metum et accuſandi neceſſitatem remiſiſti.* Lucanus, I. 9. ad Caeſarem :

— — Quam magna remiſit
Crimina Romano triſtis Fortuna pudori,
Quod te non paſſa eſt miſereri, perfide, Magni
Viuentis. — — — L.

IX, 4. *percunctando*) Moerl. *percontando*, uti et infra c. 10, 5. *percontatur.* Sed nolo uulgarem conſuetudinem deſerere, quam tuetur etiam Cort. ad Sall. Cat. 40, 2. *Iaeg.*

quae nos tacebamus, dum nos iacentes ad pedes
5 tuos clementiſſimo adtollis adfatu. Vidimus miſericordiam tuam humentibus oculis eminentem. Ibant per haec ora lacrimae, nobis ſalutares, tibi glorioſae; et nos inuicem, iam dolore diſcuſſo,
6 flebamus gaudio. Nam ſicut agros, diuturno ardore ſitientes, expetitus uotis imber ubertat: ita lacrimae tuae pectora noſtra gaudiis irrigabant; ut, quamuis nefas eſſet, te flente laetari, uinceret tamen gratulatio religionem, cum lacrimae illae pietatis eſſent indices, non doloris.

X. Et haec quidem nobis ad ſummam gratulationem ſufficere potuiſſent, etiamſi remediorum no-

IX, 4. *dum nos iacentes — adfatu.*) Supra: *Cum in illo aditu Palatii tui ſtratum ante pedes tuos ampliſſimum ordinem indulgentiae tuae uoce diuina, porrectaque hac inuicta dextera ſubleuaſti.* L.

Acidalius poſt *tacebamus* interpungit; ita, ut uerbis *Dum nos — adfatu*, prior; et *uidimus miſericordiam — eminentem* poſterior periodi pars abſoluatur; quod minus placet. Pro *adfatu* Liv. *afflatu*; male. Illud et manu et typis exſcripti omnes praeferunt. *Iaeg.*

IX, 5. *miſericordiam*) In Cuſp. ed. curta ſcriptura legitur *mīam*; hinc pudendo errore uulgatum *minimam*, notante Liuineio, qui idem mendum incidiſſe et Nazar. Laudat. in Conſtantin. c. 6, 2. et corruptum in eadem et *mira* pro *miſericordia*, c. 3, 3. indicat. *Id.*

IX, 6. *diuturno ardore ſitientes — ubertat*) Nota uerbum *ubertare*, niſi mutandum *uberat*. Nam *arore* non ſuſtineam reponere. A.

Lege *uberat*, ut Paneg. Plin. c. 32, 2. quem tu conſule. B.

Inſolens uerbum *ubertare*, nec uero propterea expungendum. Numero ſane et formae periodi, porrecta media, congruentius uidetur, quam, quod alii in locum ſufficiunt, *uberat*, quo Plinius ita uſus eſt Paneg. c. 32. C.

Verbum *ubertare* etiam in Paneg. Plin. l. c. probarunt et receperunt Schwarzius ac Geſnerus. *Iaeg.*

X, 1. *etiamſi* etc.) Cuſp. Rhen.

noſtrorum ſpem diſtuliſſes, et, quibus nos opibus leuaturus eſſes, dubium reliquiſſes: ſed tam promta in te eſt natura bonitatis, ut, quod pia mente conceperis, ſtatim uoce declares. Sic ingenui, largique fontes, ut ubique proſint, ire feſtinant: ſic celeriter in terras caelo miſſa perueniunt: ſic denique diuina illa mens, quae totum mundum hunc gubernat, quidquid cogitauit, illico fecit. In quo tamen, Imperator, ſi conſilium amici-

Rhen. St. Liv. *etſi*. Sed cod. Liv. Bert. Put. Moerl. cum edd. reliquis *etiamſi*. Mox *natura bonitatis* per periphraſin dictum uidetur, ut *Natura Deorum* pro *Dii*, et alia huius generis. Poteſt tamen *innata* quoque *bonitas* intelligi, quae interpretatio melius fortaſſe cum eo, quod ſequitur, *ingenui fontes*, congruit. Pro *conceperis* Petr. Daniel, Grutero teſte, reponit *conceperas*, uti habet Steph. Verum haec emendatio tum demum probanda eſt, cum ſequimur lectionem Liv. Rhen. et Steph. pro *declares* exhibentium *declarares*. At uero, cum *declares* in codd. Liv. Bert. Chaſſ. Put. Moerl. et Cuſp. reliquisque edd. reperiatur, nulla admittenda eſt mutatio. *Id.*

X, 2. *ingenui — fontes*) Lucret. 1, 231.

Vnde mare, ingenui fontes, externaque longe
Flumina ſuppeditant? — —

Lambinus et Creech h. l. *ingenuos* recte interpretantur non arte, manu, aut opere factos, ſed natiuos. *Id.*

X, 2. *ut ubique proſint*) Cuſp. Rh. St. Liv. *ut ubique poſſint ire*. Sed Liv. e ſuo ac Bert. Mſ. quibus et Put. cum Moerl. accedunt, ueram lectionem protulit, quam deinde ceteri amplexi ſunt. *Id.*

X, 2. *caelo miſſa* etc.) In Conſtantin. A. paneg. VI. Eumenii, c. 8, 5. *Illa, inquam, illa maieſtas, quae Iouis ſubiecta nutu, nec Iridi, deûm nuntiae, ſed pinnis commiſſa Victoriae, tam facile te comitata eſt, quam cito ad terras caelo miſſa perueniunt*. Statius, Thebaid. l. 3.

— — — Non ocius alti
In terram cadit ira Iouis, ſi quando niualem,
Othryn et Arctoae gelidum caput inſtitit Oſſae. L.

X, 2. *illico fecit.*) Rh. St. Liv. *illud fecit*. Sed Liuineius e ſuo et Bert. exemplo, item-

amici callidioris admitteres, esset, quod fortasse reprehenderetur; nimium te scilicet facile ea, quae sis tributurus, aperire, et, sine ullo artificio, cito promere, quae sperari diu debeant. Nescis, Imperator, tua commendare beneficia; praestan-
4 di celeritate occupas tempus optandi. Etenim indulgentiae celeritate uicisti, Imperator, ipsa elementa, quibus animamur et uiuimus. Diu uenturi hominis partus optatur; diu uagitus inconditi locuturam differunt uocem; diu fruges hiems

itemque Cusp. quibus Put. et Moerl. addi debent, ueram lectionem indicauit, quam ceteri editores merito sunt secuti. *fecit*, i. e. facere solet. *Læg.*

X, 3. *consilium amici callidioris*) Sic Cusp. Rh. St. Liv. Baun. In Francof. Paris. priore, Pat. et Cellar. et cod. Bert. deest uox *amici*; ante quam, in eodem et Liv. codice, legitur *alienius*; pro quo *alicuius* Put. Gud. et Moerl. habent. Mox, loco τοῦ *reprehenderetur*, codd. Liv. Bert. Put. Moerl. praeferunt *reprehenderet*; quod sibi non placere indicat Liuineius. *Id.*

X, 3. *sine ullo artificio*) v. infra Mamert. Paneg. Iulian. c. 18, 2. et Pacat. c. 19, 1. *Id.*

X, 4. *Sed enim*) Sic habent libri, quos consului, omnes. Verum, cum haec ad confirmanda et illustranda superiora addantur, nimis importunum usum est τὸ *sed*. Reposui itaque *et*; secutus auctoritatem Gesneri, qui in Quinctil. Instit. Orat. 7, 4, 5. pro *sed enim*, quod omnes libros obsederat, itidem substituit *etenim*. Licentia haec, sumta pudenter, nobis quoque, spero, dabitur. *Id.*

X, 4. *quibus animam uiuimus*) Haec est lectio Rh. St. Liv. in qua pro *animam* coniectura reponit Rhen. *animalia*. Meliorem uero, cod. Liv. Bert. Moerl. innixam, reliqui iam editores uulgauerunt. Cusp. et Schonhov. *animamur*, *uiuimus*, omissa particula *et*. Mox loco τοῦ *partus*, quod codd. Liv. Bert. Lang. Gud. Put. Moerl. et ed. Cusp. exhibent, uitiose Rh. St. Liv. *paratus*; sed uera lectio iam in Francof. Gruteri editione, ceterisque deinceps, reperitur. *Id.*

X, 4. *diu fruges — ematurat.*)

hiems cohibet, uer elicit, aeſtas flore ſolidat, calor ematurat. Tu nobis uitam pariter totam dediſti; tu fructus meritorum tuorum ſtatim nos metere, et in conditis referre iuſſiſti. Releuaturus cenſum, definiſti numerum. Reliqua remiſſurus, quantum deberemus, interrogaſti. Quae inter-

turat.) Acidalio placet *calore maturat*, puta, *aeſtas*; ſicut praeceſſit *flore ſolidat*. C.

Puteanus ex ſuo codice, cum quo, ut ſolet, Moerl. itemque Gud. conſentit, profert: *Ver elicit flores, aeſtas ſolidat* etc. Melius uero ſic legi putat: *Ver elicit, aeſtas ſolidat, calor ematurat.* Videtur enim ipſi το *flore* expungendum, ut ſuperfluum. *Iaeg.*

X, 4. *meritorum*) Pro *meritorum* neſcio an *munerum* aut *remediorum*. A.

Nihil hic mutandum. Nam *mereri* et *merita* poni pro *benefactis* certiſſimum eſt. Donatus ad Terent. Adelph. 2, 1. p. 259. ed. Lindenbrog. „*Mereri* et *promereri* eſt praeſtare beneficium.“ Virgil. „*Quique ſui memores alios fecere merendo*. Et — *numquam, regina, negabo Promeritam*.“ Sic etiam Seneca Med. act. 2. v. 120. *Durus merita contemſit mea*. et Herc. Oet. act. 5. v. 1811 ſq. *Arcadum an populos petam? Meritisque terram nobilem quaeram tuis?* et v. 1817. ſqq. *Thracias gentes petam, Hebrique populos? haec quoque eſt meritis tuis Defenſa tellus*. add. Iuuenal. 12, 124. *Iaeg.*

X, 4. *in conditis referre*) *condis* Bert. mutile, ut opinor. L.

Moerl. et Gud. *in conditis ferre*. *Iaeg.*

Metaphora ducta a meſſoribus, qui non ſimul et metunt et meſſes condunt in horrea. Mos autem bonorum principum ſemper fuit, adtritis bello uel alia calamitate ciuitatibus ac prouinciis onerum fiſcalium uacatione aut indulgentia ſubuenire. B.

X, 4. *definiſti numerum*) Scilicet cenſitorum. Sed et *quaeſiuiſti* arbitror uerum. Patet ex eo, quod ſequitur, *interrogaſti*. L.

X, 5. *Reliqua debita remiſſurus*) Το *debita* meo quidem palato gloſſam ſapit. Lego, eo remoto, *reliqua remiſſurus*. *Reliqua* abſolute uſurpari nemo neſcit: unde *reliquare, reliquator, reliquatio*, quae in optimo Gloſſario exponitur λοιπογραφια. Et in altero eſt: λοιπα, *reliqua*,

interrogatio manifesta promissio fuit. Nam cum is, qui omnia potest, quid sibi debeatur, interrogat, non curiose percunctatur, ut sciat; sed liberaliter cupit audire, quantum remittat.

XI. Separate igitur utraque dicam: neque enim quasi per saturam confundenda sunt tanta bene-

qua, reliquarum: (lego *reliquarium*, ut paullo ante λοιπαδάριον, *reliquarium*,) λοιπογραφία, *reliquatio*, λοιπάζω et λοιπογραφῶ, *reliquo.* R.

Bene remouet uocem *debita* Rittershus. Sic auctor ipse infra, c. 12, 4. *remissisque reliquis nihil est, quod respectandum, timendumque sit;* et c. 13, 1. *Quinque annorum nobis reliqua remisisti*, et s. 5. eiusd. cap. *Valet, plena fuisse horrea, plenas cellas, cum in nullis reliquis haereamus.* et c. 14, 3. *Quam multi, Imperator Auguste, quos inopia latitare per saltus, aut etiam in exsilium ire compulerat, ista remissione reliquorum in lucem exeunt.* v. quos laudat Cort. ad Cic. ep. ad div. 2, 13, 8. Glossam igitur hanc, a Cellario iam uncis inclusam, expungere non dubitaui. *Iaeg.*

X, 5. *qui omnia potest*) Bene *potest*: nec male *possidet.* A.

X, 5. *liberaliter*) *libenter* Chass. Non placet. L.

XI, 1. *utraque*) Rhen. Steph. Liv. *utique*; Liuineius in suo codice legit *utroque*, curte; integre in Cusp. *de utroque*, uti habet etiam Schonhov. Gud. et Moerl. *utrumque.* Bert. *utraque*; et sic a Francof. deinceps reliqui omnes. Mihi prae ceteris placet lectio Cusp. nec tamen extrudo uulgatam. *Iaeg.*

XI, 1. *per saturam*) Rh. St. *satyriam*; cum glossa marginali: *satyria, genus edulii.* Liv. in contextu et cod. suo, itemque Lang. Gud. Put. Moerl. *satyram*; Bert. *saturam*; quod, ut unice uerum, in Francof. ceterisque edd. legitur. Cellarius hic laudat Fest. Pompeium, in hac uoce: *Satura et cibi genus dicitur, ex uariis rebus conditum; et lex, multis aliis conferta legibus: et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur.* Diomed. l. 3. cap. de Poëmatis generibus: *Satura, lanx, referta uariis, multisque primitiis, quae in sacro diis inferebantur. Per saturam* itaque significat *per quamdam confusionem* et *sine certo ordine.* v. Cort. ad Sall. Iug. 29,5. *Id.*

beneficia. Septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum; et tamen, utrum sufficeret hoc nobis, saepius requisisti. O nos utrumne uerecundos dicam nimium, an satis gratos? qui reticuimus, haesimus, indulgentiae tuae ample fluenti modum fecimus. Plus adhuc praestare cupiebas, si ausi fuissemus exposcere. Quantum sit hoc, Imperator, beneficium, 2 3

XI, 1. *tua beneficia.*) Sic Rh. St. Liv. Reliqui omnes *tanta.* *Id.*

XI, 1. *Septem millia capitum)* Capita sunt tributa, quae in singula capita indicebantur. Glossae ueteres: *Tributum capitulare*, ἐπικεφάλαιος φόρος. B.

Censa erant XXV. millia; ex quibus VII. millia remissa, supra quartam summae partem: unde omnibus leuamentum. Hoc supra, c. X. dixerat: *definisti numerum.* C.

cf. Lipsi Excurs. K. in L. 1. Annal. Taciti. *Iaeg.*

XI, 1. *quartam amplius partem nostr. cens.*) Liberalius Bert. *quintam*; mendose. Censa enim XXV. millia capitum. Infra mox: *Remissione ista septem millium capitum uiginti quinque millibus dedisti uires.* Iam duc sis in digitos mihi quater sex, fiunt XXIV. Quod excurrit, id est scilicet, quod hic ait *amplius.* L.

Quintam habent etiam Gud. Put. et Moerl. Sed uera et indubitabilis est uulgata. *Iaeg.*

XI, 1. *utrum*) cod. Liv. Bert. Gud. Moerl. *an.* Fortasse melius. *Id.*

XI, 2. *satis gratos*) Noue meis auribus, pro *impendio et eximie.* Quo significatu in Arnobio, Ammiano Marcellino, Historiae Augustae scriptoribus, Sulpicio Seuero ac (ni fallor,) Macrobio legas. Graecis quoque ἱκανῶς est λίαν. Αἴσχρον ἡμῖν ἱκανῶς ἀλόγιστον nescio quis; alii passim. L.

Aduerbium *satis* augendi atque intendendi uim habere, multis bonorum scriptorum suffragiis uincit Brouckhus. ad Tibull. 2, 7, 35. *Iaeg.*

XI, 3. *Quantum sit hoc immo beneficium, quam necessarium nobis* etc.) Videatur transponendum alicui: *Quantum sit hoc beneficium, imo quam necessar.* Ego aliter: *Quantum sit hoc in nos beneficium, quam necessar.* A.

Vitio-

ficium, quam neceſſarium nobis, quam utile etiam deuotionis officiis, non queo ſatis dicere. Remiſſione iſta ſeptem millium capitum, uiginti quinque millibus dediſti uires, dediſti opem, dediſti ſalutem; plusque in eo conſecutus es, quod roboraſti, quam recidiſti in eo, quod remi-
4 ſiſti. Quater tantum tibi firmum, certumque reddi-

Vitioſam eſſe Rhen. lectionem, *immo* pro *Imperator* exhibentis, uidit Acidalius et medicinam adferre uoluit; ſed fruſtra fuit. Nam ceteri libri ſcripti et editi omnes praeferunt *Imperator*. *Iaeg.*

XI, 3. *quam utile etiam deuotionis officiis*) i. e. quam utile etiam ad praeſtanda obſequia, quibus tibi deuouemur, integra. B.

Τὸ *etiam* deeſt in Moerl. *Iaeg.*

XI, 3. *Remiſſione iſta* etc.) XXV. mille homines cenſum pendebant. Itaque huic eidem numero cum quartam amplius cenſus partem remiſiſſet, dedit vires XXV. millibus, effecitque, ut minore ſuo incommodo deinceps tributum ſoluerent. B.

XI, 3. *plusque in eo conſecutus es* etc.) Plusque tibi conſecutus es, ſubleuando alios, atque, ut facilius cenſum pendere poſſent, efficiendo, quam tibi ademiſti, ſuum ſeptem millibus tributum remittendo. *Id.*

XI, 4. *Quater tantum* etc.) Bert. *quartum*. Gud. Put. et Moerl. *quatenus tantum*. Puteanus ſuſpicatur, legendum eſſe: *quatenus tibi firmum* etc. deleto τῷ *tantum*, quod ex praecedentis uocis ultimis ſyllabis conflatum eſſe exiſtimat. Vel ſic: *quatenus tum tibi firmum* etc. Sed uulgata lectio, quam edd. omnes tuentur, non uidetur ſollicitanda. Rotunde dictum eſſe, non ex uero, ſi quidem quater ſeptem XXVIII. efficiunt, XXV. uero duntaxat millia capitum cenſa fuerunt, rotunde igitur hoc dictum eſſe, monuit iam Liuineius. *Iaeg.*

XI, 4. *ter firmum*) Sic Rhen. Steph. Liv. Acidalius, prauam hanc lectionem correcturus, repetit uocem *quater*, legique iubet: *Quater tantum, quater* etc. Verum Mſſ. nos docent meliora. Cod. enim Liv. Bert. Put. Gud. Moerl. una cum Schonhov. Cuſp. ceterisque edd. omnibus habent *tibi firm.* quod merito probat Liuineius, qui mendum inſolens

et

redditum est; id quod irrito petebatur. Siquidem desperatio perferendi debiti etiam id, quod dari poterat, inhibebat; nec erat ratio conandi, cum non esset spes ulla complendi. O diuinam, Imperator, tuam in sananda ciuitate medicinam! Sicut aegra corpora et onerata stupentium torpore membrorum, resecata aliqua sui parte, sanantur, ut imminuta uigeant, quae exaggerata torpebant: ita nos, nimia mole depressi, leuato onere, consurgimus. 5

XII. Nescit taxare indulgentiam tuam, qui te putat septem millia capitum sola donasse. Donasti omnia, quae stare feciſti. Quamquam enim adhuc sub pristina sarcina uacillemus, tamen le- 2

G g uior

et δυσυποτόητον, quo *tibi* in *ter* mutatum fuit, a litterarum compendiis arcessit, in quibus *ti* scriptum reperit, ut *tr* explicate *ter* est. Apud Ciceronem in L. Pisonem, c. 14. *Atque, ut tuum laetissimum diem cum tristissimo meo conferam; utrum tandem bono uiro et sapienti optabilius putas, sic exire (e Mſ.) a patria, ut omnes sui ciues salutem, incolumitatem, reditum (f. precarentur) precentur, (quod mihi accidit:) nn, (quod tibi, (in prouinciam Mſ.) proficiscenti, euenit,) ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam uiam et perpetuam esse uellent?* Hic, inquit Liuineius, uir et diligens et optima fide, Car. Langius in Mſ. quodam priuato legi adnotarat: *unam ter illam uiam* etc. perspicuo mendo, (quis neget?) sed ab eodem fonte. *Id.*

XI, 5. *quae exacerbata torp.*) Ita Cusp. Rh. St. Liv. Quae lectio cum sit mendosa, (*imminuta* enim et *exacerbata* non bene sibi inuicem opponuntur, et *exacerbata* ut *torpeant* uix potest fieri:) Acidalius legi uoluit *exacerbata*. Liuineius uero e suo et Bert. cod. notat *exaggerata*, uti legitur etiam in Put. et Moerl. idque editores reliqui recte receperunt. *Id.*

XII, 2. *sub pristina sarcina*) i. e. ordinaria pensitatione, de qua imminutum erat nihil; tantum reliqua annorum

uior uidetur, quia non omnis perfertur: exone-
3 randi praesumtio dat patientiam sustinendi. Certe et nunc liberi parentes suos cariores habent, et mariti

rum aliquot remissa. *Vacillemus* sic dixit, ut supra, c. 6, 2. *quibus in aere alieno uacillantibus* etc. L.

XII, 2. *quia nemo praefertur*) Sic Rhl. St. Liv. *perfertur* Cusp. Liuineius ex suo et Bert. cod. adfert: *quia uicino nemo praefertur*; et ita legitur in ed. Francof. Parif. pl iore, Pat. Cellariana. Gud. et Moerl. *quia uicino perfertur*. Puteanus coniicit: *quia animo praefertur*; quod nullam speciem habet. Liuineius probat τὸ *perfertur*; ita enim paullo ante: *desperatio perferendi debiti* etc. Difficilius uero ipsi uidetur uox *nemo*, pro qua, ante ueteres codices inspectos, reposuerat *animose*, h. e. certa spe et fiducia, scilicet soluendi; commode ad sensum, nec remote a litteris, sed turbat scriptura uetus, quam negat se expedire. Acidalius emendat: *quia non omnis porro feretur*, quod explicant sequentia: *Exonerandi praesumtio dat patientiam sustinendi*. Profert quoque aliam rationem, eadem sententia, minore mutatione: *quia non perferetur*. Baunius ex diuersis hisce lectionibus et coniecturis locum ita restituendum esse iudicauit: *quia non omnis perfertur*, et hoc in textum recepit. Facillima mihi uidetur emendatio Acidalii et sensui accommodatissima: *quia non perferetur*. Ex *no*, superscripta lineola, factum uidetur *nemo*; et ex hoc *uicino*, quae uox totidem fere ductibus, quot *nemo*, constat. Haec prima mali labes. Deinde uox *nemo*, adscripta in margine codicis alicuius cum alio exemplo collati, in textum reducta. *Iaeg.*

XII, 2. *exonerandi*) παθητικῶς. B.

Sic non raro gerundia adhibentur. v. Cort. ad Sall. Iug. 62, 8. Possit tamen h. l. ex superioribus uox *sarcinam* subaudiri. *Exonerare curas* dixit Seneca, Hippolyt. act. 2. v. 445. *Iaeg.*

XII, 2. *praesumtio*) i. e. spes ac fiducia, qua nobis tam firmiter aliquid promittimus, ut iam *praesumere* s. ante capere, eoque frui uideamur. v. Schwarz. ad Paneg. Plin. 79, 4. *Id.*

XII, 3. *Certe et nunc*) Loco τοῦ *nunc* Rh. Steph. Liv. habent *tum*. Sed ueram lectionem summo consensu Mss. et edd. ceteri tuentur. *Id.*

mariti coniuges non grauate tuentur, et parentes adultorum non poenitet filiorum, quorum onera ſibi remiſſa laetantur. Ita omnium pietas, olim feſſa, reſpirat, et ſuos quemque iuuat numerare ſecurum, cum plures adiuuant obſequia paucorum. Quo magis ſpe futuri temporis eleuamur. 4 Recreatur animus ſecuritate praeteriti, remiſſisque reliquis nihil eſt, quod reſpectandum, timendumque ſit, quod aliquid uirium uenturis penſitationibus necet. Ita duorum temporum, quae 5 ſunt maxima, moleſtia liberati ſumus; unum, atque id minimum, breui labore transigimus. Nam 6 cum praeteritum tempus, pro modo ſuo, longum, futurum autem infinitum ſit; praeſens tempus breue, et ſemper in partem utramque mutabile, cum et a praeterito relinquatur, et transeat in futurum: unus hic annus prope ſenſum non

XII, 3. *parentes adultorum non poenitet fil.*) Plin. Paneg. 27, 1. *Super omnia eſt, quod talis es, ut ſub te liberos tollere libeat, expediat.* Seneca, de Clement. 1, 13. *Tollere filios cupiunt, et publicis malis ſterilitas indicta reclu-ditur: bene ſe meriturum de liberis ſuis quisque non dubitat, quibus tale ſaeculum oſten-derit.* Id.

XII, 3. *cum plures adiuuant obſeq. pauc.*) Cum multitudo capitum ſingulorum onus minuit. B.

Moerl. mendoſe *aduocant* pro *adiuuant.* Iaeg.

XII, 4. *reſpectandum*) Terent. Adelph. 2, 1, 3. *Quid reſpectas? nihil pericli eſt.* Pacat. 38, 1. *Ibat interim Maximus, ac te poſt terga reſpectans in modum amentis attonitus auolabat.* Non audiendus Gud. qui *ſpectandum* habet. Id.

XII, 4. *necet.*) Forte *neget.* L.

XII, 6. *longum futurum aut infinitum ſit*) Sic, uitioſa diſtinctione et corrupta uoce, Rh. et St. Ceteri omnes recte. Mox uocem *tempus* poſt *praeſens* delendam cenſet Liuineius. Iaeg.

habet difficultatis, duorum temporum indulgentiis coarctatus, et quasi terminus quidam positus felicitati, et utriusque confinis, quae nos et praeterito liberos facit, et in futuro securos.

XIII. Quinque annorum nobis reliqua remisisti! O lustrum omnibus lustris felicius! O lustrum, quod merito hanc imperii tui aequauit aetatem! Nobis ergo praecipue te principem dii crea-

XII, 6. *indulgentiis*) Pluraliter etiam Auson. Paneg. c. 32, 1. *Neque uero unum aliquod bonum uno die praestas, sed indulgentias saeculares per singula horarum momenta multiplicas.* Id.

XII, 6. *terminus quidam positus*) annus praesens est terminus inter praeteritum tempus ac futurum, et utriusque confinium. C.

XII, 6. *felicitati et utriusque confinii*) Sic edd. omnes, praeter Baunianam, in qua legitur: *utriusque confinis*, ut ad *terminus*, uel potius *annus* referatur. Gud. Moerl. *et utrumque confinii.* Liuineius τὸ *et* uacare opinatur. Acidalius legere nos iubet: *confinium.* Vtriusque nempe temporis, praeteriti et futuri, praesens dicit esse confinium. Quid? si legas: *positus felicitati utriusque confinis.* Iaeg.

XII, 6. *qui nos et in praeterito liberos facit, et in futuro securos.*) Ita Cusp. Rh. St. Liv. Pro *qui* Liuineius ex suo et Bert. adfert *quae*, ut ad *felicitatem* referatur; et in iisdem codd. τὸ *in* ante *praeterito* non reperiri indicat. Hanc lectionem: *quae nos et praeterito liberos facit, et in f. s.* receperunt editores Francof. Parisienses, Cellarius, Patarol. MS. Moerl. *quae nos et praeterito liberos facit, et in futurum securos.* Quod si coniecturae nostrae, in adnotatione praecedente propositae, locus detur, retineam *quae*; sin minus, malim *qui*, ut referatur ad *annus.* Particulam *in*, ante *praeterito* non censeo delendam; nam *praeterito liberos facere*, quomodo hic accurate dici possit, non uideo. *In praeterito liberos facere* autem adfine uidetur locutioni, qua usus est Plinius Paneg. 40, 3. *in praeteritum subuenire*, et Sueton. Domit. c. 9. *uenia in praeteritum donare.* Si lectio cod. Moerl. *in futurum* recipienda esset, etiam hic *in praeteritum* legi deberet. Id.

XIII, 1. *aequauit aetatem*)

creauerunt, quibus ſingulis haec eſt nata felicitas, ex quo tu imperare coepiſti. Quinquennalia tua 2
nobis, etiam perfecta, celebranda ſunt. Illa enim, quinto incipiente ſuſcepta, omnibus populis iure communia; nobis haec propria, quae plena ſunt. Praeclara fertur Catonis oratio de luſtri ſui felici- 3
tate. Iam tunc enim, in illa uetere re publica, ad cenſorum laudem pertinebat, ſi luſtrum felix condidiſſent, ſi horrea meſſis impleſſet, ſi uindemia

zem) Quintus tum annus Conſtantini prope exactus erat: quae *quinquennalia perfecta* mox uocat; quinque etiam annorum reliqua Flauienſibus remiſerat. Haec eſt illa aequatio. C.

Hanc ῥῆσιν, explicata ratione cenſus ſ. collationis luſtralis, et definito accurate tempore, quo haec oratio habita fuit, praeclare illuſtrauit Pagius, Diſſ. hypat. p. 125. ſq. et p. 142. *Iaeg.*

XIII, 1. *ſingulis*) Arbitror rectum *ſingularis*. L.

XIII, 2. *Quinquennalia perfecta*) Haec propria Flauienſium erant, in beneficii memoriam celebranda. C.

XIII, 2. *quinto incipiente*) Rh. St. Liv. *quae te inc.* cod. Liuineii et Cuſp. *quanto*, Bert. *quinto*, et ſic recte reliqui. Gud. *quinto incepiſti* deleto τῷ *ſuſcepta*. *Iaeg.*

Ex hoc conſtat, quinquennalia, decennalia, uicennalia ineunte anno, a quo nomen habent, fuiſſe celebrata. C.

XIII, 2. *plena ſunt.*) i. e. exacto prope anno quinto celebrantur. *Iaeg.*

XIII, 3. *Catonis oratio de luſtr. ſ. f.*) Luſtrum condidit A. V. C. DLIX. P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino Coſſ. Orationis quidem in ueteribus Grammaticis qui exſerte meminerit nondum reperi. Antonius Riccobonus de Priſciani ſexto e *Cenſura de ueſtitu et uehiculis* haec adducit: *nam periniurium eſt, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, bonos detur, ubi datus eſt, (ſ. tum uti) tamen uti eos mutem, atque alii modi ſim.* Sed ea an haec noſtra ſit, non habeo adfirmare. Nota etiam *de ſuis uirtutibus contra Thermum*, in Feſto pluries, ſed quae ne ipſa quidem liquido huc pertineat. L.

redundaſſet, ſi oliueta larga fluxiſſent. Quid ergo nos conuenit gratulari de hoc indulgentiae tuae luſtro? luſtro, quo, licet nulla frugum ceſſarit ubertas, feciſti tamen, ut omnia uideantur fuiſſe largiora, quam fuerint. Valet enim, nos tantum habuiſſe, quantum debere deſinimus; ualet, plena fuiſſe horrea, plenas cellas, cum in nullis reliquis haereamus. Hoc nobis eſt iſta largitio, quod terra, mater frugum, quod Iupiter, moderator aurarum. Quidquid illi parcius dederant, nobis tamen ex beneficio tuo natum eſt.

XIV.

XIII, 3. *ſi oliueta larga fluxiſſent*) Forte legendum: *ſi oliuitas larga fluxiſſet*. Vt infra in Grat. Act. Mamert. *Vna certe unius eſt hiemis oliuitas.* *Rittersh.*

Pro *larga* Put. coniicit *large*, idque Baunio etiam adridet. Sed in Mamert. Genethl. 3, 5. ubi quidam editores pro *tacitae* aduerbium *tacite*, praeferunt, Schwarzius adiectiuum, ut elegantius, tuetur. cf. etiam Burmann. ad Phaedr. 2, 6, 13. *Iaeg.*

XIII, 4. *luſtro? luſtro*) Alterum *luſtro* abeſt a cod. Liv. Mox pro *ceſſarit* Chaſſ. *fuerit*, quod melius uidetur conuenire cum *parcius dederant*, ſ. 6. *Id.*

XIII, 6. *Hoc nobis eſt* etc.) Tua illa liberalitas nobis eſt inſtar abundantis terrae etc. *B.*

XIII, 6. *Quidquid illi.*) i. e. *utcumque, quamlibet.* Auctor Aetnae:

Quidquid in antiquum iactata eſt fabula carmen.

Hoc uult, opinor, utcumque Aetnaei incendii cauſſa antiquorum carminibus fabuloſe explicata et prodita eſt, Gell. 12. c. 1. *Quidquid ita educati liberi amare patrem atque matrem uidentur, magnam fere partem non naturalis ille amor eſt, ſed ciuilis et opinabilis.* Rutilius, Itinerario altero, de Stilicone:

Dumque timet, quidquid ſe fecerat ipſe timendum,
Immiſit Latiae barbara tela neci. L.

XIII, 6. *dederunt*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. Rectius ex cod. Liv. Bert. Put. Moerl. *dederant* ceteri. Mox pro *natum* Gud. non bene *tutum*. *Iaeg.*

XIV. Quaenam toto orbe terrarum auri, argentique metalla tam larga ſunt; quis Tagus, quisue Pactolus tanto fluxerunt auro, quantum liberalitate tua conſecuti ſumus? non enim maioris eſt muneris, abs te accepiſſe. Quin immo, quanto eſt durius, extorqueri, quod proprium fuerit, quam non adquirere, quod fuerit alienum; tanto dulcior eſt remiſſa ſoluendi neceſſitas, quam lucrandi optata commoditas. Quam multi, Imperator Auguſte, quos inopia latitare per ſaltus, aut etiam in exſilium ire compulerat, iſta remiſſione reliquorum in lucem exeunt, in patriam reuertuntur, deſinunt priſtinam accuſare pauperiem, deſinunt odiſſe agrorum ſuorum ſterilitatem, reſumunt animos operi, praeparant culturam, melio- 2 3

XIV, 1. *fluxerunt*) Cod. Liv. Gud et Bert. *fluxit*. *Id.*

XIV, 1. *nos enim* etc.) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. In ſuo et Bert. exemplo Liuineius pro *nos* inuenit *non*; mendoſe, ut putat. Acidalius uero id probat, et ſic explicat: „Ait, non „minoris eſſe muneris remiſ„ſionem debiti, quam largi„tionem beneficii. Non maius „munus, accipere, quam non „ſoluere.„ Eumdem in modum Cellarius: „Si ualet „*non*, quae ſequuntur *abs te* „*accepiſſe* opponenda ſunt τῷ „*remiſiſſe*. Hoc eſt: Si ipſis „tantum pecuniae donaſſet, „quantum remiſit reliquo„rum et capitationis, non „ideo maius munus aut iluſtrius donum fuiſſet.„ Puteanus ſatis appoſite coniicit: *non enim maioris eſſet muneris*, etc. Lectionem, quam Liuineius immerito damnauit, exhibent Franeof. Pariſ. Cellar. Pat. et cod. Moerl. *Id.*

XIV, 3. *in lucem exeunt et in patr. rev.*) Ita Cuſp. Rh. Steph. Liv. τὸ *et* abeſt in cod. Liv. Bert. Put. Moerl. recte, iudice Rittershuſio. Etiam poſteriores editores omiſerunt. Mox pro *pauperiem* Moerl. *paupertatem*; et pro *deſinunt* Cuſp. et Schonhov. bis *deſinant*; ſed hoc locum habere non poteſt. *Id.*

XIV, 3. *reſumunt animos — auſpiciis*) Aliter haec in cod. noſtro qua ſcripta, qua

ribus adnituntur auſpiciis, reuiſunt domos, refe-
4 runt uota templis! Praeſertim cum tu omnium no-
ſtrum conſeruator adueneris, et quaſi ille maie-
ſtatis tuae comes et ſocius: flagrabit tota ciuitas,
gaudiis

qua diſtincta: *reſumunt animos, operi praeparantur, culturam melior.* etc. parum ad ſtomachum meum. Quis enim ſic loquatur, *culturam anniti?* L.

Sine praepoſitione poſuit et Plinius ep. 6, 18, 1. *Quod ego — adnitar;* ſed non probanda eſt idcirco lectio, quam damnat Liuineius. Reperitur eadem et in Cuſp. ed. excepto quod haec, uti etiam Rh. Steph. et Schonhov. pro *praeparantur*, exhibet *praeparant.* Acidalius coniicit: *Reſumunt animos, manus operi praeparant, cult. mel.* Sed hoc neque neceſſarium eſt, neque probabile. *Iaeg.*

XIV, 3. *uota*) In edd. Rh. Steph. Liv. *dona;* ſed haec uox uidetur interpretamentum eſſe exquiſitioris *uota*, quae in codd. Liv. Bert. Put. Gud. Moerl. itemque Cuſp. ceterisque edd. inuenitur, et hic *res uoto dicatas Numini* ſignificat; uti Petron. c. 89. *Stipant graues Equi receſſus Danni, et in uoto latent;* h. e. in equo uotiuo, Palladi ſacrato. Eaedem uoces miſcentur quoque in Sedul. Carm. 3, 128. ubi Grunerus bene adſcrit VOTA. *Id.*

XIV, 4. *Praeſertim cum tu omn.*) Clarius mihi quidem uideatur, *praeſertim uero cum tu*, etc. immiſſo *uero.* L.

XIV, 4. *noſtrorum*) Ita legitur in edd. omnibus. Liuineius coniicit: *noſtrum;* et ſic habet exſerte Moerl. Facile haec permutantur; cuius rei exemplum uidimus ſupra c. 8, 2, ubi omnes alii *noſtrum*, Moerl. *noſtrorum. Iaeg.*

XIV, 4. *conſeruator*) Rh. St. Liv. *reſeruator*; quas uoces itidem miſceri adnotauimus ad paneg. 6, 20, 3. *Id.*

XIV, 4. *et quaſi illa maieſtatis — ſocius*) Ita Cuſp. Rhen. Steph. Liv. Pro *illa* cod. Liv. Bert. Put. Moerl. *ille*, quod uerum arbitratur Liuineius, et editores poſteriores amplexi ſunt. Liuineius uero et uerba transponit, hunc in modum: *et ille quaſi maieſt.* etc. etſi, quem auctor uelit, expedire ſe negat. Fortean, inquit, Fauſtum, e Mineruina filium. Sed hunc Fauſtum ſ. Criſpum filium, eo tempore, nondum fuiſſe Caeſarem, adeoque nec ſocium, monet Cellarius. Acidalius primum reprehendit Rhenanum, qui pro *quaſi illa* legendum eſſe ſuſpicatur *quaſillus*, quae uox qua ratione

huc

gaudiis perſtrepet, et, cum proficiſceris, fortaſſe retinebit. Dabis enim ueniam, amoris noſtri contumeliam feres. Omnium ſis licet dominus urbium, omnium nationum, nos tamen etiam nomen accepimus tuum iam, non antiquum; Bibra-

huc quadret, nemo fortaſſe poterit adſequi. Deinde ita legi iubet: *et pietas, illa maieſtatis tuae comes et ſocia.* Pietatem uocat benignitatem illam, qua in Flauienſes erat uſus. Puteanus coniicit: *adueneris, aut quis alius maieſtatis tuae comes et ſocius, flagr.* ut paneg. 6, 2, 5. *Inter omnes participes maieſtatis tuae* etc. Sed quisnam hic ſocius et comes maieſtatis ſit habendus, non indicat; nec ſibi ipſe ſatisfeciſſe uidetur hac coniectura. Profert enim alteram: *adueneris, quaſi illa maieſtatis tuae comes et ſocia flagrabit tota ciuitas* etc. Maieſtatis comes, propter ueterem ſplendorem et fraternitatem Pop. Romani, ut ſupra c. 3, 1. *Quo nomine,* inquit, — *et communitas amoris apparet, et dignitatis aequalitas.* Sed haec ratio admodum aliena eſt h. l. Acidalio accederet Cellarius, accederemus et nos, ſi libri pro *ſocius* haberent *ſocia.* Verum, cum in nullo eorum ita legatur: potior nobis eſt ſententia Liuineii. Filius enim Conſtantini dicitur tantummodo *quaſi* ſocius maieſtatis; et ſic, puto, dici potuit, licet nondum re ipſa eſſet Caeſar. Plinius, ep. 8, 16, 1. permittit ſeruis, *quaſi teſtamenta* facere, quae legitimis opponuntur. ſ. 2. Seruis — *quaſi ciuitas* eſt domus; quae a uera ciuitate diſtinguitur. Similiter etiam *quaſi ſocius maieſtatis* eſſe poteſt, qui a uero ſocio, i. e. Caeſare differt, eamque dignitatem nondum eſt conſecutus. *Id.*

XIV, 4. *Dabis enim ueniam* etc.) Sic hic locus legendus et diſtinguendus eſt. Primum ex meo et F. legendum: *Dabis enim ueniam amori noſtro.* Quae uerba debent includi parentheſi. *Contumeliam feres omnium ſis licet dominus urbium, omnium nationum. Nos tamen etiam nomen accepimus tuum iam: nam antiquum Bibracte, quo huc usque dicta,* etc. *Put.*

XIV, 5. *et nomen*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. *etiam* cod. Liv. Bert. Put. Moerl. et reliqua typis edita exempla. *Iaeg.*

XIV, 5. *tuum iam — Bibracte quidem*) Dubito, an: *accepimus tuum. Iam antiquitus Bibr. quidem.* etc. *A.*

cte quidem hucusque dicta est Iulia, Pola, Florentia; sed Flauia est ciuitas Aeduorum.

XIV, 5. *quidem*) Pro hac uoce exhibent *quod* codd. Liv. Bert. Put. Schonhov. et Cusp. Hinc fluxit aliqua ex parte emendatio Puteani, supra proposita. Verum, si hanc lectionem sequamur, sequentia non uideo qua ratione possint explicari. *Id.*

XIV, 5. *non antiquum— Aeduorum.*) Augustodunum, ut iam diximus; non Bibracte, quod oppidum et ipsum est in Aeduis. Quae deinceps sequuntur, mihi quidem incerta et obscura. Quis est enim hic Iulius Polius Florentius? aut quis transnominatum ab eo Bibracte in omni memoria prodidit? Deinde, quae haec tam insulsa hominis noui cum gente Flauia commissio, quae ab Diuo Claudio A. est ad Constantinum propagata? Inepta quoque illa: *sed Flauia est ciuitas Aeduorum.* Quasi uero non et Bibracte in Aeduis! Itaque, (ut semel dicam,) omne hoc, quo de loquimur, ut nullo iure huc intrusum, abesse iubeo et relego, de eoque equidem te frequens Lector in suffragium mitto. L.

XIV, 5. *Iulia Polia Florentia*) Ita Cusp. Liv. Francof. Paris. prior. Pat. Hinc pugnat Liuineius aduersus *Iulium Polium Florentium.* Steph. non neglecta distinctione: *Iulia, Polia, Florentia.* Denique Baun. et Cellar. *Iulia, Pola, Flor.* ex sententia *Valesii*, qui *Notit. Gall.* p. 61. hunc locum ita interpretatur: Bibracte quidem in Aeduis, et Pola Histriae, et Florentia Tuscorum, ab Iulio Caesare cognomen accepere et *Iuliae* sunt cognominatae: at ciuitas Aeduorum primaria, Augustodunum, a Flauio Constantio et Flauio Constantino, restitutoribus suis, *Flauia*, illustri nomine, appellatur, et eius incolae *Flauienses.* Pighius, in Herc. Prod. p. m. 21. haec ita explicat: „Bibracte non semel, sed ter „antea suum nomen mutauit; „coloniarum totiens eo de„ductarum occasione, cum „Rom. Principes attritam „bello diuersis uicibus re„staurarent.„ et proinde, Patarolo non dissentiente, tria illa nomina de Bibracte dici autumat. Idem, pag. sq. epilogum hunc in ultima periodo truncum et mutilum iudicat, et ad sententiam explendam subiungit, quae ipsi auctor dixisse uidetur, hunc in modum: *Sed Flauia est ciuitas Aeduorum haec immortali tuo, Imperator Auguste, beneficio in perpetuum nuncupanda.* At, quanto melior, inquit Patarol, est emphasis lectionis uulgatae! *Ineg-*

VIII.

VIII.

INCERTI
PANEGYRICVS
CONSTANTINO AVGVSTO
DICTVS.

DE AVCTORE
ET QVO LOCO AC TEMPORE PRONVNTIATVS SIT.

Habita eſt haec oratio anno Chriſti 313. poſt Maxentii cladem, menſe, opinor, Ianuario, Treueris, antequam Conſtantinus inde ad pacandos Germaniae tumultus diſcederet. Auctor incertus. Tamen Cl. Puteanus hunc Nazario tribuit: *Quod*, inquit, *coniicio ex ſtilo, et ex loco Panegyrici Nazarii, Conſtantino dicti, qui ſic incipit*: Non commemorabo, *inquit*, hic tectas continuis ſtragibus ripas, non oppletum aceruis corporum Tiberim: perſtringi haec ſatis eſt, quod et pridie prolixius mihi dicta ſunt. *Nempe in hac ipſa oratione, qua fuſius deſcribitur praelium, quo Maxentius debellatus eſt a Conſtantino. Deinde ex ordine, quo omnes noſtri Panegyrici conſtituuntur in ueteribus libris: ſubiicitur enim huic Panegyricus Nazarii, qui incipit:* Dicturus Conſtantini etc.

SYNOPSIS

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Acceſſurum ſe ad imperatorem laudandum negat, niſi nefas eſſet, ei, quem propter res leuiores ſaepe laudaſſet, propter recuperatum imperium non gratulari.*

DISTRIBVTIO I. *Quam fortiter Conſtantinus aduerſus Maxentium bellum ſuſceperit,* II. *Quam feliciter confecerit.*

I. PARS. *Diſſuadentibus amicis, auſpiciis aduerſantibus, imperii ſociis paene deſperantibus, cum quarta tantum exercitus parte Alpes transgreſſus, iturus aduerſus hoſtes duplo plures, cataphractos, et pro facinorum conſcientia nunquam ceſſuros,* c. 2. *Maxentium Seuerus, Galerius, et Maximianus adorti erant cum ingenti exercitu, omnes infeliciter,* c. 3. *Sed pro Conſtantino iuſtitia pugnabat. Huius uirtutes cum Maxentii vitiis conferuntur,* c. 4.

II. PARS. *Seguſium,* c. 5. *Taurinos,* c. 6. *Mediolanum,* c. 7. *Veronam,* c. 8. *Aquileiam capit, ubi ex pertinacioribus alios morte afficit, alios gladiis in uincula mutatis conſtringi iubet,* c. 11. *Victo ad ſeptimum ab urbe milliare Maxentio, eoque inter fugiendum e Miluio ponte in Tiberim collapſo,* c. 14. *uictor et triumphans in urbem ingreditur,* c. 19. *Quam diſſimilis Cinnae, Mario, et Syllae,* c. 20. *Quam clemens erga ciues, erga milites bonus, quos uictoriarum ſocios habiturus in inferiorem Germaniam ſecum deducit,* c. 21. *Conſtantii gloriam ſuperat,* c. 24. *Ob quae omnia ſingularibus a ſenatu honoribus donatur,* c. 25.

IN FINE. *Iouem precatur pro aeternitate Principis,* c. 26.

VIII. IN-

VIII.

INCERTI PANEGYRICVS CONSTANTINO AVGVSTO DICTVS.

Vnde mihi tantum confidentiae, ſacratiſſime Imperator, ut poſt tot diſertiſſimos homines, quos et in urbe ſacra, et hic rurſus audiſti, dicere auderem? niſi nefas eſſe ducerem, et commiſſi cuiuſdam ſacrilegii religionem uererer, ſi is, qui ſemper res a numine tuo geſtas praedicare ſolitus eſſem, haec tanto maiora priſtinis ſilentio praeterirem; per quae non pars aliqua ſeruata, ſed uniuerſa ſibi eſt res publica reſtituta. Neque 2
enim ignoro, quanto inferiora ſint ingenia noſtra Romanis. Siquidem latine et diſerte loqui illis ingeneratum eſt, nobis elaboratum; et, ſi quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiae imitatio noſtra deriuat. Sed, quamuis 3
conſcius mihi infirmitatis ingenitae et inchoati potius

I, 1. *Vnde mihi* etc.) Formam hanc loquendi illuſtrat Gronov. ad Sen. Herc. fur. v. 295. *Iaeg.*

I, 1. *et in urbe ſacra*) Romae, *et hic*, opinor Treueris, unde Conſtantinus diſceſſum parabat in Germaniam, ut in Conſtantini uita obſeruaui. *B.*

I, 2. *ex illo fonte et cap.*) Sic Pacatus, paneg. Theodoſ. A. *Abſurdae, ſiniſtraeque iactantiae poſſit uideri, his oſtentare facundiam, quam ex eorum fonte manantem* etc. *P.*

I, 3. *Sed quamuis conſcius mihi infirmitatis ingenitae* etc.) Legam: *infirmi ingenii et inchoati potius ſtudiis, quam eruditi.* *A.*

potius ſtudii quam eruditi, cohibere me ſilentio nequeo, quo minus de recuperata Vrbe, imperioque Romano, et tandem ex diuturna conuulſione ſolidato, et ipſe aliquid coner effari: ut inter tantos ſonitus diſertorum mea quoque uox 4 tenuis exaudita uideatur. Etenim ſi in rebus bellicis, ipſiſque praeliis, non ſolum tubae ac litui, ſed etiam Spartanae tibiae incentiuum aliquod feruntur habuiſſe; (credo, quia magnos animos paruo licet modulo ſufficit incitari:) cur ego in me de tuo fauore diffidam, ut ſermonem meum ſtudio potius tui cultus, quam ſuis uiribus metia- 5 ris? Experiar igitur, ut poſſum, quamquam oppletis auribus tuis, ut ſic dixerim, inſuſurrare, ſine aemulandi fiducia cupidus imitandi.

II. Ac

I, 3. *exaudita uideatur.*) Non fero hic Tullianum *uideatur*. Quanto enim melius erat *exaudiatur*? *Id.*

Terent. Eun. 3, 2, 1. *Audire uocem uiſa ſum modo militis*; ubi Donatus: *Omnes ſenſus uiſa dicuntur, ab eo, quod eſt certiſſimum oculorum. Ergo u i ſ a ſ u m, ſenſi*; *ut Virgilius*:

——— *Viſaeque canes*
ululare per umbram,
Aduentante Dea.

Ferendus igitur hic pleonaſmus. *Iaeg.*

I, 4. *Spartanae tibiae*) Lacones milites ſuos ad praelium exituros tibiis incendebant. Plutarch. περὶ μουσικῆς. Vide Apophth. Lacon. et περὶ ἀοργησ. Gellium l. 1. c. 11. P.

Pauſanias, Laconicis, (c. 17.) Λακεδαιμόνιοι τὰς ἐξόδους ἐπὶ τὰς μάχας οὐ μετὰ σαλπίγγων ἐποιοῦντο, ἀλλὰ πρός τε αὐλῶν μέλη, καὶ ὑπὸ λύρας καὶ κιθάρας κρούσματι. L.

I, 5. *oppletis uiribus*) Sic uitiose Rh. Steph. *uiribus* etiam Liv. Reliqui edd. et Mſſ. recte habent. In Gud. haec oratio deeſt. *Iaeg.*

II. Ac primum illud arripiam, quod credo neminem adhuc ausum fuisse; ut ante de constantia expeditionis tuae dicam, quam de laude uictoriae. Transacto enim metu aduersi ominis, 2

II, 1. *illud eripiam*) Ita Rh. St. Liv. *arripuit* ceteri, optime. Pacat. 3, 2. *id oratione mea tempus arripiam, quo Romana lux coepit.* Mamert. in Maxim. A. *cetera, et potissimum illud arripiam.* Vopiscus, Probo: *magnum et praeclarum principem, et qualem historia nostra non nouit, arripiam.* Locum Mamert. et Vopisci iam Liuineius aduocauit. *Id.*

II, 2. *Transacto enim metu aduersi ominis et offenso reuocati,*) Ita Cusp. Schonh. Francof. utraque Paris. *offensio reuocati,* Rh. St. cum cod. Liv. *offensionis reuocatae,* Liuineius, *offensa reuocati,* Cellar. Porro Mf. Put. et Moerl. cum duobus, teste Patarolo, Codd. Vaticanis: *Transacto enim metu aduersi hominis, et offensione reuocati.* Haec est scripturae uarietas; audiamus nunc interpretes. „Forsan legendum: ominis et „*offensiore uocati*: nisi malis „*offensione.* Rh.

„Manifesto corrupta; „nec hilum sanant, qui con„iiciunt *ominis et offensiore* „uel *offensione uocati*; magis „immo corrumpunt. Nam „quid, obsecro, faciunt ten„sus? ut de uocum ipsa ta„ceam structura. Ego auda„cter, sed, credo, uere emen„do: *Ten' suc. imp.* (hinc „quam facile postea natum „*Transacto enim?*) *nutu ad„uersi ominis et ostentis re„uocantibus* (*utandive. te n. a„quem t. i. m. e. t. u. suspen„dimus,*) *ten' Imp.* Sequen„tia inferius lege et proba„bis. A.

„Locus perdifficilis, et in „quo mihi ipse non admo„dum satisfaciam. Car. Lan„gius, uir doctissimus, *metu „adu. om.* rescribebat; uere, „ut arbitror. Sed et *offenso „reuocati* legerim, ut in Cusp. „pro *offensa,* scilicet ipsius „illius ominis, memoria et „sermone omnium repetiti. „Estque haec omnino, ut „ariolor, sententia. Nam „uictoria parta, quamlibet „comitum ac ducum tuorum „atque omnium nostrum lon„ge aliud omen ac metus „erat, (sequitur enim *contra „consilia hominum,*) superata, „inquam, hac diffidentia pu„blica, et sinistra ominum si„gnificatione in melius con„uersa, in quorum ipsorum „in peiorem partem interpre„tatione fieri potest, ut ali„quid

et offenſione reuocati, utar libertate erga te noſtri

„quid publice ſit peccatum, „cum tibi, Conſtantine, ſe„cretior quaedam et minus „uulgo perſpecta ratio con„ſtaret: (Nam huc equidem „traham, quod mox ſubdit, „*Habes profecto aliquod* etc.) „utar libertate etc. L.

„Melius uidetur, quod Lan„gio occurrebat *metu aduerſi „ominis*: et idem prorſus ue„niſſe in mentem Petro Del„benio, V. C. indicat manus „Petri Danielis. G.

„*Nutu*, i. e. ſignificatione „aduerſi ominis. Alii legunt „*metu* pro *nutu*. Mox pro *of„fenſo* legam *offenſa* uel *offen„ſione*. Infra dicit: contra „aruſpicum monita id bel„lum eſſe ſuſceptum: quare „crediderim, primum du„ctum eſſe auſpicium, quod „aduerſum fuit: tum illud „idem, reuocatum ac repe„titum, iterum aduerſum fu„iſſe. Hoc et ea, quae con„ſequuntur, huic loco, qui „multum uexauit interpretes, „lucem adferent. B.

„*Nutu*, i. e. ſignifica„catione. Vult dicere, pri„mum, ante expeditionem, „auſpicium *aduerſi ominis* et „infauſtum fuiſſe: nec id *re„uocatum* ſiue repetitum ſine „*offen*.. aut felicius: Id quod „paullo poſt n. 4. dicit *con„tra aruſpicum monita*. Ergo „iam tum de paganae religio„nis caerimoniis uidetur „Conſtantinus dubitaſſe.„ C.

Diſtincte nunc de ſingulis uideamus. Primum *tranſigere nutum ominis* pro *defungi periculo*, *quod omine fuit ſignificatum*, ἄτοπον nemini non poteſt uideri. Recepi itaque *metu*, quod melius conuenit, et magnis ſe iudicibus tuetur. Deinde, τὸ *offenſo*, quod, quamuis placeat Liuineio, durius uidetur, quam ut ferri queat, mutaui in *offenſione*, eamque uocem ita, uti Baunius et Cellarius interpretati ſunt, accipiendam puto. Liuineii enim explicatio, ſi ueriſimilitudinem non impeditam ſequamur, uix, ac ne uix quidem, ex toto poterit probari. Quodſi liceret, a litterarum tractu longius recedere, adſtipularer fere Acidalio, locum hunc, audacter quidem, ſed ſatis ſpecioſe emendanti: Nam ſi noſtra lectione, (aperte et ingenue confitebor) haud quaquam perſanatus uidetur. Poſſis fortaſſe etiam legere: *Tr. e. m. a. o. et oſtenſionis (h. e. oſtenti) reuocantis* ſc. te ab incepto. Voce *oſtenſio* ſic utitur Cyprianus, epiſt. 1, 2. *Crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admonemur*. Sed et hoc parum arridet. De cetero, quod Cellarius putat, iam

ſtri amoris, quem tunc inter metus et rei publicae uota ſuſpendimus. Tene, Imperator, tantum 3
animo potuiſſe praeſumere, ut bellum tantis opibus, tanto conſenſu auaritiae, tanta ſcelerum contagione, tanta ueniae deſperatione conflatum, quieſcentibus; cunctantibusque tunc imperii tui ſociis, primus inuaderes? Quisnam te deus, quae 4

iam tum de paganae religionis caerimoniis Conſtantinum dubitaſſe, uerum id quidem eſſe poteſt; ſed fortaſſe dubitauit ita, ut prudentiſſimus quisque Romanorum ducum, u. g. Iulius Caeſar, qui teſte Suetonio, c. 59, *ne religione quidem ulla a quaquam incepto absterritus umquam, uel retardatus eſt*; qui, *cum immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem aduerſus Scipionem et Iubam non distulit*: qui denique, eodem auctore, c. 81. *pluribus hoſtiis caeſis, cum litare non poſſet, introiit curiam, ſpreta religione.* Iaeg.

II, 3. *Tene imp. t. a. potuiſſe p.*) Frequens eſſe optimis ſcriptoribus, in admirationibus uti infinitiuis, omiſſo *mirandum eſt*, aut alio huius notae uerbo, docet Graeuius ad Iuſtin. 2, 14, 9. Similiter Graeci. Ariſtoph. Ran. v. 753. ſq. Τὸ δὲ μὴ παταύξαι σ' ἐξελέγξαντ' ἀντικρυς, ὅτι δοῦλος ὢν ἔφασκες εἶναι δεσπότης, ubi Schol. Λείπει τὸ θαυμάζω ἢ τοιοῦτόν τι. cf. etiam Berglerus ad eumdem Comici locum. In orationibus animi adfecti commode ſubauditur quoque *decet, aequum eſt, uel fieri poteſt.* Sic Pacuuius, in Sueton. Caeſ. 84. *Men'me ſeruaſſe, ut eſſent, qui me perderent?* cf. Sanctii Min. 4, 5. p. m. 657. *Id.*

II, 3. *tanta ſcelerum contagione*) Haec uerba abſunt Rh. St. Liv. Sed cum in ed. Cuſp. itemque cod. Bert. (cui addi quoque debent notata Schonhov. et codd. Put. et Moerl.) legantur, recepit illa in contextum Gruterus, quem reliqui ſequuntur. *Id.*

II, 3. *imperii tui ſociis*) Galerio Maximiano et Licinio, quem Galerius, antiqua ſibi conſuetudine notum, ac bello, quod contra Narſeum geſſerat, ſtrenuis laboribus et officiis acceptum in imperium adſumſerat. Eutrop. l. 10. L.

tam praesens hortata est maiestas, ut, omnibus fere tuis comitibus et ducibus non solum tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, contra haruspicum monita, ipse per temet liberandae Vrbis tempus ueniisse sentires? Habes profecto aliquod cum illa mente diuina, Constantine, secretum, quae, delegata nostri diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere. Alioquin, fortissime Imperator, sic quoque, cum uice-

II, 4. *praesens*) Liv. *potens*, quod glossam sapit. *Iaeg.*

II, 4. *sed etiam ap.*) Rh. St. *sed omen*, Liv. *sed omnem*; Cusp. codd. Liv. Bert. Schonhov. Put. Moerl. *sed etiam*, quod ceteri editores recte arripuerunt. Liuineius, ad Paneg. Plin. 77, 7. p. 703. ed. Schwarz. prodit, compendiis exscriptorum *omne* et *etiam* miscerі, quod et hic factum. *Id.*

II, 4. *haruspicum*) Rh. Steph. Liv. *auspicum*; ceteri omnes *haruspp.* *Id.*

II, 4. *haruspicum monita*) Quae hic sunt de infelici omine, de haruspicibus, de aduerso auspicio, fortasse accipienda sunt de Labaro, quod sub huius expeditionis initium Constantino uisum est. Crucem enim mali apud Romanos ominis fuisse, nemo, opinor, nescit. De prodigio illo uid. Constantini Vitam, ad annum CCCVII. B.

II, 5. *Habes profecto aliquid*) Ita Cusp. Rhen. Steph. Liv. Ceteri, ex emendatione Liuineii et Acidalii, praeferunt *aliquod*. Mox pro *illa* Liuineius coniicit *ipsa*. *Iaeg.*

II, 5. *cum ipsa mente diuina*) Et hoc supra attigi, paneg. 3, 10, 1. Infra, c. 16, 2. *Sed diuina mens, et ipsius urbis aeternae maiestas nefario homini eripuere consilium.* L.

II, 5. *delegata nostri diis minoribus cura*) Τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται θεὸς, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ, κατὰ τὸν Εὐριπίδην. Plutarch. in πολιτ. παραγγελμ. Aliquando putaui legendum *denegata* pro *delegata*: Sed nihil muto. P.

II, 5. *sic quoque, cum uiceris, redde rat.*) Recte *cum uiceris*: neque opus mutare in *cur uiceris*: quin imo sic perierit totus sententiae le-

pos

uiceris, redde rationem. Rhenum tu quidem, to- 6
to limite disposítis exercitibus, tutum reliqueras; sed hoc maiores pro te susceptmus metus, quod nobis potius, quam tibi, consulebas, nostramque pacem magis, quam bellum, quod adgrediebare, firmaueras.

III. Nae tu, imperator, nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis uere prouidere, qui non omnia tecum arma mouisti; cum tua conseruatio salus nostra sit. Et quid opus erat ipsi 2
Rheno instructis et militibus et classibus, quem iam pridem barbaris nationibus uirtutis tuae terror obstruxerat? An ostentare uoluisti diligentiam tuam, diuisis copiis inter custodiam pacis et belli? an etiam iactanter et glorioſe probare, li-

pos, aut potius tota uis. Respicit enim ad illud Ausonianum: *Quid me oneras, fusticator? Rationem felicitatis nemo reddit.* G.

II, 6. *tuum reliqueras*) Ita Cusp. Rh. St. Liv. Sed rectius, iudice Acidalio, in margine Rh. *tutum*, quod etiam in Mss. Liv. Bert. Put. Moerl. et editionibus reliquis legitur. *Iaeg.*

III, 1. *arma mouisti*) Ποιητικώτερον pro *copias* et *exercitus*. Infra: *explicari statim in frontem ordines et extendi latius arma iussisti.* Lucanus: *Impia concurrant Pompeii et Caesaris arma.* Statius: *cum rauca dabunt abeuntibus armis Signa tubae.* Alii passim. L.

III, 1. *cum in tua conseruatione s. n. s.*) Sic Cusp. Rh. St. Liv. Sed cod. Liv. Bert. Put. Moerl. *cum tua conseruatio* etc. quod reliquae editiones exhibent. *Iaeg.*

III, 2. *diuisis copiis*) Aliis ad Rhenum relictis, aliis in Italiam ductis. B.

III, 2. *aut etiam iactanter et glorioſe*) Omnes, quod sciam, exhibent *aut*, praeter Moerl. in quo *an* legitur: quod quin praeferendum sit, dubitare poterit nemo, qui Quinctil. Instit. Orat. 1, 5, 49. cum adnot. Gesneri, et Schwarzium ad Plin. Paneg. 64.

berandae Vrbi te sufficere cum paucis? uix enim
3 quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es: ut adpareret penitus considerantibus, (id quod nos fugit in amore trepidantes,) non dubiam te, sed pro-
4 missam diuinitus petere uictoriam. Duxerat magnum Seuerus exercitum; et hostem suum, perfidia desertus, armauerat. Maiores postea copias Maximianus admouerat, et ipse transfugis cir-

64, 2. et 84, 1. et in Supplem. p. 578. consuluerit. Mox pro *et glorioſe* Liuineius coniicit *ſed gl.* quod parum probabile. *Iaeg.*

III, 3. *uix enim quarta parte exercitus*) Ellipsis praepositionis *cum*, Graecismo adfinis, nec infrequens Latinis scriptoribus. Sallust. Cat. 57, 4. *Neque tamen Antonius procul aberat: utpote qui magno exercitu, locis aequioribus expeditus, in fuga sequeretur.* Ibi Cortius aduocat Liv. 31, 36. *Postero die omnibus copiis consul in aciem descendit.* et 36, 30. *Inde toto exercitu profectus, reliquum iter satis expedito agmine fecit.* His adiungi potest Virg. Aen. 11, 477. sq. *Nec non ad templum, summasque ad Palladis arces Subuehitur magna matrum regina caterua.* *Id.*

III, 3. *penitus*) Forte *penitius*. L.

III, 3. *in amore*) Moerl. *tui amore*. Sed non est sollicitanda uulgata lectio. *Iaeg.*

III, 4. *Duxerat magnum Seuerus exercitum*) Seuerus Caesar, a Galerio missus cum exercitu aduersus Maxentium, qui inconsultis et inuitis Augustis imperium inuaserat. Historiam tradit Eutropius 10, 2. Zosimus 2, 10. et Lactantius de Mort. Persec. c. 26. C.

III, 4. *Maximianus*) Inepte et contra historiam, qui Maximinus supponunt. Est enim Galerius Maximianus A. qui a Diocletiano A. Caesar creatus fuerat, Armentarius cognomine. Apud Iulianum Imperatorem, Caesaribus, Diocletianus ἄγει μεθ' ἑαυτοῦ Μαξιμιανόν τε τὸν δύω καὶ Κωνστάντιον. L.

Hic est Maximianus Galerius, qui, cognito Seueri Caesaris fato, ipse contra Maxentium profectus est in Italiam. Sed nec sibi milites fidos fore praesentiens, in orientem regressus est. Zosimus, 2, 10. C.

circumciſus uidebatur proſpere refugiſſe. Ipſe denique, qui pater illius credebatur, diſciſſam ab humeris purpuram detrahere conatus, ſenſerat, in illud dedecus ſua fata tranſiſſe. Mille et ſexaginta annis contractas ex toto orbe diuitias monſtrum

III, 4. *transfugis circumciſus)* Vox *circumciſus* deeſt in ed. Cuſp. Rhen. Steph. Liuin. Eam uero, ex cod. Bert. in quo, Liuineio teſte, legitur, adſumſerunt ceteri editores. Put. et Moerl. habent *circumciſis*. Liuineius coniicit *circumceſſus*, hoc eſt, ni fallor, cinctus atque circumdatus. Sed tali mutatione non eſt opus. *Transfugis circumciſus* dicitur, puto, is, cuius copiae, multitudine transfugarum, attenuatae ſunt et imminutae. Et ſane, quemadmodum milites Seueri praemiorum illecebris traduxerat Maxentius, ita et Maximiani exercitum, eadem uia, ab illo attentatum fuiſſe auctor eſt, praeter alios, Aurelius Victor, Caeſſ. c. 40. *Iaeg.*

III, 4. *qui pater illius credebatur)* Ipſe ſcilicet Maximianus Herculeus, qui credebatur pater Maxentii. Nam Maxentius putabatur ſuppoſitus eſſe filius Maximiani. P.

Epitome Sexti Victoris, (40, 13.) *Sed Maxentium ſuppoſitum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auſpicio gratiſſimi partus, coepti a puero.* Scripſi, quod arbitror germanum, et *a puero* eſt *a prole maſcula*. Infra: *ut omittam, quod erat ille Maximiani ſuppoſitus*. Iterumque: *ut falſo generi non inuideamus*. Mox *ſua fata*, i. e. imperii, olim ſui. L.

Anonymus Valeſii: *De cuius* (Maxentii) *origine, mater eius, cum quaeſitum eſſet, Syro quodam genitum eſſe, reſpondit.* B.

III, 4. *Purpuram detrahere conatus)* Lactantius de Mort. Perſec. 28, 3. *Aduocauit* (Maximianus) *populum ac milites, quaſi concionem de praeſentibus rei publicae malis habiturus. De quibus cum multa dixiſſet, conuertit ad filium manus, et, illum eſſe dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum, quas res publica ſuſtineret, deripuit ab humeris eius purpuram. Exutus ille praecipitem ſe de tribunali dedit, et a militibus exceptus eſt: quorum ira et clamore perturbatus eſt impius, et ab urbe Roma, tamquam Superbus alter, exactus eſt. Iaeg.*

III, 5. *Mille et ſexaginta annis)* Bellum enim Maxentii incidit in A. V, C. MLX. B.

ſtrum illud redemtis ad ciuile latrocinium manibus ingeſſerat. Ad hoc aliena matrimonia, innocentium capita cum bonis paſſim donando, uſque ad mortem deuotionis obſtrinxerat parricidas: omnes autem inſidiatos ſibi, aut palam aliquid pro libertate conatos, poenis adfecerat, armis

III, 5. *monſtrum illud*) Maxentius, et *prodigium*, c. 7. n. 1. C.

III, 5. *ingeſſerat*) in Romam, in fiſcum, ad abutendum. Niſi aliud forſan diſpiciendum uerbum eſt. *Id.*

Nodum in ſcirpo quaerit Cellarius. Senſus eſt: Maxentius opes, mille et ſexaginta annis ex toto orbe Romam congeſtas, militibus ſuis, tamquam auctoramentum ciuilis latrocinii, dederat, eaque largitione, et alia quaedam gratificando, (quae ſect. proxima commemorantur,) uoluntates eorum adeo redemerat, ut ipſi corpora, animasque addicerent. Infra, c. 14, 6. *Fruimini, aiebat, diſſipate, prodigite.* *Iaeg.*

III, 6. *ad mortem deuotionis*) Forte *mortis deuotionem.* L.

Deuotionem capitis, uitae dici, nemo ignorat: num uero etiam *deuotio mortis* inueniatur, fateor, me neſcire; quamquam facile agnoſcam, ἀναγωγὴς dici poſſe. Vt ut ſit, uulgatam tamen mutatione non indigere arbitror. Quemadmodum enim Virg. Aen. 2, 436. *uulnus Vlyſſei* eſt, quod Vlyſſes inflixit, et Senecae Herc. Oet. act. 2. v. 447, *malum pellicis*, quod a pellice proficiſcitur: ita *mors deuotionis* erit, quae ob deuotionem oppetitur, eiusque effectus haberi poteſt. Eam *deuotam mortem* dixit Lactant. de Mort. Perſ. 47, 3. Senſus igitur eſt: Obſtrinxerat eos adeo, ut ad ſubeunda maxima pericula et pectora morti deuouenda eſſent paratiſſimi. Sic de principe meliore Claudianus, IV. Conſ. Honor. 118. ſqq.

Magnarum largitor opum, largitor honorum:
Pronus et in melius gaudens conuertere fata.
Hinc amor, hinc ualidum deuoto milite robur.

In iis, quae mox ſequuntur, loco τοῦ *autem*, quod ex Lang. adſumtum editores pleriique exhibent, Cuſpin. praefert *ante*, cod. Liv. *aut*, probante Liuineio, qui una cum Rh. et St. in contextu uocibus *omnes inſidiatos* nullam particulam interponit. *Iaeg.*

mis oppreſſerat. Et inter haec utebatur eius ur- 7
bis maieſtate, quam ceperat; totam Italiam con-
ductis ad omne facinus ſatellitibus oppleuerat.

IV. Haec omnia, Imperator, cum cogita-
res, ſcires, uideres, nec te paterna grauitas, nec
tua natura temerarium eſſe pateretur; dic, quaeſo,
quid in conſilio, niſi diuinum numen, habuiſti?
An illa te ratio ducebat, (ſua enim cuique pru- 2
dentia deus eſt) quod, in tam diſpari contentio-
ne, non poterat melior cauſſa non ſuperare; et,
innumerabiles licet ille copias pro ſe obiiceret,
pro te tamen iuſtitia pugnaret? Vt enim omittam 3

IV, 1. *dic quae et quid in conſilio niſi diuinum numen hab.*) Haec eſt lectio Rhen. Steph. Liv. niſi quod illi *ro et* omittunt. Rhenan. in margine notat, legendum ſibi uideri *quaeſo*, et ſic habet Cuſp. cod. Liv. et Bert. cum reliquis qua ſcriptis, qua typis excuſis. Pro *in conſilio* Put. ex ſuo cod. adfert, probatque *in conſilium*. Notiſſimus eſt uſus praepoſitionis *in* cum quarto caſu loco ſexti; de quo uid. Taubm. ad Plaut. Amph. 1, 1, 25. ut alios praeteream: ſed tamen non ubique inculcandus. Liuineius ex ſuo cod. et N. pro *diuinum* notat *tuum*, quod fortaſſe ab ingenioſo correctore, ea, quae proxime ſequuntur, non ſatis conſiderante, et uerba ſ. 5. *diuino conſilio, hoc eſt, tuo* ante oculos habente, eſt profectum. *Id.*

IV, 2. *ſua cuique — deus*) Reſpexit ad illud Aen. 9, 185. *An ſua cuique deus fit dira cupido?* B.

Ita Mezentius, Aen. 10, 773. *Dextra mihi deus.* Cornel. Att. 16, 4. *facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodam modo eſſe diuinationem.* Iaeg.

IV, 2. *diſpari contentione*) Supra, c. 3, 3. Conſtantinum adloquens: *Vix quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hoſtium Alpes tranſgreſſus es.* B.

IV, 2. *quod — poterat — pugnaret?*) Liv. *pugnabat*; ceteri, ut nos. Hanc modi mutationem exemplis pluribus adſerit Cort. ad Cic. ep. ad div. 12, 2, 7. Baunius aliam ratio-

illa, quae non decet comparari, quod erat ille Maximiani ſuppoſitus, tu Conſtantii Pii filius; ille deſpectiſſimae prauitatis, detortis, ſolutisque membris, nomine ipſo abuſiua adpellatione mutilato; tu, quod ſufficit dicere, tantus ac talis: ut haec, inquam, omittam; te, Conſtantine, paterna pietas ſequebatur, illum, ut falſo generi non inuideamus, impietas; te clementia, illum crudelitas; te pudicitia, ſoli dicata coniugio, illum libido, ſtupris omnibus contaminata; te diuina prae-

rationem uidetur inſiſſe, omiſſa uocula *et* ante *innumerabiles*; quo facto uerba *in tam diſpari contentione non poterat melior cauſſa non ſuperare* per parentheſin orationi inferenda eſſe puto. Sed noſcio, an parentheſis tam frequens poſſit ferri. *Iaeg.*

IV, 3. *Conſtantii pii*) Exſtat numus in Triſtani commentar. hiſtor. cuius titulus: *D. Conſtantio Pio Principi.* v. paneg. 6, 7, 3. B.

IV, 3. *prauitatis*) Moerl. *paruitatis.* Haec facile permutantur. Vulgata quidem probabilis eſt et uerbis ſtatim ſequentibus declaratur: ſed illa tamen magis fere arridet, propterea quod, ſicuti *detorta et ſoluta membra* τῷ *talis*, ita *paruitas* τῷ *tantus* ſcite opponitur. *Iaeg.*

IV, 3. *nomine — mutilato*) Indicare uidetur, Maxentium a Maximiano dictum, truncato et mutilato nomine. B.

Mihi uero aliud quiddam ſubeſſe, et Maxentius in deſpicabilem adpellationem, uulgi ſermone, impactus fuiſſe uidetur, cuius mentionem hiſtorici, quos habemus, intermittunt. *Iaeg.*

IV, 4. *ut hoc, inquam,*) Sic Cuſp. Rhen. Steph. Liv. ſed codd. Bert. Put. Moerl. cum reliquis excuſis melius *haec.* *Id.*

IV, 4. *ſoli dicata coniugio*) Ita meliores libri ſcripti et typis impreſſi. Rhen. St. Liv. *ſola*, quod iam Acidalius mutari iuſſit. Baunius ex hisce uerbis, contra Zoſimum, qui Mineruinam, ex qua Conſtantinus Criſpum ſuſcepit, παλλακην uocat, colligit, illam iuſtae uxoris loco ab eo habitam fuiſſe. *Id.*

IV, 4. *libido, ſtupris omnibus contamin.*) Suidas: Μαξεν-

praecepta, illum ſuperſtitioſa maleficia; illum denique ſpoliatorum templorum, trucidati ſenatus, plebis Romanae fame enectae piacula; te abolitarum calumniarum, te prohibitarum delationum, te

Μαξέντιος, βασιλεὺς Ῥωμαίων, ὃς κακῶς τοὺς Ῥωμαίους ἐπέτριβε, τυραννικῷ μᾶλλον ἢ βασιλικῷ τρόπῳ χρώμενος κατ' αὐτῶν, μοιχεύων ἀναιδῶς τὰς τῶν ἐλευθέρων γυναῖκας, καὶ πολλοὺς ἀναιρῶν, καὶ ποιῶν τούτοις ἀκόλουθα. *Id.*

IV, 4. *ſuperſtiti.* *maleficia*) Maxentii mores, crudelitas, libidines, ſtupra, proſcriptiones, calumniae, et *magicae artes* pluribus uerbis deſcribuntur ab Euſebio, c. 27. l. 8. c. 8. l. 9. Hiſtor. Eccleſiaſt. Cap. 27. et 29. de Vita Conſtantini. Zonar. l. 2. Eutrop. l. 10. Prudentio, l. 1. contra Symmachum et aliis. *Put.*

IV, 4. *plebis Rom. fame enectae*) Euſeb. de Vita Conſtant. de Maxentio: οὕτω μὲν οὖν ἐπὶ Ῥώμης ὁ τυραννῶν οὐκ ἔστιν εἰπεῖν οἷα δρῶν τοὺς ὑπηκόους κατεδουλοῦτο. ὡς ἤδη τῶν ἀναγκαίων τροφῶν ἐλάττη σπάνει καὶ ἀπορίᾳ καταστῆναι ὅσον ἐπὶ Ῥώμης, οὐδ' ἄλλο τέ ποτε οἱ καθ' ἡμᾶς γενέσθαι μνημονεύουσιν. Vid. Paull. Diacon. princ. l. XI. *Id.*

IV, 4. *abolitarum calumniarum*) Nazar. c. 38, 4. *Nouae leges regendis moribus et frangendis uitiis conſtitutae: ueterum calumnioſae ambages reciſae captandae ſimplicitatis laqueos perdiderunt.* Aurelius Victor ep. 41, 14. de Conſtantino: *Commodiſſimus multis rebus fuit, calumnias ſedare legibus ſeueriſſimis.* Vid. Euſeb. l. 4. de Vita Conſtant. *Id.*

IV, 4. *te prohibitarum delationum* etc.) Liv. *probatarum*, Cuſpin. Rhen. Steph. *te probitatum*, *del.* quod iam Rhen. coniectura ita emendauit, uti nos, ex codd. Liuin. Bert. Schonhov. Put. Moerl. et accuratioribus edd. hic proponimus. Pronomen *te* ante *conſeruatio* delet Put. et Moerl. qui pro *homicidiarii* exhibet *homicidiarum*. Cuſp. Rh. Steph. Liv. *homicidarum*.

Fran-

te conseruatio, atque homicidiarii sanguinis gratulatio. In tam diuersa causarum ratione diuino consilio, Imperator, hoc est, tuo, non militum multitudinem, sed partium merita numerasti.

V. Magnus Alexander, cum, praeter Macedonas suos, cunctae Graeciae, uniuerso Illyrico innumerabilem dilectum posset indicere, numquam tamen maiores quadraginta millium copias duxit;

Francof. Paris. prior, Cellar. Pat. *homicidarii*, Baun. ex Bert. *homicidiarii*. Liuineius uocem *conseruatio* post *gratulatio* ponendam esse censet. Acidalius duas uoculas inseri iubet, quas notatas saltem, non perscriptas excidisse putat, sc. *te P. R. conseruati atque homicid.* i.e. Populi Romani. Opponit enim, iudice illo, hoc illi superiori membro, *Trucidati senatus, plebis Rom. fame enectae piacula.* Locum in mendo cubare satis liquido adparet; nec ullum remedium libri adferunt. Emendatio Liuineii, τὸ *te* omittentis et uocem *conseruatio*, sublatam loco priore, post *gratulatio* reponentis, non sufficit ad remouendam difficultatem. Nam ea uox, in fine periodi collocata, non habet quo referatur. Quodsi Acidalium sequamur, sententia efficitur quidem planior; sed post *sanguinis* uox aliqua desiderari uidetur. Patarol, parum sollicitus de uerbis, ita conuertit: *Voi la conservazione del Romano Popolo, e la consolazion dello scempio degli di lui uccisori.* Desunt fortasse etiam plura, quae *diuinare mihi magnus non donat Apollo.* Iaeg.

IV, 5, *non militum multit.* etc.) Infra paneg. 9, 7, 2. *Tantum inter arma bona conscientia sibi uindicat, ut iam coeperit non uirtutis magis quam integritatis esse uictoria.* Propert. 4, 6, 51, seq.

Frangit et adtollit uires in milite caussa:
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.

ubi v. Brouckhus. Onosander, Strat. c. 4. ὅσοις νομίζουσι, νεμεσήσειν τὸ θεῖον ἐπὶ τῷ παρὰ τὸ δίκαιον ἐκφέρειν πόλεμον, αὐτῇ τῇ οἰήσει, κἂν μή τι δεινὸν ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀντήσειν μέλλει, προκατορθοῦσιν. Id.

V, 1, *maiores quadrag. millium*) Particulam *quam* saepius

duxit; inhabile regenti ratus, quidquid excederet, et turbam potius quam exercitum. Tu uero 2
etiam minoribus copiis bellum multo maius adgreſſus es; tanto ſcilicet tua uirtute propria potior, quanto ille numero inſtructior. Et ille 3
quidem contra leues Medos, et imbelles Syros, et Parthorum arma uolatica, et Aſiaticos, optantes mutare ſeruitium, rem geſſit praelii unius euen-

ſaepius omitti docet, praeter alios, Sanctius, Min. 4, 7. p. m. 699. Sed et comparatiuis, more Graecorum, addi genitiuos, cum Salmaſio, contra ſententiam Perizonii, adſerit Heuſinger ad Vechn. Hellenolex. p. 292. Prior tamen ratio hic potior eſt, nec audiendus Liuineius, qui *millibus* legendum eſſe coniicit. Ante *maiores*, ex codd. Liv. Bert. Put. Moerl. Schonh. et edd. Cuſp. Francof. Pariſ. priore et Cellar. uocem *tamen*, omiſſam reliquis, inſerui. De copiis Alexandri Plutarchus, in eius Vita, p. 1232. H. Steph. Τῆς δὲ στρατιᾶς τὸ πλῆθος, οἱ μὲν ἐλάχιστον λέγοντες, τρισμυρίους πεζοὺς, καὶ πεντακισχιλίους ἱππεῖς· οἱ δὲ πλεῖστον, πεζοὺς μὲν τετρακισχιλίους καὶ τρισμυρίους, ἱππέας δὲ τετρακισχιλίους ἀναγραφουσιν. De modo exercitus Veget. 3, 1. *Cum Xerxis et Darii et Mithridatis, ceterorumque regum, qui innumerabiles armauerant populos, exempla releguntur, euidenter apparet, ninium copioſos exercitus, magis propria multitudine, quam hoſtium uirtute, depreſſos. Nam pluribus caſibus ſubiacet amplior multitudo.* Id.

V, 3. *leues Medos*) Τὸ *Medos* omittit Moerl. et mox pro *Aſiaticos* habet *Aſiacos*. Id.

V, 3. *praelii unius*) haud dubie illius, quo imperium Aſiae rapuit. Paullo ante commiſſum ad Arbela praelium, teſte Diodoro Siculo, pag. 592. l. 17. H. Steph. ἔφησεν ὁ Ἀλέξανδρος, Δαρεῖον, εἰς ἕνα τόπον ἠθροικότα τὰς δυνάμεις, ἀπολελυκέναι πάσης ἀγωνίας αὐτόν· μιᾷ γὰρ ἡμέρᾳ κριθέντα περὶ τῶν ὅλων, παν-

euentu; tibi uincendi erant milites, pro nefas! paullo ante Romani, armis omnibus, more primae classis, armati, et, pro facinorum conscientia, numquam nisi morte cessuri. Probauit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis Alpium iugis, munitissimo licet muro ac situ tenentes oppidum,

παύσασθαι τῶν πόνων καὶ πολυχρονίων κινδύνων. Et Darius, Curt. 4, 14, 10. *Hic dies imperium, quo nullum amplius uidit aetas, aut constituet aut finiet.* *Id.*

V, 3. *more primae classis armati*) More primi ordinis et praestantissimorum militum. Terrestris exercitus etiam *classis* antiquis: et *classes* pro equitibus. Vide Tanaquilli Fabri epist. 47. l. 1. et Festum inspice, ac Gellium ex Pictore, 10, 15. C.

Ciues classis primae, ex instituto Seruii Tullii, armis melioribus utebantur, quam inferiorum classium ciues. Liv. 1, 43. *Prima classis. — Arma his imperata galea, clypeum, ocreae, lorica, omnia ex aere. Haec ut tegumenta corporis essent. Tela in hostem, hastaque et gladius. Secunda classis. — Arma imperata, scutum pro clypeo, et, praeter loricam, omnia eadem. Tertia classis — nec de armis quidquam mutatum; ocreae tantum ademtae. In quarta classe — arma mutata; nihil praeter hastam et uerutum datum. Quinta classis — fundas, lapidesque missiles bi secum gerebant.* Adde sis Dionys. Halicarnass. l. 4. p. 221. Sylb. Polyb. 6. 21. Lipsius de Mil. Rom. 3, 6. p. m. 84. *Iaeg.*

V, 3. *et, pro facinorum conscientia, numquam* etc.) Argute aliquot editiones, *et, prob facinorum conscientia! numquam n. m. c.* Sed nostrum uidetur ut simplicius, ita et uerius. G.

V, 4. *munitissimo licet muro ac situ* etc.) Liuineius et Acidalius legi iubent *munitissimum.* Mutatio non improbabilis. Plautus, Perf. 4, 4, 5. *Vt munitum muro tibi uisum est oppidum?* „Etiam „licet, inquit Acidalius, non „hic conuenit. Forte *scilicet*: „nisi *licet* sic usurpatum, ut „solet *quamuis* et *quamlibet*.„ Fac uero, *licet* hic poni pro *quamlibet*, uerba tamen non bene erunt inter se apta et connexa, sed potius repugnantiae aliquid habebunt. Itaque non possum non probare emendationem Acidalii, *scilicet* substituentis. *Iaeg.*

pidum, ausi fuerunt, te imminente, resistere ac portas claudere; non credentes illi quidem, ut audio, te ipsum adesse; (quis enim crederet, tam cito a Rheno ad Alpes imperatorem cum exercitu peruolasse?) sed qui tamen non solum praesenti numini tuo, uerum etiam nuntiato nomini, cedere debuissent. Luerunt igitur illico dementiae suae poenas, cum oblatam sibi a clementia tua ueniam recusassent. Neque enim uallo, fossaque obsessio inchoata est; nec cuniculis agendis, nec machinis admouendis, nec incutiendo ariete tentati, quassatique sunt muri; sed statim iniectae faces portis, scalae propugnaculis; nec solum fundis eminus, telisque missilibus, sed hastis, gladiis.

V, 4. *oppidum*) Segusium itineris ratio et situs monstrat: quod Nazarius Panegyrico, itidem Constantino dicto, confirmat, qui cap. 17. et 21. eamdem historiam persecutus, *Segusiensem ciuitatem* dixit. C.

V, 5. *sed tamen non s. p. N. t. uerum etiam nunciationi nominis cedere debebant.*) Ita prodidit Liuineius: sed iam ipse, in margine meliorem scripturam ex suo et Bert. cod. et Cusp. indicauit, eamque ceteri recte tuentur. *Iaeg.*

V, 6. *nec solum fundis eminus, telisque missilibus, sed hastis, gladiis. Ita res*) Forte *gladiis agi res.* L.

Lego: *nec statim iniectae f. p. s. propugnaculis, sed solum fundis eminus, telisque missilibus pugnatum.* Ita enim leui oppugnatione ista ueniam illis obtulit, quod ante dicebat. A.

Locus parum expeditus. In lectione uulgata desideratur uerbum *pugnatum est*, quod inserit Acidalius, uel aliud huius significationis. Equidem scio, Graecos suum μάχεσθαι uel πολεμίζειν non numquam reticere; num uero eadem ellipsis etiam in Latinis reperiatur, non habeo dicere. Liuineii emendatio, etsi non omnino certa et uera, tamen minime spernenda uidetur. Frequentissima illa historicis enallage, qua pro finitiuo uerbum infinitiuum po-

gladiis. Ita res simul coepta et patrata, iunctusque rebellibus fuit conatus et exitus.

VI. Gomphos, urbem Thessaliae, quoniam abnueret obsequium, C. Caesar uno die sustulit. Sed ille Graeculos homines adortus est, tu subalpinos: ille solos incolas, tu etiam militare praesidium: ille non potuit captos a direptione defendere, tibi licuit clementiam tuis uictoribus
2 imperare. Et illic quidem Gomphensium clades docu-

ponitur, oratores etiam, ubi narrant, uti, docet Cort. ad Sallust. Cat. 6, 4. uid. infra h. paneg. c. 7, 6. et 11, 4. Acidalii emendatio nequaquam potest probari. Nam uerba *Neque enim uallo, fossaque* cet. non referenda sunt ad *oblatam ueniam*; sed ad illa *Luerunt igitur illico dementiae suae poenas*, quia scilicet Constantinus non obsidione, sed statim ui summa adortus est oppidi praesidium. Non dicam, quam male lectionis Acidalii uerba cum sequentibus cohaereant; id enim uir doctus non poterat animaduertere in exemplo, quo utebatur. Deerant nimirum omnia, quae leguntur a uerbis *telisque missilibus* usque ad cap. 8, 1. *acerrimis ducibus*; quae ex suo, Bert. Lang. Cuip. suppleuit Liuineius, cui reliqui addunt se comites. *Ineg.*

V, 6. *res simul coepta et patrata*) Sallust. Iug. 21, 2. *Adherbal cum paucis equitibus Cirtham profugit, et, ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentes moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret.* L.

VI, 1. *Gomphos C. Caesar* cet.) Vide ipsius Caesaris B. Civ. 3, 80. G.

VI, 1. *obsequium*) *imperium* legit Lang. L.

VI, 1. *Graeculos homines*) per contemtum. Liv. 8, 22. *Quum relatum esset a Graecis, gente lingua magis strenua, quam factis, ferox responsum.* Ineg.

VI, 1. *subalpinos*) De uirtute Gallorum uide, quos laudat Cort. Sall. Cat. 40. 1. *Id.*

VI, 2. *Sed illi quidem*) Ita Liv. Francof. utraque Paris. Pat. Pro *illi* Bert. Lang. Moerl. *illa*, Cuip. *illinc*, ex quo Liuineius fingit *illic*. Similiter et Gruterus aut hoc malit, aut *ibi*; ac praeterea *sed* mutandum censet in *et*; atque ita

documento ceteris fuit; tibi paullo poſt alia in Taurinatibus campis pugna pugnata eſt, non trepidantibus ex uictoria tua rebellibus, ſed iratis, incenſiſque ad ulciſcendum animis, quos fortunae inclinatio reſtinguere debuiſſet: nec uero temere 3 ac paſſim uagis hoſtibus, ut facile palantes caederentur; ſed acie in cunei modum ſtructa, deſcendentibus retro in altitudinem lateribus; quae, cum prima auide confligeret, reflexa impeditos certamine circuiret. Sed tu id prouidens, praemiſſis utrimque, qui obuiam irent, et ſimul, ſi quid inſidiarum lateret, excuterent, ipſe, obfirmato illo capite, deiectaque acie in fugam uerſa, tanto 4

ita edidit Cellarius, quem ſequimur. *Sed* cum *et* interdum turbari uidimus ſupra paneg. 6, 6, 3. et 7, 10, 4. *Id.*

VI, 2. *campis pugna*) Moerl. inſerit *grauior*. *Id.*

VI, 3. *fort. incl. reſtringere*) Vitioſe ſic omnes, praeter Moerl. cum Cellar. et Patar. Rittershuſius iam monuerat, legendum eſſe *reſtinguere*: praeceſſit enim *iratis, incenſisque animis*. *Id.*

VI, 3. *quae ſi cum prima av. c.*) Sic omnes, excepto Baunio, qui uoculam *ſi* exeſſe iuſſit; Liuineius ſuſpicatur, eam ualere *ſcilicet*, compendio ſcripturae. Non male: *Si* certe ferri commode non poteſt. *Id.*

VI, 4. *obfirmato illo capite, deiectaque acie*) *Capite*, hoc eſt, exercitus duce, Ruricio, ut exiſtimo, et *obfirmato* eſt duro ac pertinace. *Deiectam aciem*, ita enim reſcribam, primam appellat et uelut cunei frontem. L.

Baunius mutationem uocis *deiecta* in *detecta* uidetur probare; *caput* uero longe aliter, et rectius fortaſſe, interpretatur, dum locum totum circumlocutione ſic explicat: „Sed exercitu com„poſito in figuram cunei, la„teribus retro abeuntibus in „profunditatem; ut, dum an„terior *pars exercitus noſtri* „certaret animoſe, latera *ho„ſtium* explicata circumda„rent *noſtros*, occupatos cer„tamine. At tu, praecauens „illud, praemiſſis qui occur„rerent obuiam, et ſimul ex„plora-

maiorem in proceſſu ſtragem edidiſti, quanto
5 amplioribus ſubſidiis inſtructa conſtiterat. Ita uſque ad Taurinatium muros fuſi, caeſique, obſerataſque nacti portas ab incolis, etiam corporum ſuorum mole clauſerunt.

VII. Quid tibi aliud ſperare potuiſti, miles infelix, turpiſſimo illi tunc deuote prodigio?
2 iam enim non inſulto, ſed doleo. Conſtantinum tu tantum ſanguinis fundere coëgiſti. Cui, quia ſalutem ueſtram a uobis impetrare non li-
3 cuit, paene diſplicuit ipſa uictoria. At non Taurinatibus, neque ceteris Italiae ciuitatibus idem animus fuit, qui te, Imperator, exſultan-
4 tes gaudio certatim ad ſe uocauerunt. Miſſae ab omnibus legationes, oblati undique commeatus: ut appareret, quamdiu deſideraſſent, cui ſe tam prompte, bello adhuc reſtante, committerent.

„plorarent, an aliquid inſi„diarum lateret; tu ipſe, con„iecto in fugam pertinaci illo „roſtro, et facie cunei aper„ta, tanto maiorem feciſti „ſtragem in progreſſu certa„minis, quanto etc.„ *Caput porcinum*, itemque *roſtrum* uocabatur acies, in *cunei* ſ. trigoni formam compoſita. v. Lipſ. de Mil. Rom. 4, 7. p. m. 115. *Iaeg.*

VII, 1. *turpiſſimo illi tunc deuote prodigio?*) Quem tam prodigioſa ac turpis clades manebat. B.

Male, ſi quid uideo. *Prodigium* hic eſt Maxentius, quem ſupra 3, 5. *monſtrum* adpellauit, et infra, 14, 2. *portentum*. Sic Cicero, Or. in L. Piſ. c. 4. *Ergo his fundamentis poſitis conſulatus tui, triduo poſt, inſpectante et tacente te, a P. Clodio, fatali portento, prodigioque rei publicae, lex Aelia et Fufia euerſa eſt.* cf. infra, c. 17, 2. Claudianus, in Rufin. 1, 89. ſqq.

Eſt mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius feta, uiolentius Auſtris
Acribus, Euripi reſtuis incertius undis,
Rufinus. — — — *Iaeg.*

terent. Qui fuit dies ille, quo Mediolanum in- 5
greſſus! quae gratulatio principum ciuitatis! qui
plauſus populi! quae ſecuritas intuentium te
matrum, uirginumque! quae duplici fructu frue-
bantur; cum pulcherrimi imperatoris formam ui-
derent, et licentiam non timerent. Oſtentare 6
ſe omnes, et tripudiare, ſine ullo de reliquiis
belli metu, et auſpicium uictoriae tuae pro con-
ſummatione metiebantur. Non Tranſpadana pro- 7
uincia uidebatur recepta, ſed Roma. Quis enim
crederet, tantis ſucceſſibus tuis ullum obſtacu-
lum fore, quo minus omnes exercitus ſe clemen-
tiae tuae traderent, cum uirtutis experimentum
nouiſſent? Muros ui ceperas, acie palam uice-

VII, 5. *quae ſecur. int. te matr. te uirg? quam* etc.) Bert. *uirginumque.* Cuſp. et Moerl. *uirginum quaeque.* Ita etiam teſte Puteano, Pulmann. In aliis, uti idem indicat, *intuentium te matrum et uirg.* Forte, inquit, legendum: *intuentium te matrum, uirginumque, quae* etc. Quod haud dubito quin uerum ſit. Lectio Liv. Grut. Pariſ. Pat. Cellar. eſt: *quae ſec. int. te matrum, te uirginum? quam duplici fructu fr.* Veriſimilius eſt, lectionem, quam nos exhibemus, fuiſſe mutatam, et inde effictam illam uulgatam; quam ex hac noſtram procuſam eſſe. *Virginumque quae,* inſuaue fortaſſis auribus correctoris, mutationis occaſionem potuit dare; fortaſſis etiam ſcribendi compendium dedit. *Quam duplici f. f.* dure dici et parum commode uidetur. Nolo uerboſius rem perſequi, quae intelligentibus non poteſt eſſe obſcura. Aſperitatem compoſitionis non ſemper refugiſſe uereres, ad Nepot. Lylandr. 1, 5. oſtendit Heuſingerus. *Id.*

VII, 6. *de reliquis belli*) Sic Liv. et Baun. At Bert. et Moerl. una cum edd. reliquis *reliquiis.* *Id.*

VII, 6. *Oſtentare ſe omnes — metiebantur.*) Simili ratione et Salluſtium miſcere modos et Capitolinum, oſtendit Cort. ad illius Cat. 21, 4. v. infra c. 19, 2. *Id.*

VII, 7. *ui ceperas*) v panegy. 9, 17, 3. *Id.*

8 ras. Quis tam demens uidebatur, ut aut obsideri auderet, aut congredi? praesertim cum tu, dies aliquot Mediolani resistens, tempus sibi omnibus consulendi dedisses, ut de te sperarent.

VIII. Sed enim aerumnosa illa, et iampridem, media aetate nostra, ciuili sanguine maculata Verona, maximo hostium exercitu tenebatur, acerrimis ducibus, pertinacissimoque praefecto; scilicet, ut, quam coloniam Cnaeus Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus euerte-
2 ret. O miserabilem Veronensium calamitatem, quos

VII, 8. *resistens*) subsistens, commoratus. Plin. Paneg. 10, 4. *Iam te prouidentia deorum primum in locum prouexerat: tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere, optabas.* v. ibi Schwarz. In fine pro *ut de te sperarent* Moerl. *ut de te sperare liceret.* *Id.*

VIII, 1. *media aetate nostra*) Ingenue fatebor: nescio, quid sibi uelint illa *media aetate nostra*: nec tamen aliquid succurrit, quod eorum loco reponam. Nam ut faciamus *medietate nostra*, i. e. dum medii sumus, neque hanc, illamue partem etiam sequimur, nescio, de qua medietate loquatur. Viderint igitur eruditiores, quid sibi uelit auctor. G.

Quod *media aetate* sua contigisse istud ait, id est, cum esset in flore aetatis, quae *aetas media* dicitur, ut obseruaui, paneg. 6, 1, 1. B.

VIII, 1. *ciuili sanguine maculata Verona*) Sabini Iuliani motum intellexerit, opinor, qui, imperium inuadens, a Carino, in campis Veronensibus, interfectus est. Epit. Sext. Vict. 38, 6. L.

VIII, 1. *quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat*) Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, ut puto; de ipso refert Asconius, Comment. in Pisonian. Cicer. quod transpadanas colonias deduxerit, quibus ius Latii dederit. Ex hisce uero praedicantur a scriptoribus Verona, Comum, Laus Pompeia. *Pat.*

VIII, 1. *Pompeianus euerteret*) Nazar. Paneg. Const. c. 25. *Ruricium* uocat. Cognomen igitur alterutrum est. C.

Vnde

quos non tam tua, quam inteſtina ſatellitum preſſit obſidio! quippe Atheſis ille, ſaxis aſper, et gurgitibus uorticoſus, et impetu ferox, oppugnationem prohibebat, omnemque retro regionem inuehendis copiis tutam, defenſamque praeſtabat. Quod tamen ne diutius hoſtem iuuaret, 3
prouidentia tua factum eſt; cum ſuperioribus in locis, qua lenior amnis, et ignari hoſtes erant, exercitus parte proiecta ancipiti periculo, clauſos

Vnde hîc *Pompeianus* dicatur, ex nullo auctore conſtat. Mihi olim in mentem uenerat, ut Pompeiani nomine intelligerem Conſtantinum, qui rei publicae ſalutem ac libertatem, ſicuti olim Pompeius, tuebatur. *Pan.*

VIII, 2. *oppugnationem prohib.*) *oppugnatione* cod. uet. Puteani. *Iaeg.*

VIII, 1. *regionem euehendis copiis*) Primum *inuehendis* emendem: deinde *copias* exponam *commeatum*. Infra: *Tu Romae tuae altor copiis ſubuehendis* etc. Eumenius in Conſtantinum: *ut lente et cunctanter itinere confecto, conſumtis copiis manſionum, ne quis conſequi poſſet exercitus, repente intra parietes conſideret purpuratus*, etc. Seneca, de Benef. 6, 7. *nec fluminibus gratias agimus, quamuis aut magna nauigia patiantur, et ad ſubuehendas copias largo ac perenni alueo currant, aut piſcoſa et amoena pinguibus aruis interfluant.* L.

Emendationem hanc, probatam quoque Acidalio, confirmat cod. Bert. et Moerl. in quibus ante *euehendis* uocula *in* legitur. *Iaeg.*

VIII, 3. *lenior amnis*) Ita Rh. St. Ceteri ſcripti et editi recte *lenior*. Eum enim ante *ſaxis aſperum et gurgitibus uorticoſum* dixit. *Id.*

VIII, 3. *exercitus parte proiecta*) Dele ſectionem poſt *proiecta*, ac poſt *periculo* repone. Nam *ancipiti periculo* eſt *fortunae et aleae belli*. L.

Lege *traiecta*. Itaque Virdungus coniecerat, ut notauit, ad oram libri ſui, Rittershuſius, et editum a Goldaſto illo. A.

Traiecta habet etiam Schonhov. *prouecta* Patarol. Sed uulgata non uidetur ſollicitanda. *Proiicere* eſt *periculo obiicere, fortunae committere*. Sic Tullius, ep. ad Att. 9, 6. *Tuas nunc epiſtolas a primo lego. Hae me paullum recreant. Primae monent et rogant, ne me proiiciam. Proximae*

ſos obſeſſosque, omiſſa ſpe morae, experiri armis coëgiſti, adeoque omnes, qui eruptionem tentauerant, cecidiſti, ut ipſe etiam dux cum parte

ximae te gaudere oſtendunt, me remanſiſſe. Infra, h. paneg. c. 10, 3. *In quae nos fata proieceras.* *Iaeg.*

VIII, 3. *clauſos, obſeſſosque peiora exp. armis*) Obſcura, ſi qua alia, ſcripta lectio, et in qua ungues admordeas, *obſeſſosque obmiſſos pemora exper.* In Cuſp. quoque editum *obſ. q. omiſſos poenora exper.* Sed erui tandem, et cum cura, *obſeſſosque omiſſa ſpe morae exper. Spe morae*, i. e. trahendi obſidione diutina belli. Lucanus de Maſſilia, lib. 3. v. 388. ſqq.

Iam ſatis hoc Graiae memorandum contigit urbi
Aeternumque decus, quod non impulſa, nec ipſo
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Praecipitem curſum, raptisque a Caeſare cunctis
Vincitur una mora. — — —

Infra: *unum iam illud timebatur, ne ille, contentus his uiribus, grauiter adflictus et in arctum redactus, boni conſuleret, et debitas rei publicae poenas obſidione differret.* *L.*

Vox *peiora* uereor ne inſititia ſit a gloſſatore, qui phraſin *armis experiri* non concoxerit, niſi quid addere-

tur. At ſic optimi quique auctores. Virgil. Aen. 7, 235.

Siue fide, ſeu quis bello eſt expertus et armis. Terent. Eun. 4, 7, 19. *Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet.* Nazar. paneg. Conſtant. *Cum aduerſus Parthos armis experiretur.* *A.*

Edd. omnes: *obſeſſosque peiora, experiri.* Lectio, quam eruit Liuineius ex ſuo et Bert. reperitur etiam in Put. et Moerl. tantaque ueritatis ſpecie commendatur, ut recipiendam eſſe in contextum iudicauerim. *Iaeg.*

VIII, 3. *adeoque omnes, qui eruptionem tentauerant*) Reſcribam: *adeoque omnes, qua eruptio tentata erat, cecidiſti.* Nam *tentauerat*, non *tentauerant*, in omnibus lego. Vir eximie doctus, mihique amiciſſimus olim correxit: *adeoque omnes, qui erupt. tentauerant, cec.* paruo ac nihili diſcrimine. Tu elige, mi lector. *L.*

Lege, *adeoque omnes, qua eruptio tentauerat, cecidiſti.* Vel: *qui eruptionem tentauerant.* *A.*

Rhen. Steph. Liv. *adeo qua omnis eruptio tentauerat*, Francof. Pariſ. prior, Cellar. *adeoque omnes, qua eruptio tenta-*

parte copiarum, ad arceſſenda auxilia, muris exceſſerit; maiorem miſer adducturus exercitum, ut maiore comitatu cladis occideret. Quo quidem tempore praecipua apparuit tua, Imperator, cura ſimul et animi magnitudo, qui redeunti illi minore exercitu congredi, quam obſidionem intermittere maluiſti, ne reſpirare clauſis, aut effugere, aut imminere tergo liceret. 4

IX. Et primo quidem, ut audio, aciem inſtruxeras duplicem, mox, prouiſo aduerſariorum numero, explicari ſtatim in frontem ordines, et extendi latius arma iuſſiſti, ex tuo animo nimirum animos tuorum omnium metiens; quamuis grauius inde pondus infringi poſſe impetu pauciorum.

tentauerat, cec. Lectionem noſtram, quam Lipſius epiſt. quaeſt. 1, 22. p. m. 154. prodidit, tuentur codd. Vaticani, Put. Moerl. qui plane ita exhibent; itemque ex parte, cod. Liv. Bert. Lang. in quibus *adeoque omnes* legitur. In ſequentibus uox *etiam* poſt *ipſe* deeſt in codd. Liuin. et Lang. *Iaeg.*

VIII, 3. *ut maiore comitatu cladis occideret.*) *Vt*, ἐνβατικῶς, ſicut in illo Flori, 4, 2. *Acceſſit copiis* (Pompeianis) *rex Iuba, ut latius uinceret Caeſar.* C.

VIII, 4. *redeunti — congredi*) Vt Graeci, ita et non raro Latini uerbis pugnandi, contendendi iungunt tertium caſum; quod magna exemplorum copia probat Vechner. Hellenolex. 1, 2, 25. p. m. 335. ſqq. *Iaeg.*

IX, 1. *extendi latius arma*) Mirum, ni hic *armos* pro *latera* ſcriptum; quo ſignificatu Lipſius alicubi in Tacito, me licet refellente, uoluit reponere. Hic ſenſui profecto optime quadret. A.

IX, 1. *quamuis grauius inde pondus*) *Inde*, h. e. ab hoſtibus. In Lang. deſideratur; uitioſe, ut puto. L.

IX, 1. *infringi poſſet imperii*) Ita Rh. St. Liv. Sed meliorem lectionem praeferunt ſummo conſenſu Mſſ. et edd. exceptis tribus iſtis, omnes. Pro *infringi* Patarol malit *infligi*. *Iaeg.*

2 ciorum. Laudare me exiſtimas, Imperator,
cuncta, quae in illo praelio feceris? Ego uero
3 iterum queror. Proſpexeras omnia, diſpoſueras
uniuerſa, ſummi Imperatoris officia compleue-
ras. Cur ipſe pugnaſti? cur te denſiſſimis hoſtium
globis miſcuiſti? cur ſalutem rei publicae in peri-
4 cula tanta miſiſti? An neſcire nos putas, quod,
cum nimio rapereris ardore, in media hoſtium
tela deueneras, et, niſi uiam tibi caedibus ape-
ruiſſes, ſpem totius generis humani et uota de-
5 ceperas? Toto quippe impetu ferebare, tor-
renti ſimilis amni, quem abruptae radicitus ſiluae,
6 et conuulſa funditus ſaxa ſequerentur. Quid tibi
eſt, Imperator, cum inferiore fortuna? Illos pu-
gnare

X, 2. *iterum queror.*) Non queſtus fuit antehac. Itaque legam *quaero*. Quaeſierat et ſupra, cum rationem ab eo reddi uellet ſuſcepti belli. A.

Vulgatam tuentur omnes: ſolus paullulum diſcedit Moerl. in quo legitur: *interim queror*. Equidem nihil cenſeo mutandum. Queſtus enim fuit iam antea, c. 2, 6. et 3, 1. *Iaeg.*

IX, 3. *diſpoſueras uniuerſa*) *diſp. omnia*, Bert. L.

IX, 4. *quod, dum n.*) Moerl. *q. cum n.* idque uerum puto. Nam uulgata lectio σοϕοκλίζει v. Gronov. ad Liv. 35, 8. pr. et Cort. ad Salluſt. Iug. 22, 1. et 62, 8. et 101, 5. *Iaeg.*

IX, 5. *Toto quippe impetu ferebare,*) Mamertin. paneg. I. c. 5, 3. *Toto quippe praelio ferebare; non aliter, quam magnus amnis ſolet hibernis imbribus auctus et niuibus paſſim fluere, qua campus eſt.* *Put.*

IX, 6. *Quid tibi eſt, Imperator, cum inferiore fortuna*) Mutauit hic [illegible]nem uerborum, recte iubente Acidalio, Baunius. In ceteris omnibus ſic leguntur: *uota deceperas? Quid tibi eſt, Imperator, cum inferiore fortuna? toto quippe impetu ferebare, torrenti ſimilis amni, quem — ſequerentur. Illos pugnare fas eſt*, etc. Parum concinne. *Iaeg.*

IX, 6. *inferiore fortuna*) Medio-

gnare fas eſt, quibus ſuo cuiusque fato aut uincendum eſt aut cadendum; tu, cuius ex uita omnium fata pendent, ad ullum diſcrimen accedas? inter tot tela, gladioſque uerſere? Quis hoc a te exigit? aut quis pati poſſit, ut quidquam in te belli caſibus liceat? Deceat te, Imperator, hoſtem ferire? Immo non decet laborare.

X. Spectauit ex edito monte Xerxes nauale certamen. Auguſtus aliùd agens uicit apud

Mediocrium eſt, periculis ſe inferre, non ſummi principis, ne cum ipſius ſalute ſalus publica in diſcrimen trahatur. C.

Onoſander, Strateg. c. 33. Μαχέσθω ὁ στρατηγὸς αὐτὸς προμηθέστερον, ἢ μὴ τολμηρότερον, ἢ καὶ τὸ παράπαν ἀπεχέσθω τοῦ τοῖς πολεμίοις εἰς χεῖρας ἰέναι. κ. τ. λ. *Iaeg.*

X, 1. *Spectans*) Ita Cuſp. Rhen. St. Liv. At recte ex Lang. *ſpectauit* reliqui. *Id.*

X, 1. *ex edito monte*) Aegaleo, qui e regione Salaminis. Herodotus l. 8. c. 90. L.

X, 1. *aliquid agens*) Ita Cuſp. Rhen. Steph. Liv. corrupte. Sed *aliud*, ex emendatione Lipſii, et codd. Liv. Bert. Lang. Put. Moerl. ceteri. Liuineius putat, oratorem ea in mente habuiſſe, quae Auguſto, bello Siculo, acciderunt Sueton. c. 16. refert his uerbis: *Pompeium inter Mylas et Naulochum ſuperauit: ſub horam pugnae tam arcto repente ſomno deuinctus, ut, ad dandum ſignum, ab amicis excitaretur. Vnde praebitam Antonio materiam putem exprobrandi: Ne rectis quidem oculis eum adſpicere potuiſſe inſtructam aciem: uerum ſupinum, caelum intuentem, ſtupidum cubuiſſe: nec prius ſurrexiſſe, ac militibus in conſpectum fuiſſe, quam a M. Agrippa fugatae ſint hoſtium naues.* Apud Actium uero: *Dextrum nauium Iulianarum cornu M. Lurio commiſſum, laeuum Arruntio, Agrippae omne claſſici certaminis arbitrium: Caeſar, ei parti deſtinatus, in quam a fortuna uocaretur, ubique aderat*, teſte quidem Velleio, 2, 85. Acidalius de praelio Actiaco auctorem noſtrum loqui, et propterea, quod Agrippae omne claſſici certaminis arbitrium erat commiſſum,

Actium. Fuit etiam, qui, ſublatus in ſcalas inuicem nexas, concurrentes eminus uidit exercitus, ut nec intereſſet periculo, et adeſſet euentui. 2 Ignaua, inquies, ſunt haec exempla: ſed tuta; grauiorque metus eſt periculi tui, quam laetitia uictoriae. 3 An non ipſi te, caeſis, fugatiſque hoſtibus, interfectoque etiam ipſo eorum duce, comites et Tribuni corripuere lacrimantes, amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus, et quidquid de ſanguine profundae caedis emerſerat, hinc atque inde clamarunt: quid egeras, Imperator? In quae nos fata proiecteras, niſi te diuina uirtus tua uindicaſſet? Quae haec eſt impatientia? aut quo tibi manus noſtras, ſi uerſa uice pugnas ipſe pro nobis? 4 Haec ego non dicerem, Imperator, neque ab aliis dicta memorarem, niſi beneficio tuae lenitatis, tutior eſſet noſtra in uerbis, quam tua in armis 5 audacia. Noua enim quadam uarietate naturae, con-

ſum, Auguſtum aliud agentem uiciſſe, recte exiſtimat. Sic paneg. Maximian. et Conſtant. c. 13, 4. *Si pro diuo Auguſto Actiacam uictoriam tantummodo gener Agrippa confecit.* Iaeg.

X, 1. *ſublatus in ſcalas*) Ingenue fateor: nondum incidi in hanc hiſtoriam, nec, qui ſubiiceret, inueni. Itaque, quod aiunt, trado lampadem. L.

X, 2. *Ignaua, inquies, ſunt haec exempla.*) Rotundius fuerit, ſi eiiciamus uoculas *ſunt haec*. G.

X, 3. *An non ipſi te*) Cuſp. Rhen. St. Liuin. uoculam *te* omittunt, quam uero Bert. una cum reliquis Mſſ. et edd. bene praefert. Iaeg.

X, 3. *quo tibi manus noſtras*) i. e. ad quid. Cic. ep. ad div. 7, 23, 8. *Martis ſignum quo mihi, paçis auctori?* v. Cort. ad ep. ad div. 6, 4, 3. Heinſ. ad Ouid. A. A. 1, 303. Id.

confuſoque uirtutum temperamento, idem es in praeliis ferociſſimus, et parta ſecuritate mitiſſimus.

XI. Cum enim, data obſeſſis tempore poenitendi, Aquileiam quoque de legatis eorum ac ſupplicibus recepiſſes, cunctique ſe tibi dedidiſſent, quos obſidendo ſeruaueras, ignouiſti omnibus, et uitam, quam deſperauerant, reddidiſti. Et quidem iuſſiſti arma deponere, ut 2
multo tutius uictoris pietate tegerentur; ut tamen pertinaciae ſuae merita ſentirent, corripi eos, uincirique iuſſiſti, non ad ſupplicium, ſed uitam; ne conſcientiae timore diffugerent, grauiterque delinquerent, conſeruarique iterum non mererentur, ſi ſeruati non fuiſſent. Sed unde 3
tanto hominum numero tot uincula, quae continere militares et paullo ante armatas manus poſſent? Stupere milites, qui perducendos ſuſceperant, et cuſtodiae curam abnuere, et prorſus 4
neſci-

X, 5. *idem es*) Poſt haec uerba codd. Liv. Bert. Put. Moerl. et ed. Pataroli inſerunt *et*; non male. Cellar. etiam habet *et*, ſed omiſſo *es*, errore, credo, operarum. *Id.*

XI, 1. *legatis eorum ac ſupplicibus*) To *ac* deleam, L.

XI, 2. *grauiterque delinquerent*) Lege *grauiusque*. *A.*

XI, 4. *producendos*) cod. Liv. Bert. Moerl. *perducendos*, quod probo: ſaepius enim de captiuis hoc uerbum uſurpatur. Iuſtin. 12, 5, 10. *Interea unus ex amicis Darii, Beſſus, uinctus perducitur.* ubi v. Gronov. qui plura huius uſus exempla congerit. *Iaeg.*

XI, 4. *curam abnuere*) Sequor *cura*. Incertus in Maximian. et Conſtantin. *Quamquam etiamſi totam excuſationem aetatis adferres, ſic quoque tibi rei publicae curis non erat abnuendum.* *L.*

Cura Liuineius in ſuo cod. inuenerat: ſed neſcio, an ſatis loco allato firmetur.

In

neſcire, quid facerent; ipſi etiam, qui tibi in conſilio erant, ipſe etiam praefectus haerere; cum tu, diuino monitus inſtinctu, de gladiis eorum gemina manibus aptari clauſtra iuſſiſti, ut ſeruarent deditos gladii ſui, quos non defenderant repugnantes.

XII. O pulcherrimum, et qui omnium oculis ſubiici debuiſſet, triumphum uirtutis et clementiae tuae! cuius enim potentiae fuit, hoſtibus arma deripere, eius humanitatis, deditos ad impunitatem ſuis armis adligare, atque ita uincire, ut eos ferri illius, quod contra te geſſerant, 2 quotidie poeniteret. Gladius ille, quem in te deſtrinxerat hoſtis infeſtus, ipſe domini ſui manus tenuit, et, paratus ad caedem, cuſtos factus eſt 3 ad ſalutem. Magnus poëta, dum bellorum toto orbe ſurgentium diſcurſum, apparatumque deſcribit, *Et curuae*, inquit, *rigidum falces conflantur in*

In eo certe *τὸ curis* poteſt eſſe tertius caſus. Et ſupra noſter, c. 6, 1. *abnuere obſequium* dixit. *Iaeg.*

XI, 4. *diuino monitus inſtinctu*) Moerl. *d. motus inſt. Id.*

XII, 1. *arma deripere*) Patar. *diripere;* male. v. Heinſ. ad Ouid. Metam. 3, 52. *Id.*

XII, 1. *ad impunitatem ſuis armis alligare atque ita uincere*) Sic edidit Baunius, Cell. et Patarol. Codd. Liv. Bert. Put. *ad impun. ſui all.* Moerl. *ad pietatem ſui all.* omiſſa uoce *armis.* Lectio nemini probanda. Verba *ad impunitatem* uidentur ſignificare, *ut ne amplius nocere poſſint, ut impune*, i. e. ſine damno noſtro, (v. Paneg. 4, 18, 3.) *inter nos uerſentur.* Pro *ita*, Rh. St. Liv. *etiam;* male. *τὸ ita* in codd. Liv. Bert. Lang. Schonh. Put. Moerl. et edd. ceteris reperitur. Pro *uincere*, quod habet etiam Cuſp. Liv. Schonhov. Put. Moerl. reliqui recte *uincire.* Si enim *dediti* fuerunt, non amplius *uincendi* fuiſſe uidentur. *Id.*

XII, 3. *Magnus poëta etc.*) Virgil. Georg. 1, 508. B.

in enſem. Triſte nimirum tempus illud, cum inſtrumenta, cultui pecudum praeparata, in caedem hominum uerterentur. At nunc rigidi illi, mortiferique mucrones in ſalutaria uincla curuantur, et exarmatum hominem non interimunt, ſed coërcent; deditosque hoſtes gladii ſui colliſi, obtuſique tutantur, qui nihil illis prodeſſe integri, acutique potuerunt. 4

XIII. Omnium ergo armorum miniſteria ad diuerſos effectus arbitrio tuo ſeruiunt, Imperator. Tibi uincunt gladii, tibi ſeruant; te pugnante feriunt, te ignoſcente cuſtodiunt. Vt deus ille, mundi creator et dominus, eodem fulmine ſuo 2 nunc

XII, 3. *Triſte nimirum tempus id, cum* etc.) Haec eſt lectio Rh. St. utriusque Pariſ. Pat. Cellar. Pro *nimirum* Cuſp. Liv. Gruter. *nimium*; pro *id* cod. Liv. *illud*. Pith. teſte Puteano, ſic legit h. l: *et curuae, inquit, rigidum falces curuantur in enſem: inſtrumenta cultui*, etc. deletis his uocibus: *t. n. tempus id, cum*. Haud dubie etiam pro *uerterentur* legere debebat *uertebantur*. F. autem, pergit Puteanus, et Bong. nihil tollit, legitque: *triſte nimirum tempus illud aperiens, cum inſtr.* etç. Et ſic legitur quoque in cod. Put. et Moerl. Sed uereor, ne explicationis cauſſa, a correctore, ellipſi uerbi *erat* non animaduerſa, uox *aperiens* intruſa fuerit. Itaque ex hac lectione retinui dumtaxat uoculam *illud*, aurium gratia, et quia feſtinatio ſcribentis litterarum compendium facere amat, faciliusque adeo *id* pro *illud* ponitur, quam inuerſa uice hoc pro illo. v. infra c. 14, 2. S. 4. pro *obtuſique* Bert. exhibet *obtunſique*. *Iaeg.*

XIII, 2. *eodem fulmine ſuo*) Liuineius, Baunius, Cellarius aduocant, praeter Feſtum, in *Manubiae*, Senecam, Quaeſt. Nat. 2, 41. *Fulmina dicunt a Ioue mitti, et tres illi manubias dant. Prima, ut aiunt, monet, et placata eſt, et ipſius conſilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iupiter, ſed ex conſilii ſententia. Duodecim enim deos aduocat. Hoc fulmen boni aliquid*

nunc triſtes, nunc laetos nuntios mittit: ita eadem ſub numine tuo tela inimicos aut ſupplices tuos
3 pernicie aut conſeruatione diſcernunt. Eripuiſti, Imperator, aduerſariis tuis gladios, ne quis incumberet

quid aliquando facit, ſed tunc quoque non aliter, quam ut noceat. Ne prodeſt quidem impune. Tertiam manubiam idem Iupiter mittit; ſed adhibitis in conſilium diis, quos ſuperiores et inuolutos uocant. Quae uaſtat et includit, et mutat ſtatum priuatum utique et publicum, quem inuenit. His addendus eſt Cicero, de Div. 2, 35. *Fulmen ſiniſtrum, auſpicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad comitia.* Et c. 39. *ad noſtri augurii conſuetudinem dixit Ennius, Cum tonuit laeuum bene tempeſtate ſerena.* Plin. H. N. 2. c. 54. ſ. 55. *Laeua (fulmina) proſpera exiſtimantur: quoniam laeua parte mundi ortus eſt. Nec tam aduentus ſpectatur, quam reditus: ſiue ab ictu reſiliit ignis, ſiue opere confecto aut igne conſumto ſpiritus remeat. In ſedecim partes caelum in eo adſpectu diuiſere Tuſci. Prima eſt a ſeptemtrionibus ad aequinoctialem exortum: ſecunda ad meridiem: tertia ad aequinoctialem occaſum: quarta obtinet, quod reliquum eſt ab occaſu ad ſeptemtriones. Has iterum in quaternas diuiſere partes, ex quibus octo ab exortu ſiniſtras, totidem e contrario adpellauere dextras. Ex his maxime dira, quae ſeptemtrionem ab occaſu adtingunt. Itaque plurimum refert, unde uenerint fulmina, et quo conceſſerint. Optimum eſt, in exortiuas redire partes. Ideo, cum a prima caeli parte uenerint et in eamdem conceſſerint, ſumma felicitas portenditur, quale Syllae dictatori oſtentum datum accepimus. Cetera ipſius mundi portione minus proſpera aut dira.* cf. Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 2. p. m. 80. ſq. *Id.*

XIII, 3. *ne quis incumberet dolore ſuperaſti, et eosd.* etc.) Cuſp. *ne quis incumberet, dolore ſuperaſti* etc. Rh. St. *ne quis incumberet dolore; ſuperaſti.* Liv. Francof. utraque Pariſ. Pat. *ne quis incumberet dolori. Superaſti* etc. Cellar: *ne quis inc. dolori ſuperatus;* addita hac interpretatione: „Ne quis hoſtium deuictorum doleat nimis, ſe uictum eſſe, et dolore incitatus ultionem rebellando paret.„ Puteanus ſuſpicatur, legendum eſſe: *ne quis inc. dolore ſuper acie;* quod Gruterus ingenioſe fictum dicit; ipſi tamen aliquando ueniebat in calamum:

ne

beret, dolore ſuperatus; et eosdem manibus ſuis innoxios reddidiſti, ut et clementiae et uindictae tuae ſatisfaceres: quorum ſanguini peperceras, arma fregiſti. Vita enim hominum, diu parta, ſemper 4
ſeruanda eſt, ſi liceat: ferrum inuentu facile, uſu mutabile. Ideo, quae erant reparabilia, conflaſti; quod rediuiuum non erat, reſeruaſti. Quid 5
ſimi-

ne quis incumberet. Dolones ſeparaſti, et eosdem etc. „„et „ſic quidem, ait, minimum „ibatur a characterum prio„rum figura: ſed an huius„modi emendatio rei prae„ſenti conueniat, alii exami„nent. Ego, in hac feſtina„tione, non poſſum. „ Nunc iam poſitis ambagibus, ueram e cod. Put. et Moerl. proferamus lectionem: *ne quis inc. dolore ſuperatus*; cuius ſenſus hic eſt: Eripuiſti, Imperator, aduerſariis tuis gladios, ne quis eorum, dolore uictus, gladio ſuo incumberet, ſibique adeo necem conſciſceret; et eosdem reddidiſti manibus eorum, qui illos tractauerant, ſed innoxios, i. e. in uincula mutatos ſ. manicas, ita, ut illis uim ſibi inferre non poſſint. Quid planius et certius? *Id.*

XIII. 4. *Vita enim hominum, diu parta, ſemper ſeruanda eſt, ſi liceat: ferrum* etc.) Rh. St. *Vt enim hominum diu parta ſemper ſeruanda eſt, ſi liceat*: Liv. ſimili modo, niſi quod *ſi* ante *liceat* omittit. Moerl. *Vt enim hominum natura diu parta ſemper ſeruanda eſt, ſi liceat: ſic ferrum* etc. Mox pro *Ideo* exhibet *Ita*: minus appoſite. Rhenanus ſuſpicabatur: *Vt enim uita hominum* etc. Quod reprehendit merito Acidalius, et ſimpliciter legi iubet: *Vita enim hominum* etc. „τοῦ „*Vt* enim, ait, nullus uſus, „et in eo latet neceſſaria al„tera uox. „ Recte. Sic Lang. Schonh. et Cuſp. hic tamen pro *ſi liceat*, uitioſe *ſcilicet*. Veram lectionem iam inde ab editione Gruteri omnes praeferunt. *Id.*

XIII, 4. *diu parta*) h. e. lente procurata. Eumenius in Conſtantinum c. 10. *Diu uenturi hominis partus optatur, diu uagitus inconditi locuturam differunt uocem* etc. Mox pro *rediuiuum* melius opinor *recidiuum*. Virgil. Aen. 7, 322. *Funeſtaeque iterum recidiua in Pergama tedae.* L.

cf. Aen. 4, 344. et 10, 58. itemque infra, paneg. Nazar. c. 35, 4. *Iaeg.*

XIII, 4. *reſeruaſti*) Bert. *ſeruaſti*. Vide paneg. 6, 20, 3. *Id.*

simile fabulae ferunt? conuersa esse humana corpora in fontes, aut pecudes, aut aues? Foeda et degener talis conuersio. Gladius, mutatus in manicas, hoc est, quod securitas post timorem, quod umbraculum post calorem. Splendorem mutatio perdidit, sed aciem retudit.

XIV. Studium et humanitas tua hortata est, Imperator, hucusque ut exsultatio nostra uerbis
2 luderet. Sed iam ad potiora redeamus. Recuperata omni cis Padum Italia, ipsa iam ad te supplices manus Roma tendebat, cui portentum illud insederat, nihil conari ausum ad tot nuntios suarum cladium. Quippe ipsa se uilissimi hominis obsidebat ignauia, et degeneres animos timor argue-

XIII, 5. *Quid simile fabulae ferunt?*) Cusp. Schonh. Put. Moerl. post *simile* inserta exhibent uerba *ad laetitiam*: quae ab interpolatore profecta esse uidentur. *Id.*

XIII, 5. *hoc est, quod securitas*) *quod* h. l. est coniunctio. B.

Mea secus est sententia. Subaudiendum est *negotium*, v. Sanct. et Perizon. p. m. 610. sq. et *quod* est pronomen relatiuum. *Iaeg.*

XIV, 1. *huc usque ut*) Put. et Moerl. *ut huc usque.* Mox *uerbis cluderet* habent Rhen. Steph. *eluderet*, Cusp. Schonh. Put. male, Liuincio iudice. Vitiose Moerl. *eludetur*. Liuin. Francof. Paris. prior, Cellar. Patar. *luderet*. Baunius: *uerbis illud luderet*. Te *illud* ex cod. Liv. et Lang. petitum est, sed minus opportunum uidetur. Acidalius indubie emendandum censet: *leuioribus luderet*: quia subdit: *sed iam ad potiora redeamus*. Obsequerer, si per libros liceret. *Id.*

XIV, 2. *cis Padum Italia*) Loquitur Treueris homo Gallus. B.

XIV, 2. *portentum illud*) Rh. St. Liv. *port. id.* v. supra c. 12, 3. *Iaeg.*

XIV, 2. *degeneres animos timor arguebat.*) In Moerl. et Bert. inepte post *animos* inserta sunt uerba: *ut dictum est*. Monere scilicet nos uolebat eruditionis ille ostentator, sumtum hoc esse ex Virg. Aen. 4, 13. *Id.*

arguebat. Stultum et nequam animal nusquam 3
extra parietes egredi audebat. Ita enim aut pro-
digiis, aut metus sui praesagiis monebatur. Pro 4
pudor! intra parietum custodias Imperator. Non
ille adspirare in campum, non exerceri armis, non
puluerem pati. Astutus quidem, ne uirorum of-

ficia

XIV, 3. *Stultum et nequam animal*) *Animal* abest Bert. plagio. Seneca de benefic. 2, 16. *Tumidissimum animal*, (Alexandrum M. intelligit,) *si illum accipere hoc non decet, nec te dare.* Rutil. Itinerar. priore:

Namque loci querulus curam
Iudaeus agebat,
Humanis animal dissociale cibis. L.

XIV, 3. *monebatur*) Lege *mouebatur*, ut suspicantur omnes interpretes: uel, si hanc scripturam retinueris, sensus erit: Ita facere eum admonebat metus, quem sua ei auspicia incutiebant. B.

Ex iis interpretibus, quorum consulendorum mihi copia fuit, nullus omnino suspicatur, το *monebatur* esse mutandum in *mouebatur*; licet hoc praeferat codex Put. et uerba illa saepe numero permisceri satis constet. Mihi, si admitterem scripturam a Baunio commendatam, eiicienda uideretur uox *enim*; ut sensus esset: Adeo aut prodigiis aut metus sui praesagiis turbabatur et percellebatur. Sed bene se habet uulgata, cuius sensus (nec eum enim satis adcurate expositit interpres Delphinicus,) hic est: Maxentius non audebat egredi extra parietes. Nam uel prodigia, uel animus ipsius meticulosus, qui mala praesagiebat, quique adeo ipsi instar ostentorum erat, monebat eum, ut palatio se teneret, et omnem periculi belliquę umbram, cane peius et angue, uitaret. *Iaeg.*

XIV, 4. *Astutus quidem, ne uirorum officia tentantem* etc.) In utraque Paris. locus hic mancus ac mutilus est. Legitur nempe: *Astutus quidem, ne uirorum officia tentantem in illo palatio marmoratis parietibus incedere.* Corruptelae mederi studet Baunius inserenda uoce *quidem*; ut sit: *ne uirorum quidem officia tentantem.* Praeterea mirificam hanc subiicit interpretationem: *Ne quidem ut uiri saltem officium esset, deambulare in eo palatio, cuius parietes sunt e marmore.* Equidem, cum nec in scriptis libris, nec aliis typis excusis ullum exstet

ficia tentantem contemnerent, qui uiderent. Deambulare tantum, et in illo palatio marmoratis parietibus incedere. Nam in Salluſtianos hortos ire, peregrinatio et expeditio putabatur. Et hae quidem deliciae toto illo tempore, quo urbem obſederat, ſemet incluſerat, turpiſſimam hanc eius formidinem protegebant. Non enim ſe imbellem, ſed

ſtet lacunae ueſtigium, temperare mihi uix poſſum, quo minus exiſtimem, in ed. Pariſ. priore, quae uulgo Puteano tribui ſolet, operarum incuria, omiſſum eſſe uerſum, et Baunium, inconſultis exemplis aliis, ad emendationem, interpretationemque prouolaſſe. Reliqui certe omnes, iisdem uerbis, quibus nos, h. l. exhibent. Pro *uiderent* Liuineius *uiderant* legendum ſuſpicatur; et pro *in illo palatio* idem *in uno palatio*: haec uero mutatio nec neceſſaria eſt, nec ſatis probabilis. Acidalius legi iubet ac diſtingui ita: *qui uiderent. Deambulare tantum, et in illo palatio* etc. Non male. Moerl. et Patar. coniunctionem ET plane omittit; quae ſi in alio etiam libro defuit, potuit deinde loco non ſuo inſeri, et ſic ex alio in aliud exemplum transſcribi. Patarol *TO tantum* ex auctoritate MS. D. Marci ſe addidiſſe narrat: ſed illud iam ante eum prodiderunt alii. Porro Acidalius addit: „Modis infinitiuis ſic „utitur, ut paullo ante: *Non „exerceri armis, non pulueren „pati*, etc.„ In tanta ueri ſimilitudine uiſum eſt, ſequi illius auctoritatem. *Id.*

XIV, 4. *Salluſtianos hortos*) Eorum Tacitus meminit Annal. 13, 47. Hiſt. 3, 82. C.

Fuerunt illi, ut oſtendit Ligorius, in colle Quirinali, regione VI. urbis, non procul porta Collina. *Iaeg.*

XIV, 5. *toto illo tempore*) Rhen. Steph. Liv. *tanto illo tempore*; minus recte. *Id.*

XIV, 5. *orbem obſederat*) Equidem hoc non damnem; non: praeferam tamen *urbem*. Nazarius in Conſtantin. *Duci ſane omnibus uidebantur ſubacta uitiorum agmina, quae urbem grauiter obſederant.* L.

Liuineii ſententiam probauit et recepit Cellarius: nec quisquam diſſentiet, qui, quanta litterarum *o* et *u* ſit adfinitas, ſecum reputauerit. Mox poſt *turpiſſimam* pronomen *hanc* in Moerl. deeſt: bene, ni fallor. *Iaeg.*

XIV, 5. *non ſe imbellem*) Qualis

ſed beatum, non inertem, ſed ſecurum uideri uolebat. Quoties milites in concionem uocabat, ſe 6
ſolum cum illis imperatorem, alios per limites pro ſe militare iactabat. Fruimini, aiebat, diſſipate, prodigite. Haec erat miſerorum breuis et caduca felicitas.

XV. Ac ne tum quidem, cum tot aduerſa ſuorum praelia comperiſſet, obuiam ire conatus eſt, (ad reſiſtendum) ut Padi limite, aut Apennini iugis uteretur; ſed litteras, calamitatum ſuarum indices, ſupprimebat. Interdum etiam palam, ut uſque ad portas ueniretur, optabat; non intelligens, maieſtatem illam Vrbis, quae pridem admo-

Qualis re uera fuit. Iulian. Caeſſ. p. 24. ed. Heuſing. eum ἀπολεμόν τε καὶ μαλακὸν fuiſſe indicat. *Id.*

XIV, 6. *alios per milites pro ſe* etc.) Sic Rhen. Steph. Acidalius uoces *per milites* delet. Sed non adeo immedicabile hoc uulnus, ut recidendum ſit. Ceteri omnes *per limites*; quarum uocum ſollemnem eſſe permutationem, obſeruat Schwarz. ad paneg. 2, 3. 9. *Id.*

XV, 1. *obuiam ire conatus eſt ad reſiſtendum, cum Padi limite*) Poteſt et haec *ad reſiſtendum* gloſſa eſſe. In ſequentibus etiam uerbis, *cum Padi limite aut Apennini iugis uteretur*, neſcio quid uitii eſt, quod nunc non educo aut tollo. An *quaſi Padi limite aut Apennini?* A.

Bene uidit Acidalius, his uerbis aliquid uitii ineſſe. Tollitur id lectione cod. Put. et Moerl. qui pro *cum* exhibent *ut*: ſenſu aperto et perſpicuo: *Non conatus eſt obuiam ire, ut Padi limitem et Apennini iuga inſideret, et hoſtibus iter intercluderet.* Et hinc claret, uerum eſſe et alterum, quod Acidalius monuit; nimirum gloſſam eſſe uerba *ad reſiſtendum*; quae propterea uncis coërcui. Exturbaſſem ea prorſus, niſi ſcirem, quam moleſte non nulli facinus eiusmodi ferant. *Iaeg.*

XV, 1. *maieſtatem illam urbis, qua pridem admotos* etc.) Ita legunt Gruter. Put. Baun. Cellar. *quam pr. admo-*

tos exercitus sollicitauerat, iam flagitiis ipsius deformatam, et sedibus suis pulsam, ad tua auxilia transisse; nec ullis praemiis posse corrumpi, quos tibi, praeter liberalitatem tuam et sacramenti fi-
2 dem, tot uictoriarum gloriae dicauissent. Quis enim miles, qui ductu atque auspiciis tuis toties feliciſſime dimicasset, uulnera illi sua uenderet? belli iam paene confecti summam concederet?
3 At enim tu id ipsum de ardore totius exercitus

tus exer. Liv. peſſime. Veram lectionem magno conſenſu tuentur Codd. Liv. Bert. Lang. Put. Moerl. cum edd. Cuſp. et Patar. qui exhibent: *quae pr. admotos* etc. Et ſic legendum eſſe, uidit iam et monuit Acidalius, repudiata emendatione Rhenani, qui pro: *maieſtatem illam urbis, qui pridem ad motus exercita ſollicitauerat,* (ſic habet contextus Rhen. et aſſeclae eius, Stephani;) legendum eſſe dicit: *quae pridem ad motus exercita, ſollicitaue erat, iam flagitiis deformatam e ſedibus* etc. Probat τὸ *admotos*, multitudinis numero, etiam Liuineius, et haec addit: „Primum aduerſus mo„tum Praetorianorum et „Maxentii Galerius Ma„ximianus A. Seuerum Cae„ſarem cum exercitu Romam „miſerat. Isque cum circum „muros ageret, deſertus a „ſuis, quos praemiorum ille„cebris Maxentius conduxe„rat, fugiens, obſeſſusque „Rauennae obiit. Ex Aure„lio Victore et Eutrop. X. „Atque haec prima expedi„tio. Addit deinde idem Vi„ctor: *Hoc acrior Galerius, „adſcito in conſilium Ionio, „(Suſpecta haec mihi,) Liui„nium, uetere cognitum ami„citia, Caeſarem, creat Augu„ſtum, eoque ad munimentum „Illyrici ac Thraciae relicto, „Romam contendit. Ibi cum „obſidione diſtineretur, militi„bus eadem, qua ſuperiores, „uia adtentatis, metu ne deſe„reretur, Italia deceſſit.* Lege „reliqua.„ de Caeſ. c. 40. Patarol arbitratur, oratorem *ad copias Gallorum et Poenorum alludere*, quae olim, ad portas licet urbis progreſſae, Romana tamen uirtute fuſae erant. In ſequentibus pro *flagitiis ipſius* Moerl. *flagitiis ſuis*; male; et pro *ſedibus ſuis pulſum* habet *ſ. ſ. propulſam*; nec hoc probabile.

Id.

tus ſentiens, ſine ulla haeſitandi mora, qua breuiſſimum per eos iter eſt, rapto agmine aduolaſti; celeritatem illam in re gerenda Scipionis, et Caeſaris, tunc maxime cupienti Romae, repraeſentans. Haec eſt fiducia imperatoris inuicti, et 4 ſuorum mentibus freti, non dubitare, nec trahere bel-

XV, 3. *non ſine ulla haeſ. mora*) Sic Cuſp. Rhen. Steph. Liv. Delendam eſſe negationem, legendumque *ſentiens, ſine ulla* etc. monet Lipſ. Epiſt. Quaeſt. I, 22. et Acidalius. Abeſt illa etiam Bert. Lang. et ceteris omnibus. *Id.*

XV, 3. *qua breuiſſimum per eos iter eſt*) Dele uoces *per eos*, niſi mutari aptius poterunt. A.

Gentis aliquod nomen aut regionis fuiſſe liquet; quod quaerendum. Lipſ. ep. quaeſt. I, 22. *Pulmann.* Gentis aut regionis, qua transitum, nomen in mendo eſt. Mihi *Eneti* ſ. *Veneti* ſunt. Nam Aquileia, quae ſuperiore narratione poſtrema dedita, Romam continente ſolo properanti breuiſſimum per eos iter eſt. Docent tabulae. L.

XV, 3. *celeritatem illam in agendo*) Sic edidit Baunius. To *agendo* neſcio ubi inuenerit, et quare receperit. Rh. St. Liv. habent *celer. ill. in redeundo*, quod nauci non eſt; cod. Liv. *regendo*, Cuſp. *re gerenda*; et ſic etiam Put. Moerl. Schonh. Probat hoc merito Liuineius et Gruterus, et praefert Pariſ. prior, Cellar. Pat. *Rem gerere* idem eſſe ac *pugnare, bellare* etc. notiſſimum eſt. v. Cort. ad Salluſt. Iug. 58, 4. *Ineg.*

XV, 3. *celeritatem — Scipionis*) Africani maioris. Meminit Cicero, Verrina VII. L.

XV, 3. *celeritatem — Caeſaris*) Cic. ep. ad Att. 8, 9. in f. de Iulio Caeſare: *Hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia eſt. Ineg.*

XV, 4. *non dubitare, nec trahere bell.*) Lipſius, l. c. Lego, ait, *non ductare*; ut *ductare bellum*, Salluſtius. Huic ſententiae album calculum adiecit Liuineius et Schonhouius. Sed caue auſcultes. Primum Salluſtius non dixit *ductare bellum*, ſed *ductare exercitum*: deinde *dubitare* h. l. idem eſt ac *differre, moras nectere et tergiuerſari*. Sic Nepos, Ageſil. 4, 1. *Nuntius ei domo uenit, — bellum Athenienſes et Boeotios indixiſſe Lacedaemoniis; quare uenire ne dubitaret.* Ouid. Met. 2, 460. ſq.

— — Cun-

bellum, ſed proximum quodque pugnae tempus
5 putare uictoriam. Non enim res erat tibi, uti
Q. Maximo, cum Annibale uictore, ut, poſt res
aſperas, locum tempusque captares; ſed urgere
te ſucceſſus tuos, et continuare uictorias, et
6 quam primum ſubuenire Vrbi decebat. Sapien-
tis enim eſt imperatoris, fractis rebus cunctando
conſulere, ſecundis non deeſſe fortunae.

XVI. Itaque unum iam illud timebatur, ne
ille, conterritus his uiribus, grauiter adflictus, et
in

— — — *Cunctae uelamina ponunt:*
Vna moras quaerit: dubitanti ueſtis ademta eſt.
De ui uerbi *trahere* pro *ducere bellum* v. Cort. ad Salluſt. Iug. 23, 2. *Id.*

XV, 5. *Non e. r. e. t. utique maximo*) Haec eſt ſcriptura Cuſp. Rhen. St. Liv. Elegans et certa emendatio Lipſii, l. c. Puteani, Liuineii, Acidalii, *uti Q. Maximo.* Fabium illum Cunctatorem dicit, (uerbis utor Acidalii,) ad quem ſequens ſententiola reſpicit: *Sapientis enim Imperatoris eſt, fractis rebus cunctando conſulere.* Haec emendatio iure, meritoque a poſterioribus editoribus fuit recepta. In ſequentibus eſt lectio Rhenani: *ſed urgere te ſucceſſus tuos, et continuare uictorias, ſed quam primum ſubuenire urbi debebat.* Hic Acidalius, „aut, *te* deleto, „inquit, ſcribe *debebat*; aut, „eo dem retento, muta *dece-*„*bat.* Quorum utrum facias, „pro *ſed* indubie *et* repone.„ *Tò decebat* legitur in Cuſp. Liv. et edd. ceteris, nec non in Mſſ. Put. et Moerl. adnotatumque eſt a Schonhouio. Pro *ſed* Bert. habet *et*; quas uocalas ſolere permutari uidimus iam paneg. 6, 6, 3. et 7, 10, 4. et hoc ipſo, c. 6, 2. ideoque auctoritati Acidalii libentiſſime parui, licet typis exſcripti, quos quidem inſpicere potui, omnes *ſed* praeferant. *Id.*

XVI, 1. *Itaque unum iam timebatur,*) Sic Liv. et Baun. Poſt *iam* Cuſp. Rh. St. inſerunt *id*; cod. Liv. Bert. Moerl. cum reliquis edd. omnibus *illud*; quos ſequor. v. ſupra c. 12, 3. *Id.*

XVI, 1. *ne ille, conterritus his uiribus, grauiter adflictus, et in arctum redactus,*) Haec eſt lectio Gruteri, utrius-

in artum redactus, boni conſuleret, ut debitas rei publicae poenas obſidione differret. Quippe omni Africa, quam delere ſtatuerat, exhauſta, omnibus inſulis exinanitis, infiniti temporis annonam congeſſerat. Sed diuina mens, et ipſius 2

triusque Pariſ. Pat. Cellar. At Rh. St. Liv. *ne ille conterritus his rebus*; cod. Liuin. Moerl. Cuſp. pro *conterritus* habent *contentus*. To *uiribus* petitum eſt ex cod. Liv. et Bert. probante Liuineio. Lipſius, l. c. ita reſcribit: *ne ille conterritus, ſuis rebus grauiter adflictis, et in arctum redactis mora conſuleret*. Sed nihil uidetur mutandum. *Vires* ſunt *copiae, exercitus*. Florus, 4, 2, 65. *Sparſae magis, quam oppreſſae, uires erant*. Iuſtin. 30, 1, 5. ſq. *Trepidare igitur Ptolemaeus, legationibus miſſis, quoad uires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Graecia exercitu conducto, ſecundum praelium facit*. Pro *arctum* ſcripſi *artum*, ex ſententia uirorum doctorum, quos ad Tibull. 1, 5, 53. laudat Brouckhuſius, quibus etiam addi poteſt Cort. ad Salluſt. Iug. 52, 6. *Id.*

XVI, 1. *boni conſuleret, et debitas — differret.)* Proba lectio, nec ſollicitem. Incertus in Maximianum et Conſtantinum: *Huius cum fratre rurſus ac ſaepius expeditionibus domita Germania boni conſulit, ut quieſcat*. Ibi uide. Fruſtra eſt ergo uir doctus, qui repoſuit *mora conſuleret*, aliaque non nulla hic mutauit. L.

Lege *ut*. Sic uſurpatur illud *boni conſulere*. A.

Cf. paneg. 5, 8, 5. et 11, 22, 4. Particulas *ut* atque *et* permiſceri, ad Plinii paneg. 55, 5. et in Supplement. not. ad c. 20. p. 596. obſeruat Schwarzius, ad Sil. Ital. 3, 78. et Liv. 21, 28. Drakenb. Eo fidentius igitur, auctore Acidalio, h. l. *ut* reſtitui. *Iaeg.*

XVI, 1. *omni Africa exhauſta)* *Maxentius Carthaginem, terrarum decus, ſimul Africae pulchriora, uaſtari, diripi, incendique iuſſerat*. Aurel. Vict. de Caeſ. 40, 19. B.

XVI, 2. *Sed diuina mens)* Bene *diuina*, eſtque hic quoque a librariorum compendiis error. Admodum enim uicina *dña* et *dna*, quorum hoc *diuina* in ueteribus libris, illud *domina* ualet. Adi, quae ad orat. Eumen. pro reſtaur. ſchol. c. 10, 1. notamus. L.

domina eſt in contextu Liuineii; ceteri omnes *diuina*. *Iaeg.*

Vrbis aeterna maieſtas nefario homini eripuere conſilium, ut ex inueterato illo torpore ac foediſſimis latebris ſubito prorumperet, et, conſumto per deſidias ſexennio, ipſum diem natalis ſui ultima ſua caede ſignaret, ne ſeptenarium illum numerum,

XVI, 2. *conſumto p. d. ſenio*) Malim *ſexennio*, ut uult Petauius l. 2. de Doctrina temp. c. 37. Sex enim annos tyrannidem occupauit, donec ultima ſexennii illius die, priusquam ſeptenarium numerum inchoaret, uictus, in Tiberim delapſus eſt, ut dicit infra. B.

In libris eſt *ſenio*, quod non quadrat: *ſexennio* ſubſtituit Petauius, quia tot annos imperauit Maxentius. v. mox c. 19, 2. et c. 20, 3. C.

Neceſſaria emendatio, quam, poſt Cellarium et Patrolum, admittere non dubitaui. *Iaeg.*

XVI, 2. *ipſum diem natalis ſui ultima ſua caede ſignaret*) An *ultimum*? Nec tamen mutem. A.

Natalis hic non uitae, ſed imperii, quia mox ſeptimus dicitur, poſt ſex annorum imperium. C.

Lactantius, de Mort. Perſec. 44, 4. *Imminebat dies, quo Maxentius imperium ceperat, qui eſt a. d. ſextum calendas Nouembris, et quinquennalia terminabantur.* etc. Ceterum *diem natalis ſui*, (quod legitur etiam in Plin. H. N. L. 37. c. 2. ſ. 6. Cod. Theodoſ. VI. Tit. 29. L. 6. et uſurpatur a ſequioribus, v. c. Richardo de S. Germano ad a. 1232.) ſic dictum eſt, ut *die craſtini, die proximi, die noni* etc. in quibus deeſſe *ſolis* contendit Sanctius, p. m. 640. Sed re uera, quamuis durum uideatur, ſubaudiri debet *diei*. Nec aliter D. Lucas, Actor. 2, 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, κ. τ. λ. ubi profecto ſuppleri debet ἡμέρας. Nam ἑορτὴς ſubintelligere, uti uult Eraſm. Schmidius, incongruens eſt. Praeſtat, in his abuſum quemdam loquendi, ortum ex ſimilium cum Genitiuo conſtructionum uſu, agnoſcere, cum Perizonio, ad Sanct. 1, 16, 6. p. m. 155. Non plane quidem eadem, nec tamen ualde diuerſa eſt locutio Matth. 28, 1. τῇ ἐπιφωσκούσῃ (ſub. ἡμέρᾳ) εἰς μίαν σαββάτων (ſcil. ἡμέραν) v. Grot. ad h. l. *Iaeg.*

XVI, 2. *ne ſeptenarium numerum*) Sic. Rh. St. Liuin. Pro-

merum, sacrum et religiosum, uel inchoando uio-
laret. At quomodo instruxit aciem tot annorum 3
uernula purpuratus? Ita prorsus, ne quis euade-
re, ne quis, ut fit, loco motus referre gradum,
et instaurare praelium posset; cum a fronte ar-
mis, a tergo Tiberi flumine premeretur. In quo 4
ille non, mehercule, cogitauit necessitatem resi-
stendi, sed propinquitatem refugiendi. Nisi for-
te iam sentiens, diem sibi ueniisse fatalem, ad so-
latium suae mortis, uoluit secum trahere quam

Pronomen *illum* insertum legitur in cod. Liv. Bert. Cusp. et reliquis omnibus: optime. Nam τὸ *ille* uel magnitudini uel nobilitati adsignatur. De numeri septenarii dignitate et potentia v. Gell. 3, 10. Macrob. in Somn. Scip. 1, 6. *Id.*

XVI, 2. *religiosum inchoando uiolaret.*) Ita exhibet Rh. St. Liv. Baun. Ast cod. Bert. Put. Moerl. Schonh. Cusp. cum edd. reliquis *uel inchoando*; quod recipiendum esse satis, superque claret. Non nulli repugnantiam h. l. inuenire sibi uisi sunt. Si caesus est, inquiunt, ipso die natalis sui, manifestum est, caesum ipso die, quo imperium inierat, septimumque annum inchoarat. Sed docet Pagius, Diff. hypat. p. 134. Quinquennalia et id genus festa dupliciter considerari posse; uel, tamquam terminum et complementum praecedentium annorum, uel, ut quinque sequentium periodum. Orator itaque natalem Maxentii ut praecedentium annorum terminum tantum, non uero ut sequentis periodi initium considerauit. *Id.*

XVI, 3. *uernula purpuratus*) Pacatus in Theodosium, c. 31. de Maximo tyranno: *Ille quondam domus tuae negligentissimus uernula, mensularumque seruilium statarius lixa.* L.

Maxentius, quia domi latuerat, ita dictus. C.

Fortasse etiam ideo, quia, teste Aur. Victore, Epit. 40, 13. et ipso oratore nostro, c. 4, 3. suppositus ferebatur. *Iaeg.*

XVI, 3. *Tiberi flumine*) Moerl. *amne.* *Id.*

XVI, 4. *ad solatium suae mortis, uoluit secum trahere quam pluximos*) Claudianus, in Rufin. 2, 17. sqq.

Quid

plurimos; ut omnes essent exitus sui comites, qui
5 scelerum participes exstitissent. Quid enim aliud illum speraſſe credendum est? qui iam ante biduum palatio emigrauerat, et cum uxore ac filio in priuatam domum sponte concesserat, ut res est, ominibus terribilibus agitatus, et nocturnis pulsus ultricibus; ut tu iam olim exspectatus habitator sacris illis aedibus diu exhalatis, expiatis-
6 que succederes. Et adeo ipse uerum sibi dixerat, et uenturo tibi cesserat, quamuis in praelium ingrederetur armatus, cum excedendo palatio iam se abdicasset imperio.

XVII.

Quid reſtat, niſi cuncta noua confundere luctu,
Inſontesque meae populos miſcere ruinae?
Euerſo iuuat orbe mori. Solatia leto
Exitium commune dabit. —— Id.

XVI, 5. *palatio emigrauerat*) Notatum hoc quoque Aelio Lampridio, et inter Commodi necis prodigia relatum, c. 16. *De Palatio ipſe ad Coelium montem, in Vectilianas aedes, migrauit, negans, ſe in Palatio poſſe dormire.* L.

XVI, 5. *cum uxore*) Magnentia Vrbica, prioris Galerii coniugis filia, cuius rumos refert Triſtanus, in Comment. hiſtor. B.

XVI, 5. *ac filio*) Is fuit M. Aurelius Valerius Romulus, cuius exstat numus DIVO ROMVLO N. V. (i. e. noſtrae urbis) FILIO. Exstant item et alii, quos refert Triſtanus, in commentar. hiſtor. *Id.*

XVI, 5. *ominibus*) Put. eraſa priori ſcriptura, et cum eo Moerl. MS. *furiis*; ex gloſſa, ut uidetur, ſpectante ad *ultricibus*. Rh. St. Cuſp. Pat. *omnibus*, ſollemni permutatione. *Ineg.*

XVI, 6. *Et adeo ipſe uerum ſibi dixerat*) Quid? ſi rectius: *Id adeo ipſe futurum ſibi dix.* Sed noli mutare. Paneg. (Eumen.) quem uulgo Maximiano, nos Conſtantio tribuimus: *Et uix unius uelaminis repertus indicio; adeo uerum ſibi dixerat, morte uicina, ut interfectum ſe nollet agnoſci.* *A.*

XVII. Ad primum igitur adſpectum maieſtatis tuae, primumque impetum totius tui uictoris exercitus hoſtes territi, fugatique, et anguſtiis Muluii pontis excluſi, exceptis latrocinii illius primis auctoribus, qui, deſperata uenia, locum, quem pugnae ſumſerant, texere corporibus, ceteri omnes in fluuium abiere praecipites, ut tandem aliquod caedis compendium feſſis tuorum dexte-

XVII, 1. *totius tui*) Indubie uerum *toties*. Supra: *Quis enim miles, qui ductu atque auſpiciis tuis toties feliciſſime dimicaſſet, uulnera illi ſua uenderet?* L.

Liuineii coniecturam recepit Cellarius. Quam etſi non damno, tamen diſplicet poſitura uerborum. Mallem: *tui toties uict. exerc.* Iaeg.

XVII, 1. *Miluii pontis*) Liuineius in margine et Cellar. *Muluii*: quae ſcriptura uerior. v. Cort. ad Salluſt. Cat. 45, 1. Id.

XVII, 1. *anguſtiis Muluii pontis excluſi*) Eutrop. 10, 3, 3. *Quinto imperii ſui anno Conſtantinus bellum aduerſus Maxentium ciuile commouit, copias eius multis praeliis fudit, ipſum poſtremo, Romae aduerſum nobiles omnibus exitiis ſaeuientem, apud pontem Muluium uicit, Italiaque eſt potitus.* Euſebius in Chron. Zonar. l. 2. Oroſ. et alii. P.

Pontem ipſum corruiſſe ſcribit Zoſim. L. 2. Pat.

XVII, 1. *latrocinii illius primis auctoribus*) Praetorianis. L.

XVII, 1. *locum, quem pugnae ſumſerant, texere corporibus*) Salluſtiana imitatio eſt, qui Catilin. 61, 2. *Quem quisque pugnando uiuus locum ceperat, eum, amiſſa anima, corpore tegebat.* Ac multi multorum loci ſimiles. Pacatus: *Gladiatoria deſperatione pugnare, nec gradu cedere, ſed ueſtigio ſtare uel cadere.* Acid.

Cod. Liuineii pro *ſumſerant*, exhibet *ceperant*; quod uidetur profectum eſſe a correctore, cui locus Salluſtii ante oculos uerſabatur. Iaeg.

XVII, 1. *ut tandem aliquod caedis compendium feſſis tuorum dexteris eueniret.*) Vt manus tuorum caedendo feſſae tandem deſiſterent ab occidendo. B.

Rectius et adcuratius: *Vt milites tui non neceſſe haberent, ad perpetrandam omnem hoſtium caedem dexteris tantummodo ſuis uti, ſed hac*

2 dexteris eueniret. Cum impios Tiberis hauſiſſet, ipſum etiam illum cum equo, et armis inſignibus, fruſtra conatum per abrupta ripae ulterioris euadere, idem Tiberis correptum gurgite deuorauit; ne tam deforme prodigium uel hanc obitus ſui relinqueret famam, quod alicuius uiri fortis gla-
3 dio, teloue cecidiſſet. Et aliorum quidem hoſtium corpora et arma praeceps fluuius uoluendo deuexit; illum autem eodem, quo exſtinxerat, loco tenuit, ne diu populi Romani laetitia dubitaret, ſi putaretur aliquo profugiſſe, cuius mortis probatio quaereretur.

XVIII.

hac in re a fluuio adiuuarentur. Haec eſt uis *compendii*; et *ut* non τελικῶς, ſed ἐκβατικῶς capiendum eſt. In uerbis proxime ſequentibus praefero diſtinctionem Cuſp. Rh.[1] St. Pat. qui poſt *eueniret* interpungunt, et uerbis *Cum imp.* initium alterius periodi ordiuntur. Ceteri uerba iſta *cum impios Tiberius hauſiſſet* ad antecedentia referunt, iisque periodum finiunt. *Iaeg.*

XVII, 2. *Tiberis correptum gurg. dev.*) Aurel. Victor, Epit. 40, 7. dicit: *Maxentium paullo ſuperius a ponte Muluio in pontem nauigiis compoſitum ab latere ingredi feſtinantem, lapſu equi, in profundum demerſum eſſe, uoratumque limo, pondere thoracis, corpus uix repertum.* Prudentius contra Symmachum:

Teſtis Chriſticolae ducis aduentantis ad urbem
Muluius, exceptum Tiberina
in ſtagna tyrannum
Praecipitans. — — — —

Vid. Euſeb. Eccleſiaſt. Hiſtor. c. 8. l. 9. *Put.*

Adde his praecipue Zoſimum, l. 2. p. m. 676. itemque Lactant. de M. P. 44, 9. et Aur. Vict. de Caeſ. 40, 23. *Iaeg.*

XVII, 3. *loco tenuit PR. dubitaret*) Ita Liv. p. *Rom.* Rhenanus, qui in margine adiicit: *Sic l. opinor: ne pop. Rom. dub.* Put. et Moerl. *loco tenuit, ne diu populus Rom. dub.* Cuſp. et Schonh. *Ne diu populus Ro. laetitia dubitaret.* Voculas *ne diu* habent quoque codd. Liv. Bert. itemque Lang. qui et *laetitia* praefert.

XVIII. Sancte Tibri, quondam hoſpitis monitor Aeneae, mox Romuli conſeruator expoſiti, tu nec falſum Romulum diu uiuere, nec parricidam Vrbis paſſus es enatare. Tu Romae tuae altor copiis ſubuehendis, tu munitor moenibus ambiendis, merito Conſtantini uictoriae particeps eſſe uoluiſti, ut ille hoſtem in te propelleret, tu necares. Neque enim ſemper es rapidus 2 et torrens, ſed pro temporum ratione moderatus.

Tu

fert. Hinc pronum fuit Grutero et reliquis editoribus, ſublato mendo, ueram reſtituere lectionem: *ne diu populi Rom. laetitia dubitaret.* *Id.*

XVIII, 1. *Sancte Tybris*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. *Tybri* Bert. et Baun. *Tiberis* Put. et M. *Tibri* Francof. Pariſ. prior, Cellar. Pat. *Id.*

XVIII, 1. *hoſpitis monitor Aeneae*) Virgil. Aen. 8, 31. ſqq.

Huic deus ipſe loci fluuio Tiberinus amoeno
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus. — — — — —

Reliqua lege. *L.*

XVIII, 1. *Romuli conſeruator expoſiti*) v. Liuius, 1, 4. Dionyſ. Halicarn. l. 1. p. 65. Wechel. *Iaeg.*

XVIII, 1. *falſum Romulum*) Auctor Orationis in Ciceronem, quae Salluſtio tribuitur: *Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua uirtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones ſuperaſti, quem tandem locum in hac ciuitate obtines?* M. Lepidus apud Salluſt. Hiſtoriar. 1. de Sulla: *Quae cuncta ſaeuus iſte Romulus quaſi ab externis rapta tenet.* Catullus, epigr. in Caeſarem: *Cinaede Romule, haec uidebis et feres?* *L.*

Falſum Romulum, i. e. Maxentii filium, cui Romulo nomen, ut ſupra dictum. Fortaſſe etiam Maxentium ipſum, quem falſum Romulum per iocum adpellat, quomodo auctor orat. in Tullium, quae Salluſtio adtribuitur, et Lepid. apud Sall. hiſt. I, de Sylla. *B.*

De Maxentii filio non eſt ut intelligamus. Is enim, teſte ipſo illo numo, cuius ſupra c. 16, 5. mentio facta, iam ante patris cladem uitam finierat. v. Cellar. ad paneg. Nazar. c. 6, 6. Haud dubie itaque Maxentius ipſe falſus Romulus dicitur. *Iaeg.*

Tu quietus armatum Coclitem revexisti, tibi se placido Cloelia uirgo commisit. At nunc uiolentus et turbidus hostem rei publicae sorbuisti, et, ne tuum lateret obsequium, eructato cadauere
3 prodidisti. Reperto igitur et trucidato corpore, uniuersus in gaudia et uindictam populus Romanus

XVIII, 3. *Reperto igitur et trucidato corpore*) Lipsius, Epistol. Quaest. 1, 22. p. m. 154. quaerit: „Quomodo „trucidatur Maxentius, iam „mortuus et fluuio mersus? „Recte Diuaeus, historiarum „istarum diligens, *truncato „corpore.* Abscissum enim „caput fuit.„ Huic coniecturae Liuineius opponit locum Ciceronis, pro P. Sextio, c. 37. *A quibus hic multis uulneribus acceptis, ac debilitato corpore et contrucidato, se abiecit exanimatus: neque ulla alia re ab se mortem, nisi opinione mortis, depulit.* Ex hoc quidem satis liquet, *contrucidatum* non semper esse *necatum*, sed etiam *saucium modo et paene confectum.* Verum id nondum sufficit ad explicandum h. l. Aduocandus est nobis Liuius, L. 29. c. 18. *Recreatus deinde legatus ex uulneribus tribunos militum in uinoula coniectos, deinuerberatos, seruilibusque omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit: mortuos deinde prohibuit sepeliri.* Ibi Gronouius: „Significat, non tortos solum, sed omni saeui„tiae genere, quod pati cor„pus humanum potest, trun„catis artubus dilacerptos „tandem mortem inuenisse.„ Hanc esse uim uerbi *trucidare* uir summus et alio loco Liuii, et Valer. Max. 9, 2. et nobili declarat fragmento de Cicerone, quod M. Seneca nobis seruauit: *Vix adtollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidata eius membra poterant.* Ex his cum manifestum sit, *trucidatum corpus* h. l. idem esse ac *truncatum*, consequens est, ut recte se habeat scriptura omnium librorum, nec ulla medicina indigeat. *Id.*

XVIII, 3. *uniuersus in gaudia* etc.) Zosimus, l. 2. p. m. 677. Ἀγγελθείσης δὲ τοῖς ἐν τῇ πόλει τῆς νίκης, χαίρειν μὲν οὐδεὶς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις ἐθαῤῥει, διὰ τὸ τὴν ἀγγελίαν οὐ σφᾶς τινὰς εἶναι ψευδῆ. τῆς δὲ Μαξεντίου κεφαλῆς ἐπὶ δόρατος ἀνενεχθείσης, ἀπεθέμενοι τὸν φόβον

nus exarſit: nec deſiit tota Vrbe, qua ſuffixum haſta ferebatur, caput illud piaculare foedari: cum interim, ut ſunt ioci triumphales, rideretur geſtantis iniuria, cum alieni capitis merita pateretur.

XIX. Sed quid ego hucuſque iocularia? Tecta ipſa, ut audio, commoueri, altitudo culminum uide-

φόβον, εἰς ἡδονὴν τὴν ῥᾳθυμίαν μετήγαγον. *Id.*

XVIII, 3. *nec de ſicca tota urbe*) Sic Rh. St. nec *de ſica t. u.* Cuſpin. Liv. Hoc monſtrum lectionis Lipſius l. c. emendat: *nec deſiit a tota urbe.* Put. cod. *nec deſunt a* etc. ex quo coniicit: ſ. *nec deſunt tota foedare*, uel *nec deſitum tota* etc. Alius, ab eo adhibitus, cum Moerl. *nec deſiit* etc. probante Liuineio, qui, „Belle, inquit, *deſiit*. „Trebellius Pollio, Aemilia„no: *Ictus eſt lapidibus, pe„titus eſt ferro, nec deſiit ul„lum ſeditionis telum.*„ Hanc lectionem, Acidalii etiam et Gruteri iudicio confirmatam, praeferunt Francof. Pariſ. Cellar. Pat. *Id.*

XVIII, 3. *caput id*) Ita Cuſp. Rhen. Steph. Liv. Sed cod. Liv. Bert. cum ceteris *caput illud.* v. ſupra, c. 12, 3. et c. 16, 1. *Id.*

XVIII, 3. *ut ſunt ioci triumphales*) Martialis, 1, 5.

Conſueuere iocos ueſtri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem. L.

Addi poteſt Liv. 4, 53. et 5, 49. Sueton. Iul. c. 49. et 51. Dionyſ. Halic. l. 7. p. m. 477. *Ineg.*

XVIII, 3. *cum alieni cap. mer. pat.*) Fuit, cum ſuſpectum mihi *cum*, repetitum tam uicine, ac pro eo *qui* legebam. Nunc idem obſeruo in Nazarii laudatione: *cum eum pugnae locum caperet, ut interclusſi fuga moriendi neceſſitatem imponeret, cum ſpem uictoriae non haberet.* L.

XVIII, 3. *alieni capitis merita*) Iniurias debitas alieno capiti. B.

XIX, 1. *Tecta ipſa* etc.) Mirifica ὑποτύπωσις Conſtantini, poſt Maxentii cladem, Romam ingredientis. Videri poteſt Euſeb. hiſt. 9, 8. et in Vita Conſtantini. B.

Compara Mamert. Genethl. 11, 3. ſqq. Plinium, paneg. c. 22, 2. ſqq. Magna ſenatus, populique laetitia exceptum

uidebatur adtolli, quacumque numen tuum tardo molimine currus inueherétur: tanta te populi denſitas, tanta ſenatus ſtipatio prouehebat ſimul
2 et adtinebat. Felices, qui te propius adſpicerent: longius poſiti nominabant: quos praeterieras, loci, quem occupauerant, poenitebat. Viciſſim omnes inde diſcedere, hinc ſequi: certare innumera-

exceptum fuiſſe Conſtantinum, teſtatur etiam Lactant. de M. P 44, 10. et, quos laudat Puteanus, Prudent. l. 1. contra Symmach. Zonar. Paull. Diac. *Iaeg.*

XIX, 1. *adtinebat*) Put. et Moerl. *detinebat*. Sed confirmant lectionem uulgatam citati a Liuineio Nazar. in Conſtant. *ſemineces uacillare, aut moribundi ſedilibus adtineri.* Arnobius II. *Quid eſt a nobis factum contra ſenſum iudiciumque commune, ſi maiora et certiora dilegimus, nec ſumus nos paſſi falſorum religionibus adtineri?* Quibus adiungi poteſt Tacit. Annal. 3, 3, 4. *Facilius crediderim, Tiberio et Auguſta, qui domo non excedebant, cohibitam; ut par maeror, et matris exemplo auia quoque et patruus adtineri uiderentur.* et 14, 56, 6. *Seneca — — rarus per urbem, quaſi ualetudine infenſa, aut ſapientiae ſtudiis, domi adtineretur. Id.*

XIX, 2. *Viciſſim omnes inde diſcedere, hinc ſequi*) Inquinata ſcriptura Cuſp. Rh. Steph. Liv. *uiciſſim omnes inde dicto accedere, inſequi* uarie tentata eſt a uiris doctis. Lipſius epiſt. quaeſt. 1, 22. emendat: *uiciſſim homines in relicto accedere.* Sic enim, ait, fieri ſolet in eiusmodi ſpectaculis; alii ſua loca deſerunt, alii occupant. Hoc iure reprehendit cum Liuineio Acidalius, quia non recte dicitur *in relicto accedere*: et ipſe malit *in relicta*, et *ſuccedere* pro *accedere*: deinde pro *inſequi* ſcribit *inter ſeque cert. innumerab.* Quae quidem concinniora ſunt emendatione Lipſii, ſed non certiora. Moerl. habet: *in edito accedere*, et Put. *in aedicto acc.* ex quo Puteanus effingit: *in edita aſcendere.* Optimam, ueramque lectionem Liuineius protulit e ſuo cod. qui pro *inde d. acc.* exhibet *inde diſcédere*, et e Bert. in quo pro *inſequi* legitur *hinc ſequi*; eamque Gruter. Pariſ. Cellar. Pat. receperunt. *Id.*

XIX, 2. *certare innumerabilis multitudo*) *Curſare innumerab. m.* arbitratur legendum

merabilis multitudo, et impulsu uario fluctuare, et tantum sibi hominum animi post illam sexennii

L l cladem

dum esse Liuineius; citra necessitatem. *Id.*

XIX, 2. *et tantum sibi hominum animi — memorabant.*) Ita libri et editi omnes et scripti, excepto Bert. qui loco τοῦ *sibi* praefert *ibi*, non probante Liuineio. Lipsius, l. c. corrigit: *tantum ibi hominum, n. p. i. s. c. superesse mirabantur.* Vix putabatur, ait, tanta multitudo supersesse saeuitiae Maxentii. Haec Lipsius. Liuineius pro *hominum* legit *omnium*, et cum Lipsio pro *memorabant* reponit *mirabantur*. Gruterus non transformandum esse censet illud *hominum*; sed magis exturbandam dictionem *animi*, nisi commode in aliam uocem mutari possit. „Neque „enim mirabantur, ait, animos suos, sed multitudinem „tantam reliquam post sexen„nii cladem. Etiam labes „est in illo *memorabant*; nec „tamen aptius aliquid inue„nio, quam Lipsii *mirabantur*.„ Videtur Gruterus τὸ *animi* pro gignendi casu habuisse, quia dicit, eos non miratos esse animos suos: uerum haud dubie est nominatiuus pluralis. Acidalius pro *animi* legit *admirabundi*: quod si admittas, retinendum est *memorabant*. Ad defendendam sententiam Gruteri, dictionem *animi* exturbantis, possis fortasse fingere, τὸ *hominum* mutatum fuisse in *omnium*, et deinde hoc in *animum*, uti factum est in Plin. paneg. 94, 2. ubi v. Schwarz. uel potius, ex compendiosa nota *oīum*, ortum esse et *omnium* et *animum*, quod cum intelligi nequiret, transformatum fuisse a correctore in *animi*, ut oratio sibi constaret. Sed multo mihi probabilior uidetur emendatio Acidalii. De syneſi *certare multitudo — et tantum sibi hominum admirabundi — supersesse memorabant* v. Cort. ad Sall. Cat. 43, 1. *Cetera multitudo coniurationis suum quisque negotium exsequerentur.* De enallage modorum dictum iam supra c. 7, 6. Ceterum τὸ *sibi* hīc παρέλκειν uidetur, ut e. g. in Petron. c. 111. *Proxima ergo nocte, quum miles, qui cruces seruabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset sibi et lumen inter monimenta clarius fulgens, et gemitum lugentis audisset, uitio gentis humanae, concupiit scire, quis aut quid faceret.* v. de hoc pleonasmo Vechner. Hellenolex. p. m. 175. sqq. *Id.*

XIX, 2. *sexennii cladem*) h. e. est sexennium plenum per-

3 cladem ſupereſſe memorabant. Auſi etiam quidam, ut reſiſteres, poſcere, et queri, tam cito acceſſiſſe palatium, et, cum ingreſſus eſſes, non ſolum oculis ſequi, ſed paene etiam ſacrum limen
4 irrumpere. Inde omnibus circumfuſis, ut inde excederes, opperiri, proſpicere, optare, ſperare: ut uiderentur, eum, a quo obſidione liberati
5 fuerant, obſidere. Gloriatus ſit licet, et uere, ſummus orator, humeris ſe Italiae in patriam re-

por-

perniciei, calamitatis, miſeriae. Haec eſt uis uocis *clades*. Sic Ouid. Met. 7, 561 ſq. de peſtilentia: *Nec moderator adeſt: inque ipſos ſaeua medentes Erumpit clades; obſuntque auctoribus artes.* Liuius 21, 57. *Poſtero die deditione facta, praeſidium intra moenia accepere: iuſſique arma tradere quum dicto paruiſſent, ſignum repente uictoribus datur, ut tamquam ui captam urbem diriperent. Neque ulla, quae in tali re memorabilis ſcribentibus uideri ſolet, praetermiſſa clades eſt; adeo omnis libidinis, crudelitatisque et inhumanae ſuperbiae editum in miſeros eſt exemplum.* Mirabantur itaque, poſt tot exempla crudelitatis, a Maxentio ſexennio illo, quo rerum potitus eſt, edita tantum adhuc hominum numerum ſupereſſe. *Id.*

XIX, 3. *ut reſiſteres*) v. ſupra c. 7, 8. et infra 22, 2. *Id.*

XIX. 3. *queri, tam cito acceſſ.*) ſub. *te*. v. quem iam laudauimus, Cort. ad Salluſt. Cat. 31, 7. Iugurth. 102, 9. *Id.*

XIX, 3. *oculis ſequi*) Mamertin. Paneg. I. Maxim. 5, 3. *Neque milites non dico ſtipatione atque comitatu, ſed ſaltem oculis ſequi poſſent. Put.*

XIX, 4. *ut inde excederes*) Ita edd. omnes. Cod. Liv. *uitium exc.* Bert. et Moerl. *uicum exc.* Suſpicatur Liuineius *ut iterum exc.* Non inepte. *Iaeg.*

XIX, 5. *ſummus orator, humeris ſe Italiae* etc.) Auctor Orat. in Ciceronem, 4. *Sed quid ego plura de tua inſolentia commemorem? quem Minerua omnes artes edocuit, Iupiter O. M. in concilium deorum admiſit, Italia exſulem humeris ſuis reportauit.* Ipſe Cicero, Orat. poſt reditum in Senatu, c. 15. *Cum me ueſtra auctoritas arceſſierit, populus Rom. reuocarit, res publica implorarit, Italia cuncta paene ſuis humeris reportarit* etc. Q. Haterius apud Senecam, proem. Controv. 2, l. 7. *Qui modo*

portatum: te, Conſtantine, ſenatus populusque Romanus et illo die et aliis, quacumque progreſſus es, et oculis ferre geſtiuit. Nec quidquam 6
aliud homines, diebus munerum, ſacrorumque ludorum, quam te ipſum, ſpectare potuerunt; qui tuus eſſet fulgor oculorum, quae totius corporis circumfuſa maieſtas, quae oris dignitas. Gaudere cuncti ſpectaculorum mora, et familia- 7

 ribus

modo Italiae humeris relatus eſt, nunc ſic a Popillio refertur. L.

XIX, 5. *quocunque progreſſus es*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. Sed rectius Cod. Liv. Bert. Put. Moerl. cum reliquis edd. *quacumque.* *Iaeg.*

XIX, 5. *et oculis ferre geſtauit.*) Sic Rh. St. Liv. Quod deprauatum eſſe uidit Acidalius, et coniectura emendauit *ferre geſtiuit*: feliciter. Haec proba lectio reperitur in cod. Liv. et Bert. et ed. Cuſp. ac poſterioribus. Cod. Put. *progreſſus es, et humeris et oculis ferre geſtiuit.* Moerl. *et humeris et oculis ſemper geſtiuit.* τὸ *et humeris* ex ſuperioribus inepte repetitum. Vtuntur ad confirmandam hanc lectionem Liuineius, Puteanus et Acidalius loco paneg. 5. c. 8, 7. *Te primo ingreſſu tuo tanta laetitia, tanta frequentia populus excepit, ut, cum te ad Capitolini Iouis gremium uel oculis ferre geſtiret, ſtipatione ſui uix ad portas urbis admitteret.* *Id.*

XIX, 6. *ſacrorumque ludorum*) Cod. Liuin. et Bert. *aeternorumque lud.* Moerl. *ceterorumque.* *Id.*

XIX, 6. *ſpectare potuerunt*) Forte *optarunt*, aut *putauerunt*, i. e. *aeſtimarunt*, uel *petiuerunt.* *A.*

Vox ultima ſpurium quid reſipit: certe ſalua ſententia abeſſe poteſt. G.

Poteſt haec conſtans omnium librorum ſcriptura etiam ſine mutatione explicari: *Diebus munerum et ludorum homines in Conſtantino ſolo abtutum figebant, adeo, ut, praeter ipſum, nihil omnino ſpectare poſſent.* *Iaeg.*

XIX, 6. *totiusque corporis circ. m.*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. Sed cod. Bert. et cum eo reliqui omnes *quae totius c. c. m.* *Id.*

ribus sibi artificibus ob hoc solum fauere, quod te praesente certarent.

XX. Nam quid ego de tuis in curia sententiis atque actis loquar? quibus senatui auctoritatem pristinam reddidisti, salutem, quam per te receperant, non imputasti, memoriam eius in pe-
2 ctore tuo sempiternam fore spopondisti. Dicerem plura de diuinis orationibus tuis, de oblata potius, quam impetrata, benignitate: nisi mallem dicta reticere, dum propero facta laudare. Quamlibet uerba tua in senatu habita nobis (non) nota sint, tamen, qualia fuerint, clementiae tuae glo-
3 ria nuntiauit. O tandem felix ciuili, Roma, victoria! Irrupit olim te Cinna furiosus, et Marius iratus,

XIX, 7. *artificibus)* artifices dici *histriones, aurigas* et *gladiatores* Ernestius docet in Cl. Ciceron. v. Artific. *Id.*

XIX, 7. *fauere)* de fauore spectantium in theatro et Circo v. Lips. Elect. 2, 10. Casaubon. ad Vopisci Aurelian. 48. Brouckhus. ad Tibull. 2, 5, 110. *Id.*

XX, 2. *Quamlibet uerba t.)* Liuineius *Et quamuis uerba tua. Id.*

XX, 2. *nobis nota)* Liuineius et Acidalius iudicant, legendum esse *ignota.* Sed in uitium omnes iurasse putes, praeter Moerl. in quo est, (proxime ad hanc lectionem, sed cum nota liturae,) *inota:* quod tamen, cum manum emendatricem passus sit h. l. genuinum esse non ausim contendere. Mihi sic uidetur. Particulam *non* frequenter praetermitti infinita exemplorum copia ostendit Schwarz. ad Plin. paneg. c. 23, 1. c. 30, 4. c. 40, 3. c. 61, 6. et alibi passim. Igitur et hic nō facile, praesertim cum eaedem sint duae priores litterae uocis *nota*, potuit negligi et omitti. Eam itaque particulam, suadente ac postulante sententia, contextui inserui. Proxime pro *sint* Moerl. *sunt. Id.*

XX, 3. *Irrupit olim te Cinna)* Nota historia ciuilis belli Mariani ex Velleii l. 2, 24. sq. Flori 3, 21. Eutropii 5, 4. 5. ut de Graecis Plutarcho, Appiano taceamus. C.

iratus, qui non ſolo ſe Octauii conſulis capite ſatiarunt, ſed, luminibus ciuitatis exſtinctis, exempla, quae nunc toto ſexennio paſſa es, reliquerunt. Vicit tibi iterum ante portam Collinam 4
Sylla: felix, ſi ſe parcius uindicaſſet; ſed enim uero multis capitibus Roſtra compleuit. Conſtantinus uictoriae licentiam fine praelii termina-

XX, 4. *ante portam Collatinam*) Collatina porta Romae, a Collatia oppido, ad quod per eam portam fiebat iter. Feſtus. B.

Equidem nec in hiſtoricis Romanis, qui hanc uictoriam Sullae narrant, e. g. Vell. Pat. L. 2. c. 27. Flor. L. 3. c. 21. Collatinae portae mentionem, nec in ullo alio exemplo hanc ſcripturam inuenio: in omnibus recte legitur *Collinam*. Redonamus itaque Baunio *Collatinam* ſuam, quam ſolus tuetur. Ceterum, ex compendio ſcribendi, pro *tibi iterum* Moerl. habet *tibi ter.* et in antecedentibus, pro *qui non ſolo ſe. Oct. conſ.* Liv. in contextu *quando ſolo ſe* etc. falſo. *Iaeg.*

XX, 4. *Sylla: felix, ſi ſe parc. uind.*) Plin. H. N. l. 7. c. 43. ſ. 44. *Vnus hominum ad hoc aeui Felicis ſibi cognomen adſeruit L. Sylla, ciuili nempe ſanguine ac patriae oppugnatione adoptatum. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proſcribere tot millia ciuium ac trucidare potuiſſet.* Velleius, 2, 27. *Sulla — felicis nomen adſumſit: quod quidem uſurpaſſet iuſtiſſime, ſi eumdem et uincendi et uiuendi finem habuiſſet. Id.*

XX, 4. *ſed enim uero*) Cuſp. Rhen. Steph. Liv. *ſed mult. cap.* omiſſis uocibus *enim uero.* Bert. omiſſo *ſed*, habet *enim*, cod. Liv. *enim uero*; unde Liuineius recte iudicauit, utramque ſcripturam per ſe indigentem et mancam, alteram alterius auxilio egere. Lectionem ab eo in margine propoſitam *ſed enim uero* reliqui omnes tenent. Moerl. exhibet *etenim*, ſollemni illa uocularum *ſed* atque *et* permutatione. *Id.*

XX, 4. *multis capitibus Roſtra compleuit*) Capita occiſorum pro Roſtris, ad incutiendum aliis terrorem, ſaepius fuiſſe expoſita, ſatis conſtat. v. Schwarz. Diſſert. de Roſtris Fori Romani, §. 18. *Id.*

XX, 4. *uictoriae licentiam fine praelii term.*) Sic Tullius, pro M. Marcello, c. 6. de Caeſare: *Vidimus tuam uictoriam praeliorum exitu ter-*

mina-

uit: gladios ne in eorum quidem ſanguinem deſtringi paſſus eſt, quos ad ſupplicia poſcebat.

XXI. Deditam ſibi idem Sylla exarmatamque legionem, in uilla publica, trucidauit, perculſumque, morientium gemitu, ſenatum monuit,
2 ne timeret, quod ipſe iuſſiſſet. At iſte uictor, non modo hoſtium, ſed etiam uictoriae ſuae, quidquid militum bello ſuperfuit, tibi reſeruauit. Tibi enim iam militant, quos exſutos armis im-
3 piis aduerſus hoſtes barbaros rurſus armauit. Iam obli-

minatam: gladium uagina uacuum in urbe non uidimus. Quos amiſimus ciues, eos Martis uis perculit, non ira uictoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Caeſar ab inferis excitaret; quoniam ex eadem acie conſeruat, quos poteſt. Id.

XX, 4. *diſtringi*) Iubentibus uiris doctis, Drakenb. in primis, ad Liv. 8, 7. reſcripſi *deſtringi*. *Id.*

XXI, 1. *in uilla publica*) Florus, d. l. *Quatuor millia deditorum inermium ciuium in uilla publica interfici iuſſit.* C.

De crudelitate Syllae, poſt uictoriam, uide ſis, praeter hiſtoricos a Cellario laudatos, Valer. Max. 9, 2, 1. Senec. de Benef. 5, 16. Lucan. 1, 139. ſqq. *Iaeg.*

XXI, 2. *uictor, n. m. h. ſed etiam uict. ſuae*) Pacatus in Theodoſ. c. 45, 4. *Clementia, Imperator, tua quo caelo, quo pigmento, quo aere, auroue ducetur? qua tu ipſius uictoriae uictor ita omnem eum armis iram depoſuiſti, ut ceciderit nemo poſt bellum, certe nemo poſt Maximum.* Cic. pro M. Marcello, c. 4. *Ipſam uictoriam uiciſſe uideris, cum ea ipſa, quae erat adepta, uictis remiſiſti.* L.

XXI, 2. *exſutos armis imperator*) Ita Rh. St. Liv. Baun. Vocem *impiis*, omiſſa *imperator*, habent Cuſp. et codd. Liv. Bert. Put. Moerl. At Gruterus, Pariſ. prior cum Cellario et Pat. utramque adferunt. Te *impiis* et in aliis legi teſtatur Puteanus; recte, ipſo iudice; adloquitur enim Romam. Ex illius uocis compendio nata eſſe uidetur uox *imperator*, quae, cum in iſtis MSS. haud compareat, non hic retineri, ſed ex ſuperioribus *uictor* repeti debet. *Iaeg.*

XXI, 2. *hoſtes barbaros*) Germanos, contra quos, ordinatis in urbe rebus, profectus eſt anno ſequenti. B.

obliti deliciarum Circi maximi, et Pompeiani theatri, et nobilium lauacrorum, Rheno, Danubioque praetendunt, excubias agunt, latrocinia compescunt, certant denique cum uictoribus, ut, ciuili

XXI, 3. *deliciarum Circi maximi*) spectaculorum, aliarumque uoluptatum, quibus praetoriani, in urbe excubantes, deditissimi erant, τῶν μαλλον ἢ ἀνδρείας ὑπηρέται. Herodian. 2, 10. C.

XXI, 3. *Pompeiani theatri*) cod. Liv. mendose *Pompeii amphith.* Scriptum nimirum fuit *Pompeiam th.* quod, inserta syllaba *phi*, sanare uoluit corrector. Idem error etiam contaminauit Plin. Hist. Nat. l. 36. c. 15. s. 24. sublatus ab Harduino, quem uide in Not. et Emendat. n. XV. p. m. 762. Mox pro *nobilium* Bert. inepte *noualium*. *Iaeg.*

XXI, 3. *nobil. lauacror.*) Thermae Traiani, Titi, Agrippae, Syriacae, Commodianae, Seuerianae, Antonianae, Alexandrinae, Neronianae, Diocletianae, Romae nobiles fuerunt. B.

XXI, 3. *praetenduntur*) Sic omnes omnino, excepto cod. Liv. et MS. D. Marci, in quo legitur *praetendunt*. Probat hanc lectionem Liuineius et firmat loco Pacati, c. 10, 2. *Vix Iberum tuum uideras, iam Istro praetendebas.* et Virg. Aen. 2, 29. *Hic saeuus tendebat Achilles.* His addi potest Frontin. Strateg. 2, 3, 14. *Cn. Pompeius in Albania, quia hostes innumero equitatu praeualebant, iuxta collem in angustiis protegere galeas, ne fulgore earum conspicui fierent, iussit milites; equites deinde in aequum procedere, ac uelut praetendere militibus:* etc. ad quem locum Schwebel. ostendit, *praetendere* dici militum stationes, quae ad defendenda castra, ciuitatem, regionem, prouinciam hic illic disponuntur, ne inopinatis hostium incursionibus locus relinquatur. cf. etiam Turneb. Aduersar. 4, 7. Lectionem illam a Liuineio proditam in contextum admisit Cellarius, quem sequor. *Iaeg.*

XXI, 3. *certant denique — comprentur.*) Pro *hostibus* lego *hostilibus*. A.

Sensus est: addunt se tuis, una cum illis pugnaturi contra communes hostes, ut, qui ante ciuili bello uicti sunt, hostilibus bellis nullo modo se aliis inferiores promant. B.

Antea desides et ignaui sub Maxentio, ideoque uicti iam

4 ciuili bello uicti, hoſtibus comparentur. Nec tamen id mirum uideri poteſt, cum qualemcumque militem fortiſſimum facias tuo, Imperator, 5 exemplo. Non enim feſſus praeliis, et expletus uictoriis, ut natura fert, otio te et quieti dediſti; ſed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexiſti ad inferiorem Germaniae limitem; magna ſcilicet intercapedine temporis, ac breui locorum diſtantia poſt annuam expeditionem ſtatim bella auſpicatus, a Tiberi ad Rhenum, immo, (ut

iam in limite tam fortes et uictoriarum aemuli, ut cum ferociſſimis hoſtium, Germanis, componi poſſint. C.

Miror, Cellarium, deſerta optima interpretatione Baunii, aliam commentum eſſe, nullo modo probabilem. Nihil ueriſimilius eſt emendatione Acidalii. Nam *hoſtibus* et *hoſtilibus* permiſceri oſtendit Schwarz. ad Plin. paneg. 17, 2. et bellum ciuile hoſtilibus opponit etiam Cicero pro Rege Deiotaro, c. 5. *Ad eum igitur (Cn. Pompeium) rex Deiotarus uenit, hoc miſero, fatalique bello, quem antea iuſtis, hoſtilibusque bellis adiuuerat.* Iaeg.

XXI, 5. *magna enim intercap. temp.*) Haec eſt lectio Rhen. Steph. Liv. Suſpicatur Rhenanus, legendum eſſe, *non magna intercaped.* quod improbat Acidalius, monens, ironice haec efferri: cui figurae aptiſſimum iudicat illud *enim.* Equidem non nego, hanc coniunctionem aeque atque γὰρ Graecorum ironice interdum ſumi; v. Heumann. ad or. Cic. pro Archia, c. 5. n. 6. uèrum, cum loco eius, codd. Liv. Bert. Put. Moerl. Schonhov. Cuſp. eum reliquis omnibus praeferant *ſcilicet*, nolui teſtium tam integrorum fidem ſpernere; quamquam facile concedam, fieri potuiſſe, ut uox *ſcilicet*, interpretamentum τῆς *enim*, extruſa hac, locum eius occupauerit. Patarol aut ironiam tenendam, aut transpoſitionem tentandam eſſe cenſet, hunc in modum: *breui ſc. intercap. — ac magna loc. diſtantia etc. Id.*

XXI, 5. *bello auſpicatus*) Ita Cuſp. Rh. St. Liv. Grut. Pariſ. Pat, Acidalius legi iubet *bella*, ut in Lang. reperitur, et a Cellario editum eſt, quem et nos ſequimur. *Id.*

(ut omen et similitudo nominis, sic et tua, Imperator, magnitudo animi pollicetur,) a Tusco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium.

XXII. Quisnam iste est tam continuus ardor? quae diuinitas perpetuo uigens motu? Omnium rerum interualla sunt. Cessat terra noualibus, dicuntur interdum flumina resistere, et ipse dies noctibus

L l 5 ad-

XX, 5. *ut omen et similitudo nominis sit, et*) Deleo τὸ *sit*, aut muto *sed et. Acid.*

Alii deletum eunt illud *sit*: sed pudentius Daniel, qui inde facit *sic*; quod ualde probem, dummodo interpunctione mutata fiat *nominis, sic et tua*, etc. G.

Delet τὸ *sit* etiam Liuineius. Sed malo obtemperare P. Danieli et Grutero, rescribentibus *sic*: quia litterae *c* et *t*, in scriptura Longobardica plane similes, a librariis saepe permutantur. v. Drakenb. ad Liv. 6, 34. Non erit mihi, spero, fraudi necessaria haec discessio a scriptura omnium, quos uidi, librorum. *Iaeg.*

XXI, 5. *Tusco Albula*) Qui et Tiberis, teste Plinio: sic ab aquarum albedine dictus est fluuius Etruriae celebratissimus, Romam interluens. Is de se ipso apud Ouidium, Fastor. 5, 645.

Venit et Alcides turba comitatus Achiua;
Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.

Virgil. Aen. 8. 332.

— *Amisit uerum uetus Albula nomen.* B.

XXI, 5. *Albula — Albim*) Παρονομασία, de qua v. Voss. Inst. Or. 5, 5, 1. *Iaeg.*

XXII, 1. *perpetuo ingens motu*) Sic Rhen. et cum eo Steph. Ceteri omnes recte, ut iam Acidalius coniectura emendauit, *uigens*. Sic Virg. Aen. 4, 175. de Fama:

Mobilitate uiget, uiresque adquirit eundo. Id.

XXII, 2. *et ipse dies*) Pro *et* cod. Liv. *sed*; et sic etiam Moerl. unde Liuineius suspicatur, legendum esse *sed et*: mihi uero hic quoque uidetur sollemnis illa permutatio uocum *sed* atque *et* fieri, de qua iam saepe diximus. Memorabilis est lectio Cusp. *et sol ipse noct. acquiescit*, quam, omissa tamen particula *et*, praefert etiam Bertin. Id.

adquieſcit; tu, Conſtantine, ſolus infatigabilis bellis bella continuas, uictorias uictoriis cumulas. Quaſi praeterita ſint obliterata, ſi deſinas; non putas,
3 te uiciſſe, niſi uincas. Ruperat fidem gens leuis et lubrica barbarorum, et, robore atque audacia lectis eruptionis auctoribus, inſtitiſſe Rheno nun-

XXII, 2. *non putas, te uiciſſe, niſi uincas.*) Similiter de Caeſare Lucan. 2, 656 ſq.

— — —. *Caeſar in omnia praeceps,*
Nil credens acti, cum quid ſuperaret agendum. Id.

XXII, 3. *Ruperat fidem gens leuis et lubrica barbar.*) Fortaſſe Brueteros intelligit, ob ea, quae dicuntur c. 23, 3. *ut ingrati et perfidi* etc. *Put.*

Ita Francos adpellat, ut Romano Imperatori blandiatur. B.

De Francorum perfidia v. Saluian. de Gubern. Dei, L. 4, 123. ibique Rittershuſ. Vopiſc. Procul. inf. et ibi Caſaub. p. m. 762. *Ineg.*

XXII, 3. *robore atque audacia lectis erupt. auct.*) Liuineius putat, inter *audacia* et *lectis* aliquid, forſitan uocem *inſtincti*, excidiſſe. Mihi uero locus ſanus uidetur et integer, modo inciſio tollatur, qua in ed. Liv. et Cellar. (in aliis recte omiſſa eſt,) uoces *audacia* et *lectis* ſeiunguntur. Verba auctoris haud dubie ſignificant, barbaros in legendis ducibus roboris atque audaciae habuiſſe rationem. Sic Plinius, Hiſt. Nat. l. 16. c. 44. f. 89. *Platanus oſtenditur, ex qua pependerit Marſyas, uictus ab Apolline; quae iam tum magnitudine electa eſt.* h. e. in qua eligenda iam tum magnitudo ſpectata, uel quae iam tum ob magnitudinem prae aliis electa fuit. *Auctores* h. l. ſunt duces. Sic Tullius auctoritatem tribuit Caeſari Octauiano, ut Imperatori, Ep. ad diuerſ. 10, 28, 8. *Hoc uero certum habeto, niſi ille ueteranos celeriter conſcripſiſſet, legionesque duae de exercitu Antonii ad eius ſe auctoritatem contuliſſent, atque is oppoſitus eſſet terror Antonio, nihil Antonium ſceleris, nihil crudelitatis praeteriturum fuiſſe.* et Philipp. 3, 3. *Huiusce legionis uirtutem imitata quarta legio — Caeſaris auctoritatem atque exercitum perſecuta eſt*, h. e. Caeſarem imperatorem, eiusque caſtra eſt ſecuta, et, quae iuſſit, quorumque adeo auctor fuit, fecit. De cetero pro *eruptionis* hic et *eruptione* n. 4. legendum puto *irruptionis* et *irruptione*. Nam eruptionem facere dicuntur

clauſi

nuntiabantur. Illico obuius adfuisti, et praesentia tua, ne auderent transitum, terruisti. Et 4
iam uidebaris rem uotis tuis fecisse contrariam, quod, inhibita eruptione, non foret materia uictoriae; sed inopinato consilio usus. Abeundo 5
enim, simulato nuntio maioris in superiore limite tumultus, occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra ueniendi; relictis in occulto duci-

clausi et obsessi, irruptionem uero, qui adoriuntur, et obstantia perrumpunt, ui in aliquem locum penetraturi. Sic pro Lege Manilia Cic. 6. *Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur*, etc. Litterae *e* et *i* quam facile permutentur, nemo est, qui ignoret. Hinc uerba *erumpere* et *irrumpere* etiam confusa sunt in Ouid. Trist. 2, 305. ubi v. Heins. *Iaeg.*

XXII, 4. *Etiam uidebaris*) Malit Acidalius cum Liuineio diuidi *et iam*: In Moerl. *etiam* deest. *Id.*

XXII, 4. *sed inopinato consilio usus, abeundo enim*) Liuineius in margine pro *enim* suspicatur legendum esse *scilicet*; quemadmodum cap. praeced. s. 5. hasce uoces permutari obseruatum est. Acidalius uero ostendit, sibi paucula quaedam deesse uideri; nec ferre se parenthesin, quae nimirum est in exempl. Rh. et Steph. (*abeundo enim simulato nuntio maioris in superiore limite tumultus*) qua sublata melius reliqua oratio necteretur. Fortasse nihil deest, praeter uerbum substantiuum *es*. Gruterus et Paris. prior et Cellarius post *usus* ponunt τελεσιουργην, quos sequor. Pro *abeundo* Moerl. *abeundi*. Non possum non fateri, multo commodiorem fore lectionem, si liceat Liuineium sequi et Cod. Moerl. atque ita rescribere: *sed inopinato consilio usus, abeundi scilicet, simulato nuntio* etc. Ceterum uitiosa est interpunctio in edd. Grut. Paris. utraque et Cellar. in quibus *comma* post *nuntio* positum, post *tumultus* omissum est: qua ratione sensus uerborum prorsus turbatur. Nec melius Patarol: *sed inop. cons. usus, abeundo simulato* etc. *Id.*

XXII, 5. *ferinis mentibus*) codd. Liv. Bert. Put. Moerl. *feris mentib.* *Id.*

6 ducibus, qui ſecuros adorirentur. Quo cum ueniſſent, conſilium tuum ſequitur fortuna. Toto Rheni alueo, oppleto nauibus, deuectus terras eorum ac domos maeſtas, lugentesque populatus es, tantamque cladem, uaſtitatemque periurae genti intulisti, ut poſt uix ullum nomen habitura ſit.

XXIII. Ite nunc omnes, ſi placet, barbarae natio-

XXII, 5. *qui ſecuros*) Ita Cuſp. Rhen. St. Baun. Cellar. Hoc non placet Liuineio, qui, una cum Grut. Pat. et Pariſ. priore, exhibet *ſecutos*. Moerl. ſtat pro lectione noſtra, quae neſcio cur alteri cedere debeat. *Id.*

XXII, 6. *maeſtas*) Put. et Moerl. *funeſtas*. *Id.*

XXII, 6. *ut uix poſt illud nomen h. ſ.*) Valide hanc formam auxit: quam alii ſic efferunt, ut nihil reliqui factum, praeter nomen, dicant: at hic ne nomen quidem idem poſthac eſſe uult. Paneg. Maximiano dict. *Illa gens prope omnis exſtincta eſt, et pacne eum ſolo nomine relicta, quo ſeruiat.* Plura exempla Iuretus Notis ad Symmachum. A.

Noſter et Bert. *poſt uix*, Bert. *illum*, f. *ullum*. L.

Periuri ſcilicet nomen; qua interpretatione admiſſa, nihil opus erit, recurrere ad coniecturas. G.

Vt uix poſtea, ſeu poſt eam cladem, hoc *periurae gentis* nomen habitura ſit, numquam rebellatura, ſed perpetuo ſeruitura Romanis. C.

Cod. Put. et Moerl. *ut poſt uix ullum nomen hab. ſit.* Plane, ut Liuineius ex Bert. coniecit. τὸ *ullum* facile mutari potuiſſe in *illum*, nemo negabit. v. Brouckhuſ. ad Prop. 3, 7, 8. Quo facto, ut cum *nomen* congrueret, repoſitum fuit *illud*, et transpoſitae particulae *poſt uix*. Reſcribo itaque hunc locum ad ductum Mſſ. nec dubito, ſententiam, quae inde exſiſtit, quamque iam propoſuit Acidalius, planiorem eſſe et ueriorem illa, quam excogitauit Gruterus, Cellarius probauit. *Iaeg.*

XXIII, 1. *Ite*) Rhen. et Steph. mendoſe *Ita*. Idem et mox *exitiale uobis mouete conatus exemplum*. Cuſp. et Liv. *exitiales uobis mouete con. exempl.* Vocem *habetis*, quam in ſuo, Bert. et Lang. eſſe teſtatur Liuineius, quamque, uitioſa licet aliquantulum ſcriptura, praefert etiam Put. cum Moerl. merito editores reliqui admiſerunt. *Id.*

nationes, et exitiales uobis mouete conatus: habetis exemplum. Quamuis enim imperator noſter amicorum regum admittat obſequia; idque ipſum ualeat ad laudem uictoriae, quod a nobiliſſimis regibus timetur et colitur: augeri tamen gloriam uirtutis ſuae gaudet, quoties prouocatur. Nam quid hoc triumpho pulchrius? quo caedibus hoſtium utitur etiam ad noſtrum omnium uoluptatem, et pompam munerum de reliquiis barbaricae cladis exaggerat, tantamque captiuorum multitudinem beſtiis obiicit, ut ingrati et perfidi non

XXIII, 3. *quod caedibus)* Ita edd. omnes: quae lectio ſi tuenda eſſet, ante *hoc triumpho* ſubaudiri *in*, et poſt *pulchrius* inſeri deberet *quam*. Sed meliorem ſuggerunt codd. Liv. Bert. Put. Moerl. in quibus eſt *quo*, i. e. in quo, de qua ellipſi frequentiſſima v. Perizon. ad Sanct. Minerv. 4, 6, n. 7. p. m. 676. Mox pro *noſtrum* Moerl. uitioſe *noſtrorum*. *Id.*

XXIII, 3. *pompam munerum — exaggerat)* Magnificentiam largitionum ex barbarorum ſpoliis auget. B.

Munera hic non ſunt largitiones, ſed ſpectacula, ut ſequentia ſatis aperte demonſtrant. *Iaeg.*

XXIII, 3. *tantam captiuorum multitudinem beſtiis obiici, ingrati et perf.* etc.) Non cohaerent haec. Leuiter emendata cum ſuperioribus committo: *et pompam munerum de reliquiis barbaricae cladis exaggerat, tantamque capt. mult. b. obiicit, ut ingr. et perf.* etc. *Acid.*

Hanc emendationem iure, meritoque recepit in contextum Cellarius. *obiicit*, *ut* legitur expreſſe in Put. et Moerl. *ut* habet etiam Lang. pro quo in Bert. et Cuſp. eſt *et*, quas particulas ſaepe permutari in confeſſo eſt. In Rh. St. Liv. poſt *obiici* nulla inuenitur coniunctio: cetera exemplaria typis excuſa praeferunt *ut*. Partieulam ἐγκλιτικὴν *que*, quam uoci *tantam* adiunxit Acidalius, ſaepe perperam omitti, ſatis, abundeque ad Plin. Paneg. oſtendit Schwarzius. *Iaeg.*

XXIII, 3. *beſtiis obiicit)* Re ipſa Conſtantinus Francorum reges, Regaiſum et Aſcaricum, bello captos, belluis dilaniandos iuſſit Treueris in theatrum

non minus doloris ex ludibrio ſui, quam ex ipſa
4 morte, patiantur. Inde eſt, quod, cum exitum differre liceat, perire feſtinant, ſeſeque letalibus uulneribus et mortibus offerunt. Ex quo ipſo
1 apparet, quam magnum ſit, uiciſſe tam prodigos ſui.

XXIV. Facile eſt uincere timidos et imbelles, quales amoena Graeciae et deliciae Orientis edu-

theatrum induci, et paneg. 6, 12, 3. *Puberes, qui in manus uenerunt, quorum nec perfidia erat apta militiae, nec ferocia ſeruituti, ad poenas ſpectaculo dati, ſaeuientes beſtias multitudine ſua fatigarunt.* B.

cf. Eutrop. 10, 2, 9. ibique Cellarius.

XXIII, 4. *exitum*) Ita omnes libri. Acidalius reſcribit *exitium*; idque optimo iure, ut mihi quidem uidetur. v. quae de permutatione harum uocum adfert Cort. ad Salluſt. Cat. 55, 6. Pro *perire* Moerl. uitioſe *praeire*. *Iaeg.*

XXIII, 4. *differre liceat*) pugnando cum beſtiis, quia θηριομαχίας ſpectacula erant: ſed ludibrii uitandi cauſſa mortem parum repugnantes admiſerunt. C.

XXIII, 4. *tam prodigos ſui*) Nulli enim aeque in bello metuendi, quam qui de ſalute ſua non ſunt ſolliciti. B.

De Hiſpanis Sil. Ital. 1, 225.

Prodiga gens animae, et properare facillima mortem. ubi v. Drakenb. *Iaeg.*

XXIV, 1. *amoena Graecia*) Sic omnes, excepto Moerl. qui exhibet *amoena Graeciae*, quod ſine controuerſia melius eſt. v. de hoc Atticiſmi genere Vechner. Hellenolex. 1, 2, 9. p. m. 205. ſqq. Exemplis ibi prolatis addo Valer. Flacc. Argon. 1, 841. ſqq.

— — — — *Lucet uia late*
Igne dei: donec ſiluas et amoena piorum
Deueniant, camposque, ubi ſol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiaſique chorique uirorum,
Carminaque, et quorum populis iam nulla cupido.

Tacit. Hiſt. 3, 76, 3. *Non uigilias agere, non intuta moenium firmare, noctu dieque fluxi, et amoena littorum perſonantes, in miniſterium luxus diſperſis militibus, de bello tantum inter conuiuia loquebantur.*

educunt, uix leue pallium et fericos ſinus, uitando ſole, tolerantes, et, ſi quando in periculum uenerint, libertatis immemores, ut ſeruire liceat, orantes. Romanum uero militem, quem qualemque ordinat diſciplina et ſacramenti religio confirmat, aut trucem Francum, ferina ſola carne diſtentum, qui uitam pro uictus ſui uilitate contemnat, 2

bantur. et Annal. 3, 7, 1. *Druſus Illyricos ad exercitus profectus eſt, erectis omnium animis petendae e Piſone ultionis; et crebro queſtu, quod uagus interim per amoena Aſiae atque Achaiae, adroganti et ſubdola mora, ſcelerum probationes ſubuerteret.* Id.

XXIV, 1. *deliciae Orientis educunt)* Lucan. 8, 365. ſqq.

Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia caeli.
Illic et laxas ueſtes, et fluxa uirorum
Velamenta uides. — — —

cf. etiam Veget. de R. M. 1, 2. Id.

XXIV, 1. *uix leue pallium et ſer. ſin.)* Sic Pacatus, 33, 4. *Illos tenero perlucentes amictu et uix leue carbaſum uitando ſole tolerantes,* etc. Put.

XXIV, 2. *quem qualemque ordinatur diſciplina)* Sic Liv. Ceteri omnes ſcripti et editi recte praeferunt *ordinat.* Pro *qualemque* Liuineius reponit *qualemcumque,* et confirmat hanc emendationem cap. 21. h. paneg. ſ. 4. *Nec tamen id mirum uideri poteſt, cum qualemcumque militem fortiſſimum facias tuo, Imperator, exemplo.* Ineg.

XXIV, 2. *ferina ſola carne diſtentum)* Argumentum uictus aſperi. Salluſt. Iug. 18, 1. *Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, aſperi, inculti; quis cibus erat caro ferina* etc. cf. quoque c. 89, 7. Pomp. Mela, 1, 8, 24. ed. Gron. de Africae populis: *Victus aſper et munditiis carens — Cibus eſt caro, plurimum ferina.* Id.

XXIV, 2, *prouectus ſui utilitate)* Ita Rhen. St. et ex parte Liv. Hoc uitium ſine ope codd. iam Rhen. et Acidal. ſuſtulerunt, reſcribendo *pro uictus,* uti in Mſſ. Liuin. Put. Moerl. Schonh. et edd. accuratioribus inuenitur. Tò *utilitate,* quod Rhen. Steph. et Cuſp. exhibent, itidem iam emendauit Acidalius, reponens *uilitate,* ut in reliquis deinceps edd. legitur. Ceterum

temnat; quantae molis ſit ſuperare, uel capere? Quod tu, Imperator, et nuper in Italia, et in ipſo
3 conſpectu barbariae paullo ante feciſti. Ita ſine ullo diſcrimine omnia genera bellorum, armorum, hoſtium uni tibi cedunt, cedunt ex omni etiam memoria condita litteris monumenta uirtu-
4 tum. Nec uero tantummodo uetera illa Dictatorum, et Conſulum, ac deinceps magnorum Principum, ſed etiam rectiſſima et pulcherrima diui patris tui facta ſuperaſti; (ſordet enim alios ex proximo tempore comparare;) ipſum, inquam, diuum

rum de re ipſa Veget. de R. M. 1, 3. in f. *Ex agris ergo ſupplendum robur praecipue uidetur exercitus. Neſcio enim, quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in uita.* In ſequentibus poſt *molis τε ſit* delendum cenſet Liuineius. *Id.*

XXIV, 2. *Quod tu imp. et imp. in Italia — feciſti.*) Haec eſt lectio Rh. St. Liv. Rhenanus, eiecta altera uoce *imp.* legendum putat: *quod tu imp. et in Italia f.* Acidalius delet *quod*, et totum locum ita conſtituit: *Romanum uero militem, — aut truculentum Francum — quantae molis ſit ſuperare uel capere, tu, Imperator, et pridem in Italia, et in ipſo conſp. barb. paullo ante palam feciſti.* Sic tota comprehenſio, inquit, recte nexa: ni ſimpliciter malis: *tu, imperator, et in Italia et in ipſo conſp. b. p. feciſti.* Haec ille. Liuineius optimam medicinam adfert ex ed. Cuſp. et cod. ſuo ac Lang. cum quibus Schonh. et Put. et Moerl. conſpirant ad tuendam ueram lectionem: *Quod tu, Imp. et nuper in Italia* etc. quam edd. reliqui ſequuntur. Voces *imperator* et *nuper* iterum permutantur, cap. ſeq. f. 4. *Id.*

XXIV, 4. *rectiſſima*) Conſentiunt codices; placet tamen *lectiſſima*. Nam alterum illud exile mihi et ſuſpectum. L.

Forte *recentiſſima*. Nam praecedebat: *Nec uero tantummodo uetera dictatorum* etc. A.

XXIV, 4. *alios ex proximo tempore*) Vt Numerianum, Carinum, Carum, Probum, Florianum, Tacitos, et alios deinceps eius aeui imperatores haud multo clariores. B.

diuum Conſtantium, iam primis imperii tui luſtris, rerum geſtarum laude cumulaſti.

XXV. Inuitus hoc forte accipis, Imperator, ſed ille, dum dicimus, gaudet e caelo, et, iam pridem uocatus ad ſidera, adhuc creſcit in filio, et gloriarum tuarum gradibus adſcendit. Purgauit ille Batauiam, aduena hoſte depulſo, tibi ſe ex ultima barbaria indigenae populi dedidere. Ille Oceanum claſſe transmiſit, tu et Alpes gradu, et claſſibus portus Italicos occupaſti. Recuperauit ille Britanniam, tu nobiliſſimas Africi maris inſulas, quae populi Romani fuere prouinciae. 2

Mm Igno-

XXIV, 4. *imperii tui*) *tui* abeſt Bert. L.

XXV, 1. *et pridem*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. *etiam prid.* cod. Liv. *et iamprid.* Bert. probe; quem ceteri omnes ſequuntur. De temporis ſpatio v. cap. ſeq. f. 5. *Iaeg.*

XXV, 2. *Purgauit ille Batauiam, aduena hoſte dep.*) Incertus, Paneg. Max. et Conſtant. 4, 2. *Multa ille Francorum millia, qui Batauiam, aliasque cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit, cepit, abduxit.* Et Eumen. paneg. 6, c. 5. f. 3. *terram Batauiam, ſub ipſo quondam alumno ſuo a diuerſis Francorum gentibus occupatam, omni hoſte purgauit.* Liv. in contextu inquinate: *Purgauit ille Batauum aduenam hoſte dep.* *Id.*

XXV, 2. *populi dedere.*) Sic Cuſp. Rh. St. Liv. *dedidere* coniicit Liuineius; idque reliqui merito praeferunt. Solent enim haec uerba frequenter confundi, v. ad Corn. Nep. Themiſtocl. 1, 3. et 10, 1. Lyſandr. 1, 2. Datam. 4, 5. Heuſingerus, qui negat, audiendum eſſe Cortium defendentem *dederant* in Salluſt. Iug. 75, 5. Mox *claſſe transmittit* Rh. cum Steph. Sed reliqui recte *transmiſit*, ut iam emendauerat Acidalius. *Id.*

XXV, 2. *Africi maris inſulas*) Gell. 13, 29, 5. *Salluſtii uerba ſunt ex Hiſtoria ſecunda: Sardinia in Africo mari facie ueſtigii humani in orientem quam in occidentem latior prominet.* Pomp. Mela, 2, 7, 170. de Himera, amne Siciliae: *alio ore in Libycum, alio in Tuſcum mare deuenit,* et

3 Ignoſcat, inquam, diuus ipſe Conſtantius. Quid habeo, quod comparem Italiae, Africae, Romae? 4 Merito igitur tibi, Conſtantine, et nuper ſenatus ſignum dei dedit, et paullo ante Italia ſcutum et coro-

et l. 188. *Sardinia Africum pelagus attingens.* Plin. H. N. 3, c. 6. ſ. 13. *pelagus Africum attingens Sardinia*, etc. Haud dubie itaque nobiliſſimae illae Africi maris inſulae, quae populi Rom. fuere prouinciae, Sardinia ſunt et Sicilia. *Id.*

XXV, 3. *Ignoſcat, inquam, — Romae?*) Scilicet, quod eius rebus geſtis tuas praefero, cum tu Italiam, Africam, Romam, ille Batauiam ac Britanniam liberarit. L.

Vitium hic. Forte: *Ignoſcat tandem diuus ipſe Conſtantius: quid habet, quod comparet* etc. Niſi uerba poſtrema ipſum Conſtantium pronuntiare facit; quod quo modo apte fiat, nondum uideo. A.

Verba poſtrema pronuntiat non Conſtantius, ſed orator, et ſenſus eſt: Ignoſcat mihi Conſtantius praeferenti ipſius rebus geſtis tuas. Quid enim in illis, quae fortiter ac proſpere adminiſtrauit, inuenio, quod comparare poſſim recuperationi Italiae, Africae, Romae? Hic nihil uitii, nihil obſcuritatis. Cererum, quod *Romae* ultimo loco poſuit, maieſtatem urbis aeternae Italiae et Africae non modo aequaſſe, uerum etiam magnifice praepoſuiſſe uidetur. *Iaeg.*

XXV, 4. *et imp. ſenatus*) Ita Rhen. St. Melius, inquit Rhen. *Conſtantine imp. ſenatus*, etc. *et* expuncto. Acidalius relinquit copulam *et*, ex decurtatoque *imp.* facit *pridem*, ut ſupra: non ſatis feliciter. Confunduntur nimirum hic rurſus, quod iam monuimus cap. praeced. ſ. 2. *imp.* et *nuper*. Schonh. utramque hanc uocem enotauit. Liuineius cum reliquis omnibus, *et nuper ſen.* recte omiſſa uoce *imperator*, orta ex compendio litterarum. *Id.*

XXV, 4. *ſignum dedit*) Sic Liv. et Baun. *ſign. Deus ded.* cod. Liv. Bert. et Cuſp. *ſ. Dei d.* Rh. *ſ. deae d.* Moerl. Probat merito Liuineius *Dei*; quia mox ſubiicit: *debetur et diuinitati tuae ſimulacrum aureum* etc. eamque ſcripturam edd. reliquae exhibent, et illuſtrat Cellarius hisce uerbis: „ſimulacrum Conſtantini au„reum, radiato forſan capi„te, quod deorum fuit. Plin. „paneg. 52, 1. *Horum unum „ſi praeſtitiſſet alius, iam „dudum radiatum caput, et „media inter deos ſedes auro „ſtaret aut ebore.*„ v. ibi Schwarz. *Id.*

XXV, 4. *ſcutum)* imaginem

coronam, cuncta aurea, dedicarunt, ut conſcientiae debitum aliqua ex parte releuarent. Debetur enim, et ſaepe debebitur, diuinitati ſimulacrum aureum, et uirtuti ſcutum, et corona pietati.

nem clypeatam, uſitatiſſimum genus honoris. Trebell. Pollio, Claud. c. 3. *Illi clypeus aureus, uel, ut grammatici loquuntur, clypeum aureum ſenatus totius iudicio in Romana curia collocatum eſt, ut etiam nunc uidetur, expreſſa thorace uultus eius.* Ita eum locum emendat Salmaſius, docetque, thoracem eſſe imaginem thorace tenus expreſſam, qualem Graeci προτομὴν appellant. v. illum et l. c. et ad eiusdem Trig. Tyrann. c. 25. p. m. 322. add. Lipſ. ad Tacit. Annal. 2, 83. Sueton. Calig. 16. *Inter reliquos honores decretus eſt ei clypeus aureus: quem quotannis certo die collegia ſacerdotum in Capitolium ferrent, ſenatu proſequente, nobilibusque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes uirtutum eius canentibus.* Ad eum locum adfert Caſaubonus iocum Ciceronis ex Macrob. Sat. 1, 3. *Cum in ea prouincia, quam Q. Cicero frater rexerat, uidiſſet clypeatam imaginem eius, ingentibus lineamentis uſque ad pectus ex more pictam, (erat autem Quintus ipſe ſtaturae paruae,) ait: Frater meus dimidius maior eſt, quam totus.* Idemque oſtendit, ſcuta et coronas, ut hic a noſtro auctore, ſic etiam iungi a Philone in Legat. ad Caium, his uerbis: Σιωπῶ τὰς συμπεσθείσας τῶν αὐτοκρατόρων τιμὰς ἀσπίδων καὶ στεφάνων ἐπιχρύσων. *Id.*

XXV, 4. *dedicarunt*) Nota, Italiae, ut nomini collectiuo, numerum multitudinis adiungi: niſi malis abiicere *dedit*, quod ex *dei* natum eſſe uidetur. *Id.*

XXV, 4. *Debetur enim et diuinitati ſimulacrum*) Sic Gruter. Pariſ. Pat. Omiſſa copula *et* Cellarius: *deb. en. diu. ſim.* Rhen. et Steph. *etenim ſaepe debetur et diu. ſim.* In contextu Liuineii lacuna eſt: *ut conſcientiae debitum aliqua ex parte* * — — *ſaepe enim et ſaepe debetur et diu.* Verbum *releuarent* in ſuo cod. Bert. Lang. et Cuſp. adeſſe teſtatur Liuineius. Put. Moerl. *debetur enim et ſaepe debetur et diu.* et ſic etiam Cuſp. cum Schonh. unde Gruterus ſatis commode effinxit; *Debetur enim et ſaepe debebitur diu.* etc. quem ducem hic ſequor. Τὸ *ſaepe*, tot, tantisque auctori-

XXVI. Quamobrem te, ſumme rerum ſator, cuius tot nomina ſunt, quot gentium linguas eſſe uoluiſti, (quem enim te ipſe dici uelis, ſcire non poſſumus:) ſiue in te quaedam uis, mensque diuina eſt, qua toto infuſus mundo omnibus miſcearis elementis, et ſine ullo extrinſecus accedente uigoris impulſu per te ipſe mouearis: ſiue aliqua ſupra omne caelum poteſtas es, quae hoc opus tuum

etoritatibus munitum, omnino reuocandum fuit: quo facto uerbum *debetur* repetendum, uel potius, ut Gruterus uoluit, *debebitur* neceſſario ſcribendum uidebatur. Mox poſt *diuinitati* Cuſp. inſerit *tuorum*, Pet. Diuaeus *tuae*; uere, ut iudicat Liuſneius; ſed poteſt etiam, citra obſcuritatem, ſubaudiri. *Id.*

XXVI, 1. *ſumme rerum ſator*) Ita Cicero appellat *mundum*, de Nat. Deor. 2, 34. pr. *Iouem* Sil. Ital. 4, 451. *Id.*

XXVI, 1. *quaedam uis, mensque diuina eſt, qua toto infuſus mundo* etc.) Adludere mihi uidetur ad Virgil. Aen. 6, 726. ſq.

— — — — *totamque infuſa per artus*
Mens agitat molem et magno ſe corpore miſcet. L.

Cic. de Nat. Deor. 1, 15. *Chryſippus, qui Stoicorum ſomniorum uaferrimus habetur interpres, — ait, ullum diuinum in ratione eſſe poſitum, et uniuerſae naturae animo atque mente: ipſumque mundum deum dicit eſſe et eius animi fuſionem uniuerſam.* Seneca de Benef. 4, 7. *Quid aliud eſt Natura, quam Deus et diuina ratio, toti mundo et partibus eius inſerta? Quoties uoles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare.* cf. Paneg. Genethl. 14, 2. et Lipſ. Phyſiolog. Stoicor. l. 1. Diſſ. 8. *Ineg.*

XXVI, 1. *aliqua ſupra omne caelum — deſpicias*) Lucret. 5, 147 ſq.

Illud item non eſt, ut poſſis credere, ſedes
Eſſe Deum ſanctas in mundi partibus ullis.

Poteſt tamen, quin debet, citra Epicuri diſciplinam, h. l. de Olympo, ſede Iouis et deorum, intelligi, qui ſuperior caelo. v. Brouckh. Tibull. 4, 1, 131. et Cl. Volborth. Diſp. de Olympo, §. 22. De cetero, in his uerbis ſupra, pro *qua toto inf.* Liv. *quae t. inf.* et hic pro *poteſtas es* Cuſp. Rh. St. Liv. *pot. eſt*; ſic etiam Moerl.

tuum ex altiore naturae arce despicias: te, inquam, oramus et quaesumus, ut hunc in omnia saecula principem serues. Parum est enim optare 2
tantae uirtuti, tantaeque pietati, quem longissimum habet uita, progressum. Est certe summa 3
in te bonitas, est et pietas; et ideo, quae iusta

 sunt,

Moerl. sequente *qua*, pro *quae*; uitiose. Iam Liuineius in margine indicauit, legendum uideri *es*; eamque emendationem reliqui editores recte sunt secuti, *es* et *est* confundi ostendit, praeter alios, Schwarz. ad Plin. paneg. 9, 1. *Id.*

XXVI, 2. *uita, progressum.*) Sic edd. At codd. Liv. Bert. Put. Moerl. *processum*. Vtrumque probum, Cic. Philipp. 5, 17. C. *Caesar ineunte aetate docuit, ab excellenti, eximiaque uirtute progressum aetatis exspectari non oportere.* Florus, prooem. L. 1. s. 4. *Si quis populum Rom. quasi hominem consideret, totamque eius aetatem percenseat, — quatuor gradus, processusque eius inueniet.* Gradus et processus iungit etiam Cic. Brut. c. 65. *gradus tuos et quasi processus dicendi studeo cognoscere.* Ouid. Trist. 4, 5, 25.

Sic tua processus habeat fortuna perennes.

Cic. de Nat. Deor. 1, 6. *Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur.* et Tusc. 4, 19. *Philosophiae ipsius principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent.* Id. in Bruto, c. 78. *Nullum tempus illi umquam uacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Itaque tantos processus efficiebat, ut euolare, non excurrere uideretur.* Sueton. de illustr. Gramm. c. 10. *Ipse ad Lucium Hermam scripsit, se in Graecis litteris magnum processum habere, et in Latinis non nullum.* In his omnibus *progressus* et *processus* geminae sunt significationis. In sequentibus proxime Rh. St. Liv. *Et certe summa in te bonitas est et pietas.* Cusp. cum reliquis ita, ut nos exhibemus. *Id.*

XXVI, 3. *pietas*) Quemadmodum Principes sunt *pii* ob clementiam et amorem erga ciues: (v. Auson. Paneg. c. 9, 3. et 18, 3. Claudian. de IV. Conf. Honor. 276. ibique Gesner. item de Conf. Stilich. 3, 110. sqq. et de Laudo

sunt, uelle debes: nec abnuendi est caussa, cum possis. Nam si est aliquid, quod a te bene meritis denegetur, aut potestas cessauit, aut bonitas.
4 Fac igitur, ut, quod optimum humano generi dedisti, permaneat aeternum, omnesque Constantinus in terris degat aetates. Quamuis enim, Im-
5 perator inuicte, iam diuina suboles tua ad rei publicae

de Serenae reg. 55.) ita hic pietas Numini ipsi inesse dicitur. Videtur tamen uox *pietas* aut male e superioribus repetita aut nata esse ex compendio scripturae *ptas* h. e. *potestas*. Melius omnino procedit argumentatio sic instituta: Est in te summa bonitas et potestas. Ideo, quia bonus es, iusta uelle debes, et quia potens es, non debes abnuere merentibus; alioquin aut potestas aut bonitas defuisse uidetur. Forsan etiam uerba *cum possis*, ab explanatore addita, ac proinde sunt abiicienda. *Id.*

XXVI, *potestas cessauit*) Forte, inquit Daniel, *cessabit*; et ita scribendum; quod et monuit Liuineius. Scitur enim, solitum V poni uice B et contra. G.

Mihi uero hic nihil mutandum uidetur. *Cessare* est h. l. *uice sua non fungi, non facere, quod fieri solitum erat.* Supra c. 22, 2. *cessat terra noualibus.* Iustinus, 31, 4, 9. *Antiochus tam assiduo colloquio reconciliatam eius cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum (Hannibalem) sicuti solebat referre; expertemque totius consilii uelut hostem, proditoremque suum, odisse coepit. Quae res tantum apparatum belli, cessante imperatoria arte, corrupit.* Seneca Octav. act. 3. v. 671. sqq.

Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis,
Quos iam uictrix Poppaea tenet,
Cessat pietas dum nostra, graui
Compressa metu, segnisque dolor.

Siue igitur *cessauit* h. l. praeterito tempore, siue potius ἀοριστως intelligas, constabit sua huic lectioni ueritas et perspicuitas. *Iaeg.*

XXVI, 5. *suboles tua*) Constantinus, credo, filiorum e Fausta, qui ei succesſere, natu maximus. Fausta, inquam, non illa Maximianaea, sed altera, quam adulterii insimulatam Constantinus morte adfecit. Auctor Zosimus l. 2.

blicae uota ſucceſſerit, et adhuc ſperetur futura numeroſior: illa tamen erit uere beata poſteritas, ut, cum liberos tuos gubernaculis orbis admoueris, tu ſis omnium maximus imperator.

l. 2. ſed ambigo, an uere. Nam geminam Fauſtam Conſtantino M. coniugem apud ceteros hiſtoricos non inuenio. L.

Si imperatorum filii ad publica uota non acceſſerunt, antequam *Caeſares* creati eſſent, ut Nazar. c. 26. refert; ſequitur, hunc panegyricum dictum eſſe, poſtquam Criſpus et infans Conſtantinus iam Caeſares facti eſſent, h. e. non ante Conſtantini X. annum, Chriſti CCCXVII. Adde Nazar. paneg. c. 1. et 2. C.

XXVI, 5. *uere beata poſteritas, ut, cum* etc.) Haec male cohaerent, uidenturque non nulla excidiſſe; nec tamen ullus interpretum de hac re monuit, nec libri qua ſcripti qua excuſi quidquam ſuppetiarum ferunt. Liceat igitur mihi coniecturam proferre, ſi minus εὐστοχον, at certe non nimis temerariam. Legendum puto: *Quamuis enim, Imp. inuicte, iam diuina ſuboles tua ad rei publicae uota ſucceſſerit, et adhuc ſperetur numeroſior: ita tamen erit uere beata poſteritas, ſi, cum liberos tuos gubernaculis orbis admoueris, tu ſis omnium maximus imperator.* Videamus nunc de ſingulis. *ita* cum *illa* potuiſſe commutari facile patet. Ex *ſi* factum *ſit*, (quemadmodum in Prop. 3, 3, 53. ubi v. Brouckhuſ.) ex hoc, omiſſa littera prima, (quae et ultima eſt uocis praecedentis, adeoque erroni ualde opportuna,) *it*; et hoc denique mutatum eſt in *ut*; ſicut in Nepot. Eumen. 8, 1. obſeruat Heuſingerus, *ut, it, id* turbari. Senſus itaque erit: *poſteritas erit uere beata hac ratione et lege, ſi tu* etc. Ita Plinius, H. N. 27, c. 10. ſ. 62. *Valere non diutius anno, et ita, ſi terram non attigerint.* Idem 31, c. 6. ſ. 32. *Vtuntur et coeno fontium ipſorum utiliter: ſed ita, ſi illitum ſole inareſcat.* Mitto alios, ipſumque Tullium, qui hoc genus loquendi ſaepe uſurpat. *Iaeg.*